UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob


Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079


urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

Visual Library



Th. 378.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



HIOB

cũm commentariis Iohannis Brentii, iuxta piis ac erũditis, ab ipso nũper aũthore recognitus atq; restitutus.

Haganoæ, per Iohan. Secerium, Anno M. D. XXXI.

INDEX

ANIMADVERTENDVM HOC

Indice, per A. priorem faciem, B. alteram significari.

A.

Abiecti suscipiendi 62 A
Adfectus damnati 65 B
Adulterij scelus 218 B
Adolescentum disciplina 228 B
Aeternæ mortis pœnæ 128 A
Agnoscenda sunt peccata, nõ excusanda. 180 A
Aliena Dei opera 50 B
Alexander Magnus 165 A
Aliena iustitia saluat 276 A
Amara omnia absq; Domino 90 B
Angeli sunt ministri 52 A
Animam in manu ponere 118 B
Aperire os super adflictum 142 A
Arrogantia carnis 43 A
Argumenta iustitiæ Dei 47 B
Arcturus 82 B
Archangeli uox Verbum 160 A
Arrogantia impij cordis 281 B
Argumenta potentiæ Dei 28 A 194 B

INDEX

Argumenta præsentiæ Dei in adflictione 245 A
Austri penetralia stellæ 82 B
Author omnium operum Deus 186 B
Auaritia 223 A
Auster 260 A

B

Benedictio impiorum multos offendit 30 A 174 B
Blasphemia rationis carnalis 22 A
Blasphemiæ desperatorum 25 A 31 B
Blasphemiæ Hiobis 27 A 181 B
Bona à Domino 22 B
Brachium 276 B
Breuitas uitæ humanæ 17 B

C

Carnis opera immunda 24 B
Caro & os nostrum proximus est 55 A
Carnes lacerare 118 B
Calumnia 24 B 176 B
Calumniatores carniuoræ sunt fratrum 158 B
Canones pœnitentiales 113 A
Ceruarum prudentia 109 B 270 B
Charitas 55 A
Charitas & timor Dei respondent 58 A
Christi sanguis sanctificat 22 A
Christi uirtus spes sub cruce 56 B
Christus arbiter 89 B

INDEX

Christus mediator. 220B
Christianorum uita, pœnitentia 243B
Christus fideiussor 246B
Per Christum liberatio 256B
Cõuiuia cõtemptum habent diuini iudicij 11B
Confessio piorum in cruce 19A
Cor hominis prauum 26A
Cor humanum indomabile 202B
Cor uorum pulli quid 270A
Cornu quid 144A
Cõmunione sanctorũ eijcitur peccator 269B
Conditio tyrannorum misera 290A
Commotio terræ 195B
Connubium castum 220A
Compatientia 222A
Creaturis fide recte uti possumus 91B97B
Crucis commendatio 49B
Crux benedicitur uerbo 62B
Crux ferenda per Christum 51A
Cultus sanctorum præposterus 2A

D

Descriptio spiritus 42B
Deo resistere 80B
Desperatione nihil grauius 63B
Desperatorum infernus 65B
Decretum Dei fide infringi potest 83B

Deus

Deus exaudire simulat, ut fidem probet 85 B
Deo aduersante, oēs creaturæ aduersantur 97 A
Déscriptio mortis in Deo sapientia 112 A
Dei fortitudo 112 B
Deus adfligens abnegatur 141 B
Deus animum implet 165 B
Deus occulta iudicat 177 B
Descriptio tyranni 186 A
A dextris tentari 212 B
Desperatis redemptio infernus 214 B
Deus nō respicit personas 216 A 241 B
Deo omnia patent 242 A
Deo non commodat nostra iustitia, nec iniusticia incommodat 245 A
Deus cur puniat iniquitatem 245 B
Diruptio uestimentorum quid 27 B
Dies resurrectionis 51 A
Diuitiæ spinæ & laquei 252 A
Doctrina sanctorū pura, quāuis uita impura 9 A
Donorum Dei usus 17 A
Donorum Dei abusus 17 A
Domini iudicium graue 88 A
Dominus errare facit 112 A
Domini uindicta 545 A
Domus uiuentium mors 214 A

E

Eruere oculos 218B
Euangelio intelligitur lex 133B
Euangelij uis 235A
Exatiari quid 142
Excuſanda coram Deo peccata non ſunt, ſed agnoſcenda. 180A
Exactiones nimiæ 225B
Excommunicationis fulmen 282

F

Fœlicitas pij 104A
Fœlicitas abſq; calamitate non eſt 252B
Filiorum delicta patribus imputantur 12A
Filij Dei pij 13A
Fides Hiobis commendatur 14A
Fides per Verbum purificat 26B 219B
Secundū fidē aut infidelitatem iudicabimur 73B
Filij impiorum parentum puniuntur 199B
Fidelis cognoſcit opera Dei 253A
Filius ſapientia patris 236B
Flagellum linguæ 51B
Fornicatio ſpiritualis, peccatum 189A
Fornicatorum leuitas 189A
Fructus regenerationis 235B

G

Garrulitas non eſt abſq; peccato 100A

Gentes donis Dei abutuntur 50 A
Gemitus oppressorum exaudit Deus 187 A
Gladius ultor 160 B
Gloria spiritus & carnis 105 B
Grauitas iudicij Domini 181 A
Grando iræ Dei instrumentum 266 B

H

Hypocritica impietas 57 A
Hypocritarum zelus 131 B
Hypocritica sanctitas 137 A
Hypocritæ principis cautelæ imperium 242 B
Hypocritarum iudicium 251 A
Hypocrisis 163 A
Hominis partus mirabilis 26 A
Hominis fragilitas 18 A
Hominis uita malitia 64 A
Homo à nomine miser 64 B
Homo ad calamitates nascitur 123 A
Homo flos 74 B
Homo contemptus 192 B
Hominis mendicitas 276 A
Hospitalitas 224 B
Humanarum rerum uariatio 69 B
Humanæ uanitatis exemplum Hiob 71 B
Hugonis Carrensis lapsus 196 B
Iactantes Concilia & Patres 115 A 150 A

Ignauia fornicatorum 189 A
Impij cruce iram Dei agnoſcunt 19 B
Impijs accidit quod timent 32 A
Impij maledicuntur 46 A
Impij eleuantur, ut grauius deijciantur 45 B
Impius ſua iniuria opprimetur 58 B
Impietas ubi ſit dandum neſcit 61 B
Impiorum proſperitas 77 B
Impij deridentur in iudicio 78 B
Impij memoria 117 B
Impijs omnia deſperata 98 A
Impiorum timiditas 136 B
Impiorum pollicitatio uana 147 A
Impiorum maledictiones 153 A
Impuritas naturæ 192 B
Impiorum donis utuntur pij 200 A
Impij reges adfliguntur 250 A
Imago Dei quid 278 A
Infernus quid 66 B
Infidelis inſatiabilis 198 A
Inconſtantia fornicatorum 189 A
Contra inimicos oratio 244 A
Ira Domini 242 A
Iudicium Domini 23 A
Iudicium ſpiritus in adflictione 34 A
Iuſti benedicuntur 37 B

Iusti non delentur 39.A
Iudicium tyrannorum 40.A
Iudicium Domini oratione uincendum 71.B
Iustus cui non imputatur peccatum 8.A
Iustitia operũ iudiciũ Domini ferre nõ potest 88.B
Iustitia diuina & humana 89.B
Iudicium Domini irretractabile 111.B
Iudicium impiorum manifestum 39.B172.B
Iustitia aliena saluat 80.B
Iusti reges prosperantur 249.B
Iudicia impiorum exempla sunt pijs 254.B

L

Leones maiestatis Dei iudices 269.B
Læta sepultura 146.A
Lex externum opus cohibet 16.B
Leuiathan 28.B.281.A
Contra Liberum Arbitrium 31.A.83.B
Loquendum parcius & meditato 150.B
Locus de purgatorio falsè intellectus 135.B
Lumen fœlicitas 223.A

M

Mala à Sathana 22.B
Malus magistratus populo malo datur 114.A
Mare 291.A
Maxillam dare ad peccandum 222.A
Manus osculari. 223.B

Mare opus Domini 264.A
Mediatore ad Deum acceditur 181.B
Mores Tyranni leonum 59.B
Mortuorum uigiliæ unde 71.B
Mors non accidit casu 24.B.
Mortis iudicia 139.B
Mortis horror 144.A
Mors irreuersibilis semita 145.B
Mors repentina bona 170.B
Morituris impedimento sunt diuitiæ 200.B
Mundana caduca 210.B
Mundus negotiatur Sathanæ 262.B

N

Natura 95.A
Nubes argumẽta sunt sapientiæ Dei 82.A.258.A

O

Officium patrisfamilias 224.A
Onager 271.A
Opera Dei propria 50.B
Orion 82.B
Oratio peccatorum non exauditur 198.B
Opes diuinæ bonitatis signa 10.B

P

Pauperum contemptum ulciscitur Deus 107.A
Pauperem uestire 218.A
Perdix 109.B
Pij in cruce bonã Dei uoluntatem agnoscũt 19.B

Pius præter Dominum nihil timet 51.A
Piorum reiuuenescentia 125.B
Pius semper securus 134.A
Physica tonitruum ratio 256.B
Plyades 82.B
Posteriora Dei cognibilia 83.A
Principis boni opera non sunt superstitiosa 208.B
Promissa Dei ueratia, etiam erga impios 84.A
Promissio 145.A
Pseudoprophetæ de uisionibus & miraculis gloriantur 43.B
Pseudoprophetæ cur mittuntur 213.A
Puluis pro terra 201.A

R

Ratio crucis piorum 34.B
Rationis sensus de Deo 185.A
Resurrectionis locus 126.A
Resurrectio uentura 160.A
Reprehensio sit sine calumnia 155.A
Risus carnis & spiritus 106.A

S

Sancti exempla sunt misericordiæ Dei 2.B
Sathan 13.B
Sathanæ malitia 14.A
Sanguinem operiri terra 144.B
Sapientia 199.A

Senum prudentia 75.A
Scheba 16.A
Simplex 10.B
A Sinistris tentari 212.B
Spes in tribulatione 98.A
Struthio camelus 269.A

T

Tentatio uera omnia præsidia eripit 16.B
Tentatio probat 16.B
Tentationes uincit uerbum 39.A.73.B
Terror, Domini aduentum præcedit 42.A
Terræ motus cur 82.A
Tenebræ maledictionem iudicant 177.A
Tenebræ 177.B
Timor Dei 11.A
Tyranni incorrigibiles & montes 61.A
Transeuntes uiam 173.A
Tonitru uox Dei 256.A

V

Verbum sapientia Dei 204.A
Verbum Dei lucerna 207.A
Verbum Dei omnes iudicat 233.B
Verbum cardo quo tota terra uoluitur 259.B
Verbum est facies patris 289.A

FINIS.

EXIMIAE

PIETATIS VIRO, THEODORICHO A GEMMINGEN, *apud Gutenbergam Necchari Regulo, Suo in Christo Patrono obseruandißimo, Iohannes Brentius.*

SCRIPTO AD TE, VIR longe omnium optime, quas in Hiobis Tragœdiam adnotationes meditatus sum. Cur enim non Tragœdiam appellarem? quando, ut in Tragœdia, ingentes personæ, magni timores, luctus, exilia & cædes habentur: ita in hoc libro magnates, reges & sapientes çolloquuntur, funesta mortis desyderia, terribiles inferni horrores, interim & in Deum blasphemiæ execrabiles describuntur. Huc adde, quod & libri phrasis, apd' suos Hebræos, cothurno tragico incedit, adcoq; in toto ferè libro nihil non tragicum reperies, nisi quòd exitus multo omnium lætißimus est, qui in Ethnicorum tragœdijs, funestus habetur. Nã hoc ipso Spiritus sanctus docuit, non solum quantum sacra

prophanis, uerumetiam quantum calamitates piorũ ab impiorum luctu distent. Lugent enim Ethnici, dolent impij, sed luctus eorum finis, est funus, id quod suæ ipsorum tragœdiæ testantur. Lugent & pij, sed exitum habent eorum calamitates optatißimũ, cuius rei exemplar in hoc libro propositum est. Has igitur, qualescunq; adnotationes, ad te, Theodorice humanißime, mitto, non tam hoc nomine, quòd ob pietatem tuam dignus sis, quem certatim omnes pij colant & uenerentur, quàm quod multa, tum propter egregias fortunæ dotes, tũ propter celsam & planè heroicã animi uirtutem, qua ingentia crucis aduersa, toleras, cõmunia cum Hiobe habere uideris. Noui, tantam animi celsitudinem in cruce cõstantißime perdurantẽ, in mortali tua carne nõ esse natam. Dei Opt. Max. donũ est, non hominis, aut natura, aut artificiũ. Itaq; si hæc adnotationũ mearũ ἀντοχέσιαν (non enim ausim eas honorificẽtius adpellare) boni consulas, & grato animo susceperis, si & his, studia fratrum meorum, quos in Kreichgoia tua, habeo amicißimos, adiuuero, suo munere satis defunctæ erunt. Vale in CHRISTO Domino nostro. Ex Hala Sueuorũ, tertio Decembris. Anno M.D.XXVI.

ANNOTA=

TIONVM IN HIOB PRÆFATIO

de Sanctis, per Iohannem Brentium.

PRINCIPIO, LONGE *alio iudicio, Spiritus in Scri=ptura, nobis Sanctos propo nit, atq; hypocrisis carnis ex istimat: nam caro audiens, Sãctos cõmendari, uel à fi=de, uel à crucis tolerantia, ut facit epistola ad Hebræos: uel à uitæ austeritate, ut* CHRISTVS *Iohannem commẽdat Mat. 11. uel à miraculis, non à sanctis ad Dei gloriam & laudem adsurgit, sed à diuina gloria decidens, in admirãdis sanctis, sanctorumq; uiribus occupatur: quo fit, ut si quid forte simile faciẽdum, toleranàumue fuerit, nõ in Deo, sed in sanctis auxilium quærat, sanctos inuo=cet, colet & ueneretur: quod quàm pernicioſum fue rit, hactenus non sine ingenti fidei nostræ iactura di=dicimus: non solum autem hypocrisi, in Sãctorum ratione peccatur, sed & temeritate: siquidem, ut nõ is tantum impius est censendus, qui factitijs cultibus et operibus* DOMINVM *ueneratur, in corde in*

Sanctorum præposterus cultus.

terim dicens, non est Deus: sed etiam is, qui palam Deũ aut negat, aut blasphemat, ita una est impietas eorum, qui uel sanctos etiamnũ adorant, & ut Deũ uenerantur, confidendo, credendo, inuocando, uel qui palã eos contemnunt, aut blasphemant: hic à sinistra, illic à dextra peccantes. Nam quando Sancti hi sunt, propter quos mundus est conditus, propter quos Verbum caro factum est, adeoq; per Christũ filij Dei facti sint, patrem blasphemat, qui sanctos blasphemat. Sic CHRISTVS nobis Apostolos cõmendat: Vos, inquit, estis lux mundi, sal terræ. An quia in DOMINO obdormierunt, cessauit cõmendatio? absit, VERBVM enim DOMINI manet in æternum. Hæc quum hypocrisis audit, quos non cultus fingit, ut sibi sanctos demereatur? Rursus cũ forte temeritas, sanctos non esse factitijs cultibus uenerandos, audierit, in contemptum ferè blasphemum ruit: quasi uero creaturæ Dei, ideo cõtemnendæ sint quod non sint creator. Solet Luna, bonæ DEI creaturæ sunt, Mose uero Deut. 4. præcipiens, ne adoremus & colamus ea, in ministerium nobis, non in cultum creata, num propterea reiecit? Nam & saxum & lignum, optima Dei creatura sunt, nemo tamẽ sanus reijciet ea, qđ audiat à Prophetis non esse colenda. Itaq; in hunc usum, præcipue nobis sancti, etiam in Domino obdormiscẽtes, proponuntur, ut sint exem-

Sãcti exemplum misericordiæ Dei.

empla

empla fidei, charitatis, misericordiæ & iudicii diuini. 2. Timoth. 1. Ideo misericordiã sum adeptus, ut in mẽ primo ostẽderet IESVS CHRISTVS omnem clẽmentiam, ad exprimendum exemplar, ijs qui creditu ri essent in ipso, in uitam æternam. Nam si, ut Paulus ait, inuisibilia Dei, ex uisibilibus cognoscenda sunt, & ex creatione mundi ipsa æterna Dei potentia, ac diuinitas peruidetur, quanto magis mirabilia eius ex sanctis cognoscuntur? Glorificatur Dei maiestas è cœlo, è stellis, cur non glorificaretur misericordia eius è sanctis? Nam quum uel latro, uel peccatrix illa Euangelica, uel Petrus nobis ob oculos ponitur, nonne misericordia Dei ante inuisibilis, nunc per hos uisibilis facta est? Propone Dauida, & habes non solum misericordiæ diuinæ, sed & iudicij exemplar exactißimum. Iam ut maxime sancti uita æquales sint damnatis, sunt tamen filij Dei, fide, & Dij doctrina. Neq; doctrinam cõtempseris sanctorum, quòd uita nõ usq; quaq; commendabiles sint, hanc enim DOMINVS in sanctis insyncerã reliquit, ut habeant propter quod orent, liberati gratias agant, & ut non glorientur, nisi in DOMINO. Doctrinam autem puram reddit, ut sit uitæ gnomon certus, nam uita impura, per sanam doctrinam pura reddi potest. Da uero doctrinam impuram, quis purificabitur? Si sal, inquit Christus, infatuatus fuerit, in quo salietur? Proinde sancti

Vita sanctorum impura, sed doctrina pura est.

qua uiuunt, carne adhuc infecti, insynceriter uiuunt: ubi uero DOMINI VERBVM docent, ibi planè DOMINVM, non homines agnoscas. Porrò inter eos sanctos, in quibus et misericordia & iudiciũ DOMINI manifestantur, uel inter præcipuos, Hiob primus est. Si enim misericordiam respexeris, quis maior in donis? quis Deo in tota terra adceptior? Quis Hiobe cõmendatior? inquit enim DOMINVS: Nõ est ei similis in terra, simplex & rectus, timensq; DOMINVM. Rursus, si ad iudiciũ oculos dirigas, quis abiectior? quis à Deo derelictior? quis damnatior? unde et in medio iudicij igne, ut damnati solent, Deũ contemnit, odit, tantũ non blasphemans. Quantũcunq; enim sanctus uel iustus fueris, iudiciũ Dei non feres. Feres quidem ut auferantur, & bona & dona Dei, sed non sustinebis, si DOMINVS sese subduxerit, hoc enim subducto & irato, nulla creatura fauet, sed omnes te fugiunt, id quod ex orationibus Hiob, manifestissime colliquescit.

CAP. I.

VIr erat in terrâ Huz, nomine Hiob, & erat uir iste integer, & rectus, timens Deum, & declinans a malo.

Et

Et nati sunt ei septem filii, & tres filiæ.
Possidebatq; septem millia ouium, & tria millia camelorum, & quingenta paria boum, quingentasq; asinas, ac famulitium nimis multum, & fuit uir iste maior omnibus filiis orientalibus.

Mosen scriptorem libri Hiob esse, testantur Hebræi, & Origenes, quanquàm non eadem phrasis, in hoc libro & Pentateucho uidetur, cuius similiter Mose author est: utcunq;, de scriptore libri nulla, sed præcipua de spiritu eius, cura erit.

Porrò digesti sunt singuli uersus in suum ordinem, quemadmodum apud Hebræos habẽtur. Primũ, quod uersuum distinctio, nonnihil interdum sententiam adiuuat: deinde in orationibus Hiobis & amicorũ, ferè singuli uersus, singulæ gnomæ et generales sentẽtiæ sint. Postremo quod Hieronymus scribat à uerbis Hiob, in quibus ait: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictũ est conceptus est homo, usq; ad eum locum, ubi ante finẽ uoluminis scriptũ est: Idcirco ipse me reprehẽdo, & ago pœnitentiã in fauilla & cinere, hexametra esse, Dactyloq;, Spondeoq; currẽtia &c. Cæterũ si cui hæc nostra interpretatio, non satis faciat, consulat D. Lutheri tralationem, qui hunc librũ optima fide, in uernaculã nostræ regionis linguã traduxit, &

ſerè clarius, quàm commentario explicari poßit.

ERAT VIR IN TERRA HVZ.

Huz עוץ filius eſt Aram, filij ſem, filij Noa, quẽ Hieronymus ſcribit Trachonitidos & Damaſci cõditorẽ eſſe, unde fortè eius regionis pars, terra עוץ uocatur. Græcus pro terra עוץ ἐν τῇ χώρᾳ αὐσίτιδι tranſtulit.

Simplex. SIMPLEX ET RECTVS &c.

Simplicem, non intelligas ignarũ, ſtupidũ, imprudentem, ſed probatũ, innocentem, perfectũ & integrum: Hoc enim ſignificat Hebræa uox תם Prou. 10. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat cõfidenter, hoc eſt, qui innocenter, uſte, pro integra fidei ratione ambulat, confidenter ambulat. Non enim ſimplicitas imprudens, aut rerum neſcia, in Chriſtianis commendatur, ſed ea quæ eſt morum, & uitæ integritas.

NATI SVNT EI SEPTEM FILII &c.

Opes benignitatis diuinæ ſignæ. Quòd Hiob liberos, & multas opes habuiſſe dicitur, benedictio DOMINI cõmendatur, & opes non eſſe malas declaratur. Opes enim pietati nihil officiunt, modo in pietate poßideas, & adminiſtres. Fuit & Abraham opũ diues, nõ pro ratione diuitũ huius mũdi, quorũ Deus Mammon eſt: de qbus comuni prouerbio dicitur: diues aut iniquus, aut iniqui hæres: ſed pro ratiõe pietatis, quæ opibus alioq ſpinis, bene utitur. Cæterũ qd diuitibus præcipiatur, uide 1. Tim. 6.

Timens

TIMENS DEVM, ET DECLINANS.

Timor, ait Iohannes, non est in charitate: perfecta charitas foràs mittit timorẽ. Quid igitur Hiob à timore Dei commendatur? Et alibi: Timor Domini, est initium sapientiæ. Aliud est timere ex infidelitate, aliud timere ex fide. Timet hostis hostem, propterea quòd nihil boni, nihil amici, alter ab altero speret, diffidentes de beneuolentia: sic impij Deũ timent, nam diffidentes de bona eius uoluntate, horrent iudiciũ, blasphemant iudicem. Timet & filius patrem, non quòd diffidat de bona patris uoluntate, sed ne inobedientia patrem ad iram prouocet. Sic pij Deum timent, non quòd male suspicentur de eius misericordia, ait enim Apostolus: Fiduciam habemus in die iudicij, sed ne uoluntatem patris amaricent. Is autem timor, optimus est præceptor, bene, iuste, ac sapienter operandi: siquidem uolueris iram Dei declinare, pro bona eius uolũtate operaberis. Proinde pius ex fide timet, ne iratũ habeat Deũ, impius ex infidelitate, ne crucietur, non enim timet impius irã Dei, sed pœnã iræ. Cõtra, pœnam fert pius, irã Dei oĩbus modis effugere satagit. Timor Dei.

Porro filii eius conuiuia celebrabant, unusquisq; suo tempore in domo sua, missoq; nuncio, uocabant tres sorores suas, ut una ederent & biberent.

Et factum est, quum in orbem transi issent dies conuiuii, misit Hiob, ut sanctificaret eos, & quum mane surrexisset, obtulit holocausta omnium numero, quia dicebat Hiob, Ne forte peccarint filii mei & benedixerint Deum in cordibus suis. Sic faciebat Hiob omni die.

FILII EIVS CELEBRABANT CONVIVIA &c. *Altera benedictionis & fœlicitatis Hiob, pars fuit, quod liberos habuerit concordes & amicos, mutuam mutuis conuiuijs beneuolentiam testantes: alioqui enim fratrum gratia rara est. Porrò conuiuia filiorum Hiob, si externam speciem respexeris, honestissima erant, & ab omnibus commendabilia. Solus autem Hiob, spiritu Dei plenus conuiuiorũ impietatem uidet, quæ est iudicij diuini cõtemptus, et futuri Dei operis, neglectus: quanquàm enim ciuilis amicicia, talibus conuiuijs nutriatur, exprobrantur tamen à spiritu, propterea quod post plenũ promptuarium, abundans penu, repletum uentrem, sequatur oblituo Dei, obdormitio diei, & iudicij diuini neglectus. Huc accerse, si allubescat, testimoniorum è scriptura syluã, Deuter. 32. Dilatatus & incrassatus est dilectus meus & recalcitrauit, Esa. 5. Cithara, lyra, tympanum, tibia & nimum, in conuiuijs uestris, opus autem*

Conuiuia contemptum habent iudicij diuini.

autem Domini non respicitis, nec opera manuum eius consyderatis. Et Ezech. 17. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, abundantia & saturitas panis, otiũ &c. Lucæ. 21. Cauete ne forte grauentur corda uestra crapula & ebrietate &c.

VT SANCTIFICARET &c.

An holocausta sanctificant? Oblationes holocaustorum carnalium nõ sunt uera sanctificatio, sed ueræ sanctificationis signum & umbra, quæ per Christi sanguinem nobis contigit. Non enim poterat sanguis hircorum aut agnorum, peccata auferre, Heb. 10. Sanctificant igitur legis sacrificia, nõ quia sacrificia sint, sed propter sanguinem Christi quem adumbrant. *Sanguis Christi sanctificat.*

NE FORTE PECCARINT. Solicitudinem uides patris in liberos, solent enim liberorum delicta patribus, quorum curæ commissi sunt, imputari: nam non solum commendauit deus liberos parentibus, ut corpora nutriant, sed etiam ut moribus erudiant: minor cura est nutrire pueros, maxima recte instituere, quod si recte institueris, corporalis educatio sua sponte sequetur, Psalm. 36. Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Porrò, quanquàm sanctificarit Hiob mane liberos suos, non tamen à iudicio potuit eos liberare, parum enim profuerit aliena pro te solicitudo, nisi tu ipse resipiscas & dignam factis pœnitentiam agas, Ezech. 14. Si bestias *Quãdoq; patribus filiorũ delicta imputari.* *Vt oratio aliena tibi prosit, ipse resipiscere debes.*

peßimas induxero ſuper terram, ut uaſtent eam, tres uiri iſti Noha, Daniel & Hiob, ſi fuerint in ea, uiuo ego dicit Dominus, quia nec filios ſuos, nec filias liberabũt, ſed ipſi ſoli liberabũtur: neq; uel parens, pro filio uel filius pro parẽte punitur, niſi eiuſdẽ impietatis particeps, ut & Moſe inquit, in tertia & quarta generatione, hoc eſt, cõpleta in filijs parentũ malitia.

BENEDIXERINT &c. Benedicere pro maledicere hoc loco ſumitur, ut 3. Reg. 21. Benedixit Naboth Deum & regem, id eſt, maledixit, id quod et Latinis in hoc nomine Sacrum, familiare eſt, ut Virgilius, Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames? id eſt, execrata.

Factum eſt quodam die, quum uenirent filii Dei, ut conſiſterent coram Domino, uenit & Sathan in medio eorum.

Et dixit Dominus ad Sathan, unde uenis? Reſpondens Sathan Domino dixit, Circuiui terram & perambulaui eam.

Et dixit Dominus ad Sathã, Nunquid animaduertiſti ad ſeruũ meum Hiob, quod nõ ſit ſimilis ei in terra, uir integer & rectus, timens Dei, & declinans a malo?

Reſpondit Sathan Domino, & dixit:

Nunc

Nunquid gratis timet Hiob Deum?

Nõne tu uallasti eũ & domũ suã adeoq; uniuersa simul, operi manuũ eius benedixisti, & possessio eius ĩundat in terra?

Veruntamen, extensa manu, tange omnia quæ possidet, si non in faciem tuam benedixerit te,

Et dixit Dominus ad Sathan, Ecce omnia quæ possidet, in manu tua sint, tantũ modo in ipsum ne extendas manũ tuam & egressus est Sathan a facie Domini.

CVM VENISSENT FILII DEI

Pij filij Dei sunt.

Filios Dei hoc loco, non angelos solum intelligas (quanquàm & ipsi semper in conspectu sint Dei, ministrantes & collaudantes eum, Heb. 1.) sed omnes pios, qui semper in conspectu Dei sunt, quorum Dominus perpetuam agit curam, fouens, nutriens, cõseruans, ac ab omni malo eos præseruans. Est autem hic locus firmißima fidei petra, quòd pij certo cognoscãt se continenter ob oculos Domini positos esse, & in manu sua custodiri. Calamitas ne opprimet te? an crux an peccatum? an mors? an infernus? Confide, quando quidẽ in conspectu Dei fueris, non præualebunt: Dominus enim curat: Domini conspectus in te directus est, à quo ergo timebis? Hinc etiã est, quòd quicquid

Quod feceritis uni ex minimis meis, mihi feciſtis.

mali pio intuleris, Deo intuleris, quicquid boni feceris, Domino feceris.

VENIVNT FILII DEI AD DOMINVM. *Quia Dominus curat pios, qui per fidem filij facti sunt, unde & angelos in eorum custodiam mittit, Psal. 90. Angelis suis mandauit de te &c. Psal. 33. Immittetur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos &c.*

VENIT ET SATHAN &c. *Vt enim in regno Christi nunquàm deest Antichristus, sic in regno Dei nunquàm abest Sathan.*

Sathan.

SATHAN DIXIT DOMINO &c. *Colloquutio Domini cũ Sathana, humana phrasi descripta est, neq; est ut imagineris, eos pro hominũ more, sermonẽ cõtulisse, sed spiritus, nostro loquẽdi modo, exprimit colloquutiões spiritualiũ, carni incõprehensibiles, ut enim Idioma uel Græcũ uel Arabicum alicui ignotũ, in linguã cognitam transfertur: ita idioma Dei, & spiritualiũ sermo incognitus, transfertur nostri caussa, in uernaculũ nobis loquendi modum.*

Colloquiũ Sathanæ & Domini.

CIRCVIVI TERRAM &c. *Hæc est Sathanæ natura & unicus conatus, ut circumeat uelut leo rugiens, terram, quærens quem deuoret, quem in conspectu Dei accuset, & calumnietur: id quod nomine suo significatur, Hebræis enim* שטן, *Latinis aduersarius & Græcis ac Germanis* διάβολος, *Germanis*

Sathan.

manis Diobel, Latinis calũniator est. Apoc. 12. Proiectus est accusator fratrũ nostrorũ, qui accusabat illos in cõspectu Dei nostri, die ac nocte &c. Zach. 3. Sathan stabat à dextris Iesu sacerdotis magni, ut aduersaretur, ne Hierusalẽ reædificaretur. Nã quoties, per uerbi ratione iustũ, æquũ quidpiã conaris, Sathan suo astu aut impedit opus: aut si hac uia nõ promouerit, calũniatur opus. Quãdo regnũ Dei in hoc mũdo perinde sit, ac aula quæpiã regia, in qua inuenias & aulicos honestos, & calũniatores sordidos. Ita in aula Domini, Angeli boni, & pij hoĩes sunt, oĩa amore, & fide facientes. Sunt & calũniatores, Sathan, angeli eius, & hoĩes ministri, oĩa facta in peßimã partẽ interpretãtes.

Malicia Satanæ.

NVNQVID ADVERTISTI ANIMVM.

Hiob fide cõmendatur à Deo.

Quantus est hic, qui etiã à Deo, testimonium innocentiæ, pietatis, integritatisq; habet? Vnde hanc laudem meretur Hiob? An à patientia? Sed ea nõ constitit in iudicio. An à uitæ puritate? At omnis homo est mendax: &, Non iustificatur coram Deo omnis caro. Quid ergo? sine causſa laudatur à Domino? At Deus nihil imprudẽter agit. Vnica ergo causſa quare Hiob tantopere laudetur, fides est, qua quis corã Deo iustificatur. Nihil enim in conspectu Dei mundũ est aut purum præter Verbum suum, quod est Iesus Christus. Sola autem fides Verbum adripit, Christum capit. Proĩde ubi Christus inuenitur à Domino, ibi inue-

nitur iustitia, sanctificatio, redemptio, et sapientia. Si quidē Christus factus est nobis à Deo sanctificatio. 1. Cor. 1. Aduerte itaq; diligenter, sanctos nō cōmendari propter opera, quæ semper impura sunt, ut pannus menstruatæ, sed propter fidē, quæ purissima ex Verbo est: operatur aūt impura opera, propter carnis instrumenti sordes. Quemadmodū si luminoso lumini, tenebricosum uitrū obieceris, pellucet quidē lumen, sed obscure, propter uitri obiecti opacitatem: ita fides purissima est, sed impura in carne sunt opera eius, propterea quòd caro gentilitio morbo sordidata sit.

Opera bona immūda sunt propter carnem.

NVNQVID GRATIS TIMET. &c.

Calumnia.

Calumnia est, si bona aut media, male interpreteris: An malum est domum habere opibus plenam? an facinus est ampla possidere? Nonne opes, donum Dei sunt? quæ abutenti quidem obsunt, sed bene utenti prosunt. Proinde diligenter consydera calumniatoris malignitatem, qui reprehendit, ac male interpretatur, id quod ex se nec bonum nec malum est, sed fit uel bonum uel malū, ex utentis ratione. Calumnia hæc, etiā apud nos frequens est, aiunt enim: facile huic licet Euangelico esse aut Euāgelion profiteri, quod domū habeat opibus plenā, & amplo stipendio uiuat. Absit aūt à pijs mentibus calumnia, si enim mala proximi uideris, inter te & ipsum solum corrigenda sunt, apud alios aūt cælanda: sin bona, apud alios cōmendanda

sunt

sunt, apud ipsum uero cælãda, ne infletur fastu elatus

SI NON IN FACIEM TVAM BENEDIXERIT TE &c. Iurandi forma, in scriptura familiaris, ut Psal. 88. Si Dauid mentiar &c.

ECCE OMNIA QVAE POSSIDET. Principio notabis Sathanã, nec capitis capillũ posse mouere citra uoluntatem Domini, Matt. 8. Mitte nos in gregem porcorũ: quod si Sathan nihil iuris in porcos habuit, quanto minus in homines? Deinde tentari sinit Dominus suos, ut probentur, Sathan uero tentat, ut perdantur. Hiob enim à Domino tentatur, ut clarior fiat fides eius (quanq̃ interim in iudicio labascat, sed in maiorem sui resurrectionem) tentatur aũt à Sathana, si quo modo eũ è fide & Verbo eijciat. Sic Abraham tentatus est, Gen. 22. ut probaretur, et Deute. 13. Tẽtat uos Dominus Deus, ut palàm fiat, utrũ diligatis &c. Hinc intelligis, quod Iacob ait: Deus neminẽ tentat, scilicet ut perdat, sicut Sathan: tentat aũt, ut probatos nos declaret. Postremo quod additur

TANTVMMODO IN IPSVM &c.

Docet tentationes habere suos terminos, nã ut est 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non sinit uos tentari &c. Non enim possunt adflictiones, ultra terminũ suum progredi. Et ut mare, suis limitibus circũscriptum est, Hiob. 38. ita oẽs cruces, quæ in Scriptura per mare significantur, suos habent fines, ultra quos progredi non licet.

EGRESSVS EST SATHAN.

Hoc est, machinatus est in Hiob tentationes, non ut probet, hæc enim diuinæ tentationis ratio est, sed ut perdat & conculcet.

Et factum est quodam die, quum filii & filiæ eius biberent uinum in domo fratris eorum primogeniti.

Nūcius uenit ad Hiob, & dixit, Boues arabāt, & asinæ pascebāt ad manus eorū.

Ad manus, id est, iuxta. Synecdoche ē scripturæ familiaris Schēba percusserunt. Sicut, turbaruunt.

Et irruit Scheba, & abegit ea, & adolescentes percusserūt in ore gladii, & euasi duntaxat ego solus, ut adnunciarem tibi.

Illo adhuc loquēte, uenit alius & dixit, ignis Dei decidit de cœlo, & cōbustis ouibus, adolescentes etiā deuorauit, & euasi duntaxat ego solus, ut adnunciarē tibi,

Adhuc illo loquēte, alius uenit, & dixit, Chaldęi instruxerūt tres acies, & ipetū fecerūt in camelos, ac rapuerūt eos, & adolescētes pcusserunt in ore gladii, & euasi duntaxat ego solus, ut adnunciarē tibi.

Adhuc illo loquente, uenit alius & dixit, Filiis tuis & filiabus edentibus ac bibentibus uinum in domo fratris eorum primogeniti, Ecce

Ecce uentus magnus uenit e regione deserti, & concussis quatuor angulis domus, deiecit eam super adolescentes, & mortui sunt, euasi autem duntaxat ego solus, ut adnunciarem tibi.

CVM FILII ET FILIAE EIVS BIB.

Liberi Hiob hilare conuiuantur, iudiciũ Dei ne suspicantes quidem: ecce aũt in medijs cõuiuijs dum longe aliud cogitant, uenit subitum domini iudicium: ut agnoscas hanc perpetuam Domini cõsuetudinẽ, quod supplicio suo, hominibus nihil dum tale expectantibus & securissime uiuentibus præsens adsit, Lucæ. 17 Sicut adcidit in diebus Nohe & Loth, edebant & bibebant &c. sic erit in aduentu filij hominis. 1. Thes. 5 Dies Domini, ut fur in nocte (nobis nõ expectãtibus) ita uenturus est, quum enim dixerint, pax & securitas (id est, cum securissime, citra timorem iudicij dei, uixerint) tunc repentinus eis imminet interitus &c. Huc pertinet parabola, quæ est Matth. 24. de seruo furcone & percussore, & 25. de uirginibus dormientibus. Origenes conuiuiũ filiorum Hiob iustificat, abundet sane ille suo sensu, quando non impie, sed forte huic loco, non usque adeo commode, sentiat.

Imminente iudicio Dei, impij securissime uiuunt.

IRRVIT SCHEBA.

Scheba filius est Reima filij Chus, filij Cham, Sabea-

filij Noha, unde fœlix Arabia, Sabea regio dicitur aliâs Thurifera.

NVNCIVS VENIT. Verißimum eſt, quod uulgari Apophthegmate effertur, Nulla calamitas ſola. Ea enim ueræ tentationis natura eſt, ut nihil ſpei, nihil conſolationis, nihil auxilij in rebus humanis relinquat: quod ſi ſemel cœperit in nos graſſari, non deſinit, niſi ex oculis noſtris omnia humana aſyla abſtulerit. Perditis bobus & aſinabus, adhuc ſpes erat in ouibus: ablatis etiam ouibus, aliquod ſolatium erat in camelis: ſed & his abactis, reſtabat conſolationis non nihil in liberis ſuperſtitibus, nec tamẽ illis quoq; parcitur, breuiter, nihil externorũ bonorũ uideas ſuperare. Porrò in hac tentatione & Dominus ſuum habet conſiliũ, & Sathan ſuum. Domini conſilio, crux probat & ſanctificat, abripiturq; à pijs, quod ante donatum erat, ne adſueſcant potius in dona, quã in datorem confidere. Abrahæ filius erat donatus dilectißimus, & unicus, iubet Dominus, ut immoletur, non quia odore immolati hominis gaudeat, ſed ut Abrahã ſanctificaretur, & diſceret, ſpem ſuam, non in donũ, ſed in donatorẽ collocare. Egrediẽtibus ex Aegypto Iſraëlitis, aufertur omne humanũ auxiliũ, periculo ex omni parte imminẽte: ex altera hoſtis terribilis erat, ex altera horriſonũ mare, ex altera montes inacceſſi. Hæc aũt omnia ideo fiunt, ut cruce preſſi, diſcamus, non

Vera tentatio omnia præſidia eripit ex oculis noſtris

Tentat dominus ut probet & ſanctificet

nõ in carnẽ, nec carnalia dona, nec etiã ſpiritualia cõ fidere, aut gloriari, ſed in ſolum Dominum, Hiere. 9. Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, ſed qui gloriatur in hoc glorietur noſſe me &c. Non eſt mala ſapientia, non eſt mala fortitudo, ſed eiuſmodi ſunt, ut eis ſit utendum, non cõfidendum. 1. Corin. 7. Qui emũt tanquã non poſſideant. Proinde rectiſſimo Dei cõſilio, Hiob omnibus ſuis bonis carnalibus priuatur, ut diſcat uoluntatẽ Dei, quæ eſt, in ſolum Deum datorem, reſpiciendum eſſe, non in dona. Satanæ autem conſilio hæ tentationes fiunt, ut dimoueatur, non ſolum à donis, ſed etiam à datore: hoc enim aſtu adgreditur pios, ut ereptis donis, eripiat & ipſis Dominũ, uel per blaſphemias, uel per cõtumelias, uel per impatientiam, uel id genus ſcelera.

Vtendum donis eſt, non confidendũ.

Satan tentat ut perdat.

REMANSI, uel, EVASI SOLVS, &c.

Iudicante Domino, nulla creatura conſiſtit: fluit quicquid eſt rerum à facie domini, quaſi cæra à facie ignis, & quaſi fumus à uẽto diſſipatur. Proinde ſi reliquiæ ſuperarint, non ipſarum merito fit, ſed, uel ut ſint miſericordiæ Dei exemplar, Rom. 11. uel ut ſint, qui adnũcient iudiciũ Domini. Sic unicus Hiobis ſeruus, euaſi inquit, ſolus, non meo merito: cur ergo? ut adnunciarem tibi iudiciũ Domini. Ezech. 12. Relinquam ex eis uiros paucos, à gladio, fame & peſte, ut narrent eorũ ſcelera in gentibus, id eſt, ut narrent iu

Nulla res conſiſtit iudicãte Domino.

Quare reliquiæ paucæ.

dicia Domini propter scelera inflicta. Præterea sup-
stites serui, sic affabre factũ narrant, ut subinde gra-
uior fiat tentatio: oportet enim in tentatione oẽs ui-
res cõcuti, ne ulla humanarũ rerũ spes relinquatur.

Et surrexit Hiob, ac disrupit uestimẽ-
tum suũ, euulsa coma capitis sui, & quũ
cecidisset super terram, adorauit.

Et dixit, nudus exiui de uẽtre matris
meæ, & nudus reuertar illuc, Dñs dedit,
& dñs abstulit, sit nomẽ dñi benedictũ.

In omnibus istis non peccauit Hiob,
& non dixit insulsum contra Deum.

DIVERSA LECTIO.

Quòd nostra tralatio habet, stultum, Hebræis est
quòd significat insulsum, imprudens.

ET SVRREXIT HIOB, ET DIS-
RVPIT &c. Quid uestimentorum diruptio,
& capillorum euulsio, signá ne sunt pacientiæ? in-
sani citius signa dixeris, quàm patientis. Origenes
rhetoricatur dicens, Hiob ideo disrupisse uestimen-
ta, & capillos euulsisse, ut nihil apud eum remane-
ret ex his, quæ in potestatẽ nequitiæ Satanæ, tradi-
ta erant. Atqui, uestimentorũ diruptio, ueteribus lu-
ctus, doloris, & repẽtini horroris signũ fuit, quo te-
starẽtur animi turbationẽ. Sic & Hiob, auditis nun-
cijs, de clade, non tã bonorũ quã liberorũ, carne tur-

Diruptio uestimentorum carnis est impatienter ferentis crucẽ.

batus, uestimẽta disrupit, quã tamen turbationẽ mox spiritu Verbi domuit: solet enĩ in cruce caro tumultuare, ac insanire, domatur autẽ Verbo & fide, Ro. 8. Si spiritu facta carnis mortificetis, uiuetis. Et alibi, Spiritu ambulate, & desideria carnis nõ perficietis.

NVDVS EGRESSVS SVM.

Fidei uox, sed & carnis cõquestio est, qd' natura homini tristior nouerca, quã melior parẽs fuerit, hũc enim alienis uelat opibus, cæteris animãtibus uaria tegumẽta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, ullos, setas, pilos, plumã, pennas, squamas, uellera. Truncos etiã, arboresq; cortice interdũ gemino, à frigoribus & calore tutata est: hoiem tantũ nudũ, & in nuda humo, natali die abijcit, ad uagitus statim & ploratũ, nullumq; tot animaliũ aliud, ad lachrymas, & has protinus uitæ principio. At, hæc carnis conquestio, morosior est, quã fidelior: nã fides, ut maxime nihil rerum externarũ, quod nostrũ, qd' propriũ sit sentiat, & oĩa externa bona aliena esse iudicet, uidet tamen summas diuitias, omnẽq; plenitudinem, quia Dominũ esse SVVM uideat, nudi enim abijciamur, quòd etiamsi multa possideamus, omnia tamen abneganda sint: ditissimi autẽ sumus, qd' per fidẽ in Domino, oĩm rerum abundantiã, & thesaurũ habeamus 2. Cor. 6. Nihil habentes, & omnia possidentes: An tu nudũ dixeris, qui in manũ opulentissimi

Hæc Plinij sunt, lib. 7. cap. 2.

Domini ê terra & plenitudo eius, q̃ habet Dominum, omnia habet cũ illo.

Psal. 21. domini statim, ut per fidem nascitur, irrepit: adde,
1. Corint. 10. quòd non solum quum renascimur, sed & quũ nasci-
mur, propinquissimũ dominũ habemus. Vnde Psal.
21. dicitur, Tu es qui extraxisti me de uẽtre, spes mea
ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero:
quòd si proijcimur ab utero in Dominũ, quis nũc
est conquestionis locus, quòd nudi nascamur? an ut
quã magis curamur, quã adhuc in matris utero ex-
stentes? post, in cunis uagientes, curant quidem tum
parentes, at quis alius eam curam subministrat, qui
Dominus, qui in parentibus, suam pro nobis solicitu-
dinem declarat? Iam si tanta liberalitate, dominus se
se effundit, nobis adhuc ignorantibus, quanta muni-
ficẽtia tractabit eos, qui Verbo suo ipsum agnoscũt?
Quòd igitur Ethnici conquerãtur de nuditate hoĩm
infidelitatis est: quòd autẽ Hiob se nudũ ex utero ma-
tris egressum testatur, fidei est, quæ omnia extern
Domino resignat, satis interim habens, si modo Do-
minus non auferatur. Celebre est etiam Stilponis di-
ctum, huic loco non incõmodum, nam quum Demo-
Stilpo. trius, Megarensium urbẽ cepisset, Stilponem inte-
rogasse dicitur: ecquid suarum rerum direptum e
set? ad quem ille, neminẽ inquit, mea auferentẽ uid
omnia mea mecum porto. Magnifica uox Ethnici
magnificentior si tanta fide, quanta carnis iactantia
prolata esset?

DOMI

DOMINVS DEDIT. Confitentiũ in Deum, non in dona, confessio. q. d. etiamsi omnia ablata sint, Dominus tamen nondum ablatus est: non enim cameli, oues, aut liberi, dominus mihi fuerunt, sed aliena: Domini, non mea, sunt: Dominus sua accepit, nihil mearum rerũ mihi ablatum est. Quid? Dominus ne abstulit, quod à Satana per Sabæos, per Chaldæos crudeles factum est? Fidei naturã expressissime uides: hæc enim in cruce non respicit uel ipsam crucẽ, quæ potius perdit, uel ministros crucis, qui citius ad indignationẽ, quàm patientiam prouocant, sed Dominum respicit, cruci, bona sua uoluntate, nos adfigentem. Impius contra, in afflictionibus non respicit Dominũ cruci adfigentem, sed uel ipsius crucis grauitatem, proinde desperat; uel ministros nobis inimicos: proinde ad maledicta, & animi amaritudinẽ uertitur. Præterea tentatio quæuis, & à Domino & à Satana fit, ac hoc ut pdat & ꝑdat, ab illo ut ꝓbet, & suam uoluntatem doceat. Itaq; fides, ut bona è manu domini adcipit, ita & crucem: qui enim è manu Satanæ crucem susc ipit, in sui pditionẽ susc ipit, qui uero è manu domini, in sui probationem.

Confessio est piorũ, sicut Iudæis in primitijs obseruandum erat. Deut. 26.

Fides, in cruc sustinet dominí bonã uoluntatem, cætera ferre sapienter.

SICVT DOMINO PLACVIT, ITA FACTVM EST. Non est in Hebræo, sed tamẽ non ociose adiectum, non enim sufficit crucem è sola Domini uoluntate susc ipere, nam & impij fatentur,

Impij crucem agnoscunt ut iram Dei, pij benevolentiã Dei sciunt.

crucem à Deo obtrudi, sed suscipienda est è beneplacito, è bona uoluntate Domini. Quod si in cruce non agnoueris, benignam & beneuolentem percutientis manũ, nunq; candide feres eam. Sed quæ est bona Domini uoluntas in cruce? Hæc est, crucifigit dominus, ut resurgere faciat, percutit ut sanet, occidit ut uiuificet, tristes reddit, ut lætificet. Satan contra, percutit ut perdat, occidit ut in morte detineat.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM Hæc uera laus Domini est, quæ in nocte in tribulatione cantatur. Impij tantisper laudãt, dum beneficia adcipiant, iuxta illud: Confitebuntur tibi, quando beneferceris ei, abeuntibus beneficijs, abit & laus. Pij autem clamant: Media nocte surgebã ad confitendum tibi (id est, in media tribulatione) ut enim qui in proteruum canem lapidem librans, quum ab illo aberrans nouercam non destinato percussisset, ut hoc quidem inquit modo, male: sic & si contra uoluntatem nostram, aliquid retrorsum quàm uolumus, cadat, emẽdare, aliorsumq; uertere licet. Israël exulat, & opprimitur in Aegypto, sed ne sic quidem male, quia quanto magis opprimebantur, tanto magis multiplicabãtur & crescebant. Dauid expellitur è regno sed ne sic quidem male, quia nota fit eius fidei magnanimitas. Hiob spoliatur omnibus bonis, sed ne sic quidem male, quia hæc crux, laudem Dei excitat: nunc igitur

Pijs, bono alicui quo uertitur crux.

igitur res male pijs cadit, etiamsi peßime cadit, quia semper cruce eruditũtur, ut sibi ipsis manifesti fiunt.

SED IN OMNIBVS IIS NON PEC.

Nondum dominus ablatus est, sed sola domini bona, mediocri autem molestia tuleris, si omnia auferantur, modo dominus, bonorum thesaurus, maneat. Sepone & ipsum dominum, sola cruce obiecta, uidebis, quid non blasphemiarum in hominis corde surgat.

CAP. II.

ET factum est quodam die, quũ uenissent filii Dei, ut consisterẽt corã Domino, uenit etiã Satan in medio eorum, ut consisteret coram Domino.

Et dixit dominus ad Satan, unde uenis, respondens Satan Domino, & dixit, circumeo terram, & perambulo eam.

Et dixit Dominus ad Satan, nunquid aduertisti animũ tuum, ad seruum meum Hiob, quod nõ sit similis ei in terra uir integer & rectus, timens Dei, & declinans a malo, & adhuc mordicus tenens innocentiã suam, tu autem incitasti me, ut perdiderim eum sine caussa.

Parẽthesis in textu, significat eã dictionẽ ĩ Hebræo non haberi, sed tamẽ sensui commodam.

Respondés Satan Domino, dixit, Pellem pro pelle, & omnia quæ quispiã (habet) dabit pro anima sua.

Veruntamen extensa manu tua, tange os suum, & carnem suam, si non in faciem tuam benedixerit tibi.

Et dixit Dominus ad Satan, ecce ipse (est) in manu tua, tãtummodo animã eius custodi.

PERDIDERIM EVM SINE CAVSSA. *Quid? An ne sine caussa Dominus, qui est sapientissimus, adfligit? an aliquis est, qui unquã à domino immerito perijt? Quis enim est, qui non uel multos infernos propter peccata sua meruerit? quid ergo est illud, sine caussa? Aliud est esse sub lege, aliud esse sub Euangelio. Lex omnes cõcludit sub peccatũ, omnes damnat & occidit. Proinde, quodcũq; supplicium adhuc sub lege existentibus nõdum Euangelio renatis, adciderit, iuste & merito adcidit, propterea quòd iusta sit pœna, quæ peccato infligitur. Euãgelion uero, credentes à peccato soluit, adeoq; offert oĩa Christi bona, sanctificationem, iusticiam, redemptionem. Fides, ut magnes ferrum, ita bona Christi per Euangelion oblata, ad se adtrahit. Quæcunq; igitur calamitas, per Euangelion in Christo renatis adciderit,*

derit, immeritis & insontibus adcidit, quando iam p fidem iustificati, purificati, ac innocentia Christi circundati sint. Itaq; in adflicto, si respexeris legem uel peccata, merito adfligitur: sin Euangelion uel fidem, immerito adfligitur: neq; tunc supplicium, sed potius CRVX dicenda est. Quemadmodum enim Christo partim iustissima caussa, quia peccata multorũ tulit, & maledictionem legis pro omnibus credentibus subiit: partim iniustissima, quia nullum unquã peccatũ fecit, nec in eius ore dolus inuẽtus est, mors illata est: ita pij, partim meritissime adfliguntur: quia si iniquitatem obseruaueris domine, domine quis sustinebit? &, non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens: partim uero immerito, quòd per fidem eiusdem, cum Christo capite suo, innocẽtiæ & iusticiæ participes sunt. Igitur quòd Dominus fateatur, se Hiobem sine caussa adflixisse, non in legẽ & peccati maledictionem, respicit, sed in Euangelion & in fidem, quã in Hiob, se donante, inuenit. Est autem hoc libri huius THEMA, Dominũ sine caussa adfligere piũ cruce.

Crux innocẽtibus, sed nocentibus est supplicium.

Esaiæ 53.

PELLEM PRO PELLE &c.

Rursum Satan agit, quod suæ malignitatis est, male enim interpretatur id qđ optimũ erat, dicẽs, Nõdũ uideo innocentiã Hiobis, nec dum uera eius iusticia in his tentationibus probata est, quãdo, & in gẽtibus incredulis, hos inuenĩ mores, quæ ut corpus

Status disputationũ Hiobis & amicorum eius.

redimant, ferrum patiuntur & ignes. Et quemadmodũ si quis tempestate aliqua in mari obruitur, omnia in pelagus abijcit, modo uitã seruet, ita Hiob oues, boues, asinas, camelos, liberos, facile relinquit, præcute sua & uita. Quid igitur amplius facit, infirmo patiente ferrũ, nauta, aut mercatore quopiã, uitæ auaro? Sed audi ô Satan, Gentiũ quidem iustitia est, pellẽ pro pelle dare, at Dominũ in aduersis laudare, id qđ Hiob facit, non est nisi piorum. Sicut gentium iustitia est, benefactores diligere, quod nec ipsum malum est at solius Christiani est, diligere malefactores.

ECCE IN MANV TVA.

Traditur Satanæ potestas in corpus Hiob, ut probatior, non abiector reddatur, sed rursum ponitur terminus cruci, & potestas Satanæ definitur, ut scias eum, ultra præscriptum & concessum, nihil posse, inquit enim, animam eius custodi, id est, uitæ nihil noceas, animam enim hoc loco pro uita corporali sumitur.

Et egressus est Satan a facie domini, & percussit Hiob pustula mala, a planta pedis, usq; ad uerticem, & adcepit sibi testam ad scalpendum se, & ipse sedit in medio pulueris.

Et dixit ei uxor sua, quousq; perduras in innocentia tua? Benedic deo & morere.

Et dixit

Et dixit ad eam, loquuta es, quasi una de stultis mulieribus, si bonum suscepimus a Domino, malum cur non suscipe remus? In omnibus istis, non peccauit Hiob labiis suis,

QVOVSQVE PERDVRAS? Grauissima tentatio de cura & prouidentia Dei, est enim sensus. Quousq; stultus es, putásne Deum curare mortalia? nam si uel mica prouidẽtiæ rerum, aut curæ priorũ in Deo esset, quî fieri posset, ut tam horrendi cruciatus tibi acciderent? putas ne pateretur dominus, ut tam crudeliter adfligereris? quid Deũ imploras? quid perduras ĩ simplicitate, imò in fatuitate? Deus sua curat, interim hoĩbus nec bene, nec male facĩes, sine igitur Deũ, tu tua cures, si uel morte è tantis malis eruaris, stultus es, qui existimes te habere propitiũ Deum, in tãtis calamitatibus, dic Deo uale, & malorũ finis erit. Vides hoc loco, quantũ mali sit uxor impia? nã aliâs uxor à domino datur, ad communes labores ferẽdos, & ut Scriptura ait, in adiutorium. Sed ecce Hiobi fit scandalum & blasphemum Sathanæ instrumentum: adeoq; impiæ carnis præco est, quæ hãc blasphemiã agnatam habet, ut in adflictionibus Deum aut mortuum, aut rerum humanarũ negligentem existimet, & diffidẽtia salutis diuinæ, ad proprias uires, industriã, studiaq;, confugere suadeat, Treno. 3. Ex ore altissimi non egredientur, nec bona, nec mala, Ezech. 8.

Tentatio de prouidentia Dei.

Blasphemia rationis carnalis.

Quisq; in abscondito cubilis sui: dicunt, nõ uidet Dominus nos, dereliquit dominus terrã. Quòd si cui libuerit, uideat apud Origenẽ huius impiæ uxoris blasphemias, & muliebrem cõquestionem, artificiosissime tractatam.

SI BONA SVSCEPIMVS &c.

Bona à Domino.

Mala sunt à Satana.

E manu domini & bona & adflictiones ueniũt: hæ, ut probemur: illa, ut in bonis terræ, bonorũ cœlestium gustũ habeamus. Porrò, adflictiones, malæ dicuntur, nõ ex se, sed pro cõmuni opinione, quod eni è manu Domini uenit, non est malũ. Fit autẽ malum, aut ex Satana, aut ex homine per Satanã seducto, & bonis domini rebus male abutenti. Paupertas bona est, quia à Domino, testante Salomone, Prouer. 17. Qui ridet pauperẽ, conuicium facit factori eius, fit autẽ mala, quia ab impio male recipitur. Sic infirmitates, & adflictiones, bonæ sunt, si fide: malæ, si infidelitate receperis. Neq; hoc solum de adflictionibus uerum est, sed & de omnibus Dei donis, ut sunt diuitiæ, potentia, gloria, sapientia &c. imò & de ipso Deo. Nam ut bona sunt dona pio, impio uero mala, ita Dominus cum sanctis, sanctus est, cum peruersis peruersus, Psal. 17.

IN OMNIBVS HIS NON PECCAVIT.

Hactenus Hiob perdurauit constans, bonorũ direptione, corporis plagas, fortissima fide sustinens. Præterea,

Præterea, carnis impiæ, hoc est, uxoris tẽtationes de prouidentia Dei, superans, non suis uiribus, sed manu domini suffultus, & quod alioqui homini impossibile fuisset, hoc per fidẽ in Dominũ, nõ modo possibile, sed & facile factu est. Post autem, Domino se subtrahente, ac in corde pij sese occultante, ad hæc horrore mortis, sine ullo cõsolationis Verbo ob oculos posito: postremo, amicis optimis & sapiẽtissimis iuxta carnem uiris calumniantibus, longe alia, quã laudes Dei, & gratiarum actiones à tam honorifice laudato, audies. Iudicium Domini.

Et audierunt tres amici Hiob, omne malum quod uenerat super ipsum, & uenerunt, unusquisq; de loco suo. Eliphas Themanites, & Bildad Suhites, & Sophar Naamathites, & decreuerũt secũ, ut irẽt ad condolendũ ipsi, & consolandũ eum.

Et sublatis oculis suis procul, nõ agnouerunt eum, leuataq; uoce, plorauerunt, disruperũt unusquisq; uestimentũ suũ, & sparserũt puluere sup capita sua sursũ.

Et consederũt cum ipso ad terrã septẽ diebus & septẽ noctibus, nec loquuti sunt cum eo quidquã (propterea) quod uiderent maximum esse dolorem.

AVDIERVNT TRES AMICI &c.

Neq; amici, neq; honestas morũ doctrinam satis probant, Deut.

Ea demum uera est amicitia, non ollis aut patinis conciliata, quæ in aduersis æque, ut in prosperis, perdurat: fœlicitas quidem multos connumerat amicos, infœlicitate aũt, uelut aurum igne probantur. Quod igitur ad ueram amicitiæ rationem pertinet, nihil potes in amicis Hiob reprehendere, specimen enim candidi pectoris, etiam in aduersitatibus exhibent, conueniunt, uisitant adflictũ, cõpatiuntur, cõplorãt, uestes disrũpunt, spargunt puluerẽ super capita, considunt in terrã. Quod si tanto cãdore docuissent, quanto amarunt, nemo ferè ipsis magis pie docuisset. Iam uide, quãto periculo è uita cuiuspiã honesta, doctrinã eius iudicaueris. Si enim horũ uirorũ doctrinã, et orationes, quibus Hiob aduersantur, ad uitã & charitatis opera honestißima, exegeris, optimas dices: contra, si Hiobis doctrinã, ad importunitatẽ eius cõferas, falsam dixeris. Aliter spiritus domini iudicat, dicens ca. 42. Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos quoniã nõ estis loquuti rectũ, sicut seruus meus Hiob.

AD CONDOLENDVM.

Vt congratulatio prosperitatibus cõmunicat, ita cõdolẽtia tribulatiõibus: habere enim q̃ condoleãt, non mediocre adflictis solatiũ exhibet: & ut facilius fert onus, q̃ supposito alterius hũmero adiuuatur, ita facilius fert adflictiones, qui cõdolentẽ sortitur: unde

&

& Paulus ait: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flẽtibus &c. Adeoq; hæc est uera ecclesiæ cõmunio, quod habeat cõmunes & fœlicitates & adflictiões.

SPARSERVNT PVLVEREM &c.

Sic Iosue 7. audito cladis nuncio, scidit Iosue uestimenta sua, & seniores miserũt puluerẽ super capita sua. Sunt enim hæc signa cõsternatæ, hũliatæq; mentis, nec mirũ qd' nondũ reuelato Euãgelio, his signis uetustas usa fuerit, quãdo oportebat & legẽ & legis signa cõcordia esse. Lex occidit & in puluerẽ deducit, dicẽs: Puluis es, & in puluerẽ reuerteris: proinde hũliatus cõmode puluere adspergitur, ut etiã exteriori larua, se esse qd' est, declaret. Euãgelion uero, induit nos uestimẽtis gloriæ: induit Christo, puluerẽ abstergẽte, ut iã nõ puluerulẽti, sed cœlestes simus: Conuersatio nostra, inqt Paulus, in cœlis est. Coruscante itaq; Euãgelio, & lex & legales umbræ abcesserũt.

NEC LOCVTI SVNT &c. Et hoc prudentiæ est, adflicto importunitate non esse molestum, importuna enim beneuolentia, ut prouerbio dicitur, nihil ab inimicitia distat, & medicus, seu mauis, consolator loquax, nouus morbus ægroto est.

ELIPHAS THEMANITES.

Gen. 26. Esau genuit Eliphas, Eliphas genuit Theman, q regioni nomen dedit, unde forte hoc loco Eliphas Themanites dicitur. Et Gen. 25. Abraham ex

Cetura suscepit Suha, qui similiter regioni nomẽ dedit. Vnde Bildad Suhites dicitur. De Naamath nihil certi constat: Fuerunt autẽ isti regionũ principes, sicut & Hiob, ut ex græca tralatione intelligere licet: Ita enim habet Græcus, ἐλιφὰζ ὁ θαιμανῶν βασιλεὺς, καὶ βέλδαδ ὁ σαυχαίων τύραννος, σωφὰρ ὁ μιναίων βασιλεὺς, id est, Eliphaz Themanorũ rex, & Beldad Sauchæorũ tyrannus, Sophar Minæorum rex. Reor autem apud suos, tali loco fuisse, & Hiobem & amicos, quali apud nos habẽtur comites, aut, ut uocant, barones, seu principes.

CAP. III.

POst hæc adperuit Hiob os suũ, & execratus est diem suum.

Euictæ sunt ab Hiob grauissimæ tentationes, non suo marte, sed Domini præsentia: nũc autem ablatis diuitijs, liberis, & sanitate, Dominus patrem & præsentiã suam occultat, ac subtrahit Hiob: interim obiecto mortis iudicio iudicẽ, imò carnificẽ agens, non ut perdat: sed primũ, ut toti mundo declaret, priores uictorias suas, non Hiobis fuisse: Dein, ut doceat, quid sit homo quantũcunq; pius, sine Deo patre, nisi ei Deus patrẽ egerit, actum est, non solum de peccatoribus impijs, uerumetiam de uniuersis sanctis: omnia propi-

In tentatione dante Domino, persistit homo.

propitia erunt, uel ipse infernus, si Dominus patrem agat: sin iudicem, omnia habebis aduersa, uel ipsum cœlum. Quid igitur in iudicio agendũ? non desperandum, quod pater recesserit? Absit, nam in hũc usum, Christus dilectus Dei filius, propositus est, adeoq; in nostram infirmitatẽ coniectus, ut uinceret, & nos in se uincere doceret. Audis Christũ clamantẽ in cruce, DEVS MEVS, VT QVID ME DERELIQVISTI? Quid uero hoc? nam quum Christus, naturalis Dei filius fuerit, potuit ne unq̃ à Domino Deo suo derelinqui? nonne ait, EGO ET PATER VNVM SVMVS, EGO IN PATRE, ET PATER IN ME? Age Christũ suum Dominus nunq̃ dereliquit, nunq̃ ab eo uel latũ unguẽ discesßit, sed interim patrem agit, interim iudicem. Exemplo res manifestior fit: de Lucio Bruto, scribit Valerius, filios suos, Tarquinij dominationem, à se repulsam, reducentes, cõprehensos, proq̃ tribunali, uirgis cæsos, & ad palum religatos, securi percuti præcipiente, exuit, inquit, patrem, ut consulem ageret. Quid? potuit ne Brutus unq̃, quod pater esset suorũ filiorũ, abijcere? factũ, infectũ, fieri nequit. Quomodo ergo patrem exuit? nihil paternæ σοφγ̃ας (pietatis) exhibuit, nullã patris humanitatẽ ostendit, sed seuerũ duntaxat consulem. Ita Christus clamat se derelictũ, quia Dominus obiecto mortis iudicio, solũ iudicem egit,

In iudicio domini, quando relinqtur homo ab omni auxilio dei destitutus, blasphemat.

Lucius Brutus.

Deus derelinquit.

abscõdens interim paternã σοργὴν: id quod scriptura, nũc derelinquere, nunc obdormiscere uocat. Iam, tu quisquis es, ô HOMO, quum audieris Christum clamantem, DEVS MEVS, VTQVID ME DERELIQVISTI? tuam ipsius uocem agnosci to in Christum tralatam, ut in eo uinceretur: alioqui enim, nisi hæc nostra blasphemia, qua in medijs tribulationibus clamamus, nos præsentißimo etiãnum Domino derelictos, tantũ nõ desperantes, in Christo deuicta esset, nihil obstaret, quin unà cum impietate ea in infernũ detruderemur: nam ut Dominus, Christo filio suo, semper præsentißimus adest, ita à pijs, nunq̃ abest. Vt quid igitur clamant, quasi desperabundi, se torta, sed in Christo uicta. Eadem iudicij ratione, tractatur Hiob: in prioribus enim tentationibus sensit Dominum adhuc PATREM, & manum suam supponentem: proinde facillime constitit, super firmam petrã fundatus, nunc aũt occultato PATRE, atrox mortis iudicũ, proponitur. Non igitur audis amplius gratiarũ actiones, sed blasphemias & execrationes, ut discas solũ Dominũ, bonum & ueracẽ, omnem aũt hominem, quàmuis pium & iustum, mendacem esse: nec sine prudẽtißimo Domini consilio fit, quod pij interim in tentationibus constent, interim in iudicio labascant. Primum, ut in constantia bonitas Dei declaretur:

Christus pro nobis uicit in iudicio.

Pij uincũt, in tentatione, interdũ uincuntur, bono Dei consilio.

retur: dein, ut ex lapsu adsuescant, Domino constantiæ donum adceptũ ferre, ac non tam ipsi, quàm nos omnes, manifesta experientia uideamus, in tentationibus, constantiã Domini opus esse, non nostrarũ utriũ: nam & hac caussa, omnes cõcludit scriptura sub peccatum, ut Deus omniũ misereatur: hoc est, solus glorificetur, & ipsi soli, quicquid est salutis, adceptũ feratur, adeoq; ex multis peccatis, lapsibus & blasphemijs, multa agnoscatur Dei misericordia, & gloria. Blasphemabimus ergo, & labemur, ut glorificetur Deus? Absit. Eadem habes apud Paulũ Ro. 6. Manebimus in peccato, ut gratia abundet? prædicarat enim multa peccata, multã Dei misericordiam cõmendare: at nõ ideo peccandũ esse, seu blasphemandum, quod ex multis blasphemijs, Domini gloria cognoscatur, nisi forte quis iubeat, imbecillem esse & infirmum, si docuerit infirmitate graui, declarari glorioſam medici artem. Mala est blasphemia, sed ex hoc malo elucescit, quanta maledicentis uanitas sit, & solũ Dominũ esse bonum. Porrò, nõ aliunde, certius cognosces, natiuum cordis nostri ingenium, quàm domino iudicem agente, patrem abscondente: nam cor nostrũ, utpote à Sathana captiuum, & natura iræ filius, nõ est nisi lerna κακῶν ἰλιάς malorũ, de corde enim, inquit Christus, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra &c. Si exeunt, inesse oportet. Verum enimuero

Dominus bonus é malo bonum facit.

Cor hominis prauum.

hæc tanta mala, cordi agnata, latent interim, non so-
Lex cohibet lum in spiritualibus, ac VERBO renatis, sed etiam
externũ opus in carnalibus, in quibus, quod in externos fructus nõ
pullulent, prohibentur, uel ætate, uel magistro, uel
pœna, uel lege, quæ sic natiuam hominis maliciam co
hibent, ut præter speciosam quandam hypocriseos ho
nestatem, nihil operentur. Lex enim pædagogus, ma
num, os, externosq; mores, honesta reddit, cor non
item, quod data opportunitate, in suos mores erum-
pit: uulpi pellem facile detraxeris, naturã non item:
& lupum, ut maxime à præda deterreas, ab animi ra
pacitate, nunquam deterrebis. In spiritualibus uero
ac Verbo renatis, fides per Verbum, quod caput, ma-
la cordis cohibet, ac purificat, ne in fructus protube-
Fides per Ver rent, Ioan. 15. Mundi estis, propter sermonem: Sic &
bum purifi- Petrus Acto. 15. & 1. Epist. 1. Cor purificatur fide,
cat cor. & obediendo ueritati, unde & Paulus Romano. 8.
monet, ut facta corporis, spiritu mortificentur, ne re-
gnet in nobis peccatum, multo enim omniũ ualidissi-
mum est Verbum Domini, quod si per fidem capiatur
mortificat, etiam in summa tentatione, cordis mala.
Nam cum Verbum omnipotens sit, nihil potentius su
per peccatum regnat. Detrahe autem uel carnali, suũ
pædagogum, legem, uel pœnam, uel spirituali, Verbũ
aut Dominum patrem, & substitue huic, pro patre iu
dicem, illi uero opportunitates, & occasiones cõmo

das,

das, fieri tum non potest, quin uteráq; ad ingenium re deant: neq; est, quod ablato pædagogo, aut Verbo, no ua quædam mala generentur in corde, sed uetera, ante à conceptu agnata, & in cordis officina, hactenus latenter nutrita, promuntur: uel uno exemplo, hoc manifestum fit. Inuidia unicuiq; in utero matris cognata est, per Adam enim, omnes moriuntur: utaq; tanti sper in carnali latet, ne in fructum externum exeat, dum pœna legis cohibet, aut alienis beneficijs obtegitur: deme autem aliena beneficia, ac legis pœnam substituens occasiones, ac uicini cuiuspiam iniurias, tum erumpere etiamnum gestit, quod ante latebat, perinde ut calor è calce, infusa aqua. In spirituali uero, quã doquidem fide in hoc, uel aliud Verbum (EGO REMITTO TIBI, VT ET TV FRATRI REMITTAS) inuidia expurgetur, nõ potest fieri, ut mox obiecta tentatione, in opus erumpat, propterea quod habet Dominũ, in se regnantem, qui Verbo oĩpotente, peccatum cohibet. At remoue etiam, à spirituali Dominũ, & Verbum eius, mox redit & ipse, sicut carnalis, ad ingenium suum. Proinde quod Hiob, nunc obiecto mortis iudicio, maledicit, cum antea, tot mortes sustinens, quot tentationes, benedixerit, ne mireris: non nouum est, quod audis,, quum enim benedictiones audieris, Domini uocem & opus, in Hiob agnoscas: quum uero nunc blasphemias crepet, homu-

Peccata externa cõtingũt, cessante lege, & Verbo.

Ab inuidia exemplum.

Hiob, ante benedixit, nunc maledicit.

nem in iudicio Dei, suis uiribus relictum, scias, & ante quidem, habebat Hiob, Deum benignum Patrem, nunc Deum habet tremendũ iudicem, non ut pereat, sed ut uirtus Dei in infirmitate perficiatur.

APERVIT HIOB OS SVVM &c.

Adperuit, & latius quàm iustum fuerit, atqui sic adperiunt os, quotquot horrendo mortis iudicio adficiuntur, cogit enim ignis infernalis, iudicio Dei accensus, ut adperiatur os, quo flammæ blasphemiarũ efflentur. Eosdem ignes senserunt Dauid, Psalm. 6. & 37. Domine ne in furore, Ezechias, Esaiæ. 38. & Hieremias 20. capite. Iam quum hos audieris dei nati uitatis suæ maledicentes, in tuum ipsius cor descẽdas, & easdem in te blasphemias (licet ante iudicium occultas) esse cogites, sunt enim Hiob et Hieremias, cordis nostri iudicio oppositi, præcones.

Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, cõceptus est masculus.

Dies illa fiat tenebræ, non requirat eum Deus desuper, & non illustret eum splendor,

Obscurent eũ tenebræ, & umbrositas habitet super eum obnubilata, & terribilem reddant eum uapores diei.

Noctem illam occupet caligo, non gaudeat,

gaudeat inter dies anni, in numero mensium non computetur.

Ecce, nox illa sit solitaria, non ueniat gaudium in ea, maledicant ei, execrantes diem, futuri deuastare Leuiathan.

Obtenebrentur stellæ obscuritate sua, expectet lumen & non ueniat, nec uideat palpebras auroræ,

Quoniã nõ cõclusit ostia uentris mei, nec abscondit calamitatẽ ab oculis meis.

DIVERSA LECTIO.

Quod nos legimus, inuoluatur amaritudine, Hebræus habet יבעתהו כמריריים, *id est, terribilem faciant eũ Dæmones diurni. Annotante enim Reuchlino,* מרירי *spiritum æstuantem, furiam infernalem significat: nisi malueris à* במר *deducere, quod calere significat: ut sit sensus, terribilem reddãt eum calores, uel uapores calidi diei. Vbi nos habemus suscitare, Hebræis est* עורר *quod non tam suscitare, quàm suffodere & deuastare significat. Pro, uentris qui portauit me, Hebræus simpliciter habet uentris mei, quod idem est, cũ nostra tralatione.*

Dies & noctes adeoq; omnia maledicũtur à desperatis & Creator illorum.

PEREAT DIES &c. *Vbi nunc est illud: Sit nomen Domini benedictum? Porrò natiuitatis nostræ dies, ex se quidem benedicta est, quia bona creatu*

ra domini. Vidit enim Deus omnia quæ fecit, quod bo na essent. Optat autem Hiob ut pereat, ac maledicit; propterea quod morte ob oculos posita, uideat & sen tiat eum diem, nõ nisi horrendæ mortis initium fuisse. Hæc uero optio, non in creaturam Dei solam, sed & in creatorem redundat, & si exactius cõsyderes, Dei blasphemia est. Origenes & Gregorius utcunq; has maledictiones excusant, nobis tamen ita excusationes recipiendæ sunt, ut gloria Dei non obscuretur.

ECCE NOX ILLA SIT &c.

Quid nox commeruit, quod & illa maledicatur? An quia non concluſit ianuas uentris materni? quasi uero hoc in noctis potestate, & non potius in manu Dei sitũ esset. Sed uides adfectum desperatorũ, omnia maledicunt & blasphemant, etiam innocentissima.

DEVASTARE LEVIATHAN &c.

Leuiathan. Leuiathan, draco marinus est sub cuius nomine Sathan intelligitur, infra Capite 41. & Esaiæ 27. & est sensus: Opto, ut dies illa natiuitatis meæ eiusdẽ sortis sit cũ Sathana, & eiusdẽ maledictionis, Maledicãt ei, qui maledicturi sunt, & cõfossuri Sathanã, id qd ab angelis domini fit, Apoc. 12. Factũ est prælium magnũ in cœlo, proiectus est draco ille magnus serpens.

Quare non de uulua moriebar? (quare) de uentre egressus non perii?

Quare proposuerũt me genubus? quare mamillas suxi? Nunc

Nunc enim dormirem & quieſcerem, dormiſcerem, & requies mihi eſſet.

Cum regibus & conſulibus terræ, ædificantibus deſerta ſibi.

Vel cum principibus, quibus eſt aurũ, quorũ domus impletæ fuerunt argento.

Vel ſicut abortiuus, abſconditus nõ eſſem, ſicut infantes, qui nõ uident lumẽ.

Illic impii ceſſant a tumultu, & illic requieſcunt fatigati labore.

Simul uincti, pacati ſedent, non audiunt uocem exactoris.

Paruus & magnus illic ſunt, & ſeruus manumiſſus a domino ſuo.

QVARE NON DE VVLVA.

Embryon in uulua, mirabili Dei opere fouetur, donec adueniat tempus partus, quo aduenιente, mirabilis puer naſcitur, adeoq; in partu muliebri, nil niſi diuina miracula (quamuis ob familiaritatẽ & frequentiam uileſcant) agnoſcis. Vt enim initio Deus mire creauit & formauit puerum in utero, ita in partu miro modo, in mundum collocat. Sed ecce, hæc diuiniſſima Dei opera, Hiob maledicit, ſic enim adfectus eſt, qui mortem & iudicium Dei, præterea nihil ob oculos uidet. Itaq; cum tanto Dei miraculo naſcamur, ei

Partus hoīs opus Dei eſt mirabile.

in lucem producamur, ut omnibus uiribus nostris, nũ quam queamus Deo dignas agere gratias, derelictus tamen à Domino, opus maledicti & blasphemat. Porrò, mirabilis ille conceptus & partus, nonnulla spei nostræ ancora est, dum ex prioribus beneficijs, colligimus fide, futuram Dei liberalitatem, ut est Psal. 21. In te protectus sum ex utero. Si enim nescientes nos, tanta misericordia complexus est Dominus, ut curarit nondum natos, quanta complectetur scientes & renatos? Ecce autem quod fide constanti spes est, hoc suis uiribus relicto, maledictionis occasio est.

Mirabilis partus hoìs spei ancora.

QVARE PROPOSVERVNT &c.

Genubus gestare, tale beneficium est, ut & matri et Domino per matrẽ curanti, gratiæ pro eo agendæ sint. Præterea mamillis nutriri, ualde mirum est, nam cum infans tenellus, recens natus, cibo solido uesci ne queat, mox paratur in uberibus maternis lac teneritudini infantili commodum. Fides hoc cognoscens, non potest se continere, quin laudes Domino cantet, ac parenti, per quam Deus talia operatus est, humili obedientia obsequatur. At rursum hæc omnia, mortis iudicium sentiens, damnat & blasphemat.

NVNC ENIM DORMIREM &c.

Hoc est. Quod si in matris lacte mortuus essem, tantis calamitatibus non fuissem obrutus, sed quiescerem cum alijs regibus & diuitibus, cum cõsulibus & prudẽ-

prudentibus terræ, qui ut nomen parent, ædificationi student, quemadmodum legitur Gen. 11. Venite faciamus nobis ciuitatem, & celebremus nomen nostrũ: nam hoc loco, deserta ædificare, est celebrem esse, aut gloriæ humanæ studere. Vel quid, si omnino abortiuus essem, aut periissem, ut pueri nõ uidẽtes unquam lumen, multo melius mihi consultum esset, quàm quod tam horrendam calamitatem sustineam, Mors enim ultima linea rerum est, impiorum tyrannidem sedat, fatigatum, à labore liberat, uinctum, à uinculis, oppressum, à uoce exactoris, seruum, à graui seruitute & minis tyranni sui. Porrò, mortẽ esse ultimam lineam rerum, quietem & à malis liberationem, & pij & impij pnunciãt. Sed hi ex infidelitate, illi uero ex fide. Pius enĩ, uidet in se grauissimas carnis impiæ blasphemias aduersus Dominum: & ut Paulus ait, malum in carne inhabitans sentit: optat itaq; dissolui, & esse cum Christo, quando ab impietate carnis, nullam quietem se habere uidet, nisi morte, quæ tamen non mors eius est, sed redemptio. Impius uero, sentiens in se grauissima iudicij diuini flagella, mortem optat, ceu quietem, & à flagellis redemptionem. Sed hanc optionẽ, infidelitas operatur, quæ nõ propter carnis impietatem, sed propter flagella, in mortem inhiat: ut enim pius oĩa grauissima pati promptissimus est, modo fauentem habeat dominum, & ab impietate libere

Pius aliter mortem oppetit, aliter impius.

Impius ex impatientia supplicij mortẽ inuocat.

tur: ita econtra. impius, parum curat carnis suæ impietatem, ac dei fauorem, modo à flagellis liber fuerit.

IBI IMPII CESSANT A TVMVLTV. Vox misere indignantis iudicio Domini. Hiob enim manu Domini destitutus, & in extremam calamitatē deiectus, pro more impiorum, à Domino derelictorū, loquitur, dicens, se misertorem omnibus tyrannorum subditis, omnibus mercenarijs, seruis, uinctis & fatigatis, qui, si nō prius, tamen uel morte ab adflictionibus liberātur, se uero nec morte liberari posse. Quod aūt inquit, uinctos & oppressos, uel morte liberari, pro humanæ rationis opinione, & externa specie loquitur. Ratio enim iudicat, mortē esse, à miserijs liberationē, cū tamē mors, nisi credideris in Christū, qui est uita æterna, ueræ infœlicitatis exordiū sit: adeoq; hæc misera uita, impio nō sit aliud, q̄ futuræ extremæ & æternæ miseriæ meditatoriū. Proinde nō hoc agēdū est, ut impio murmure & mortis uoto, iudiciū Domini repellere conemur, sed ut discamus manū Domini FIDE ET EXPECTATIONE ferre.

PARVVS ET MAGNVS &c In morte nullus est personarum respectus, nemini parcit mors, & æqua conditione tractat, & magnum & paruum.

Quare data est misero lux, & uita amaris animo.

Expectantibus mortem, & non uenit,

& iis

& iis qui effoderent eam de abſconditis.

Iis qui gauderẽt uehemẽter gaudio, iis qui lætarent, quod inuenirẽt ſepulchrũ.

Viro cuius uia abſcondita eſt, & quem Deus obtexerit.

Quoniam ante panem meum, gemitus meus uenit, & adoriuntur me, ſicut aquæ ſuſpiria mea.

Nam timor quem timui, uenit ſuper me, & quod uerebar, accidit mihi.

Nonne proſperabar? nonne ocio uacabam? nonne quieſcebam? & (tamen) uenit calamitas.

Quod dicat: MISERO *in ſingulari numero, & dein:* AMARIS EXPECTANTIBVS IIS QVI EFFODERENT *&c. in plurali: poſtremum* VIRO *rurſus in ſingulari, numeri mutatio eſt, frequentiſſima apud Hebræos, ſicut & perſonæ mutatio, ut enim de eodem Scriptura utitur, nunc ſecunda, nunc tertia perſona, ut eſt in Pſal. Domini eſt ſalus, & ſuper populũ tuũ benedictio tua, ita unus & idem de ſe, nũc in ſingulari, nũc in plurali loquitur.*

DIVERSA LECTIO.

Vbi noſtra tralatio legit, quaſi effodientes theſaurum, Hebræus habet ויחפרהו ממטמנים

& effoderent ipsam de absconditis. Est aũt proueri alis facies, qua summũ desyderium & uotum expli catur, ut nos dicere solemus, de seruo quopiam fid mortuo: effoderem ipsum, uel è terra, aut à marini usq; insulis, uel proprio impendio uocarem. Sic Hio ait, se mirari, quare nõ sibi solũ, sed quibusuis miseri mors differatur, quam tamen, uel ex absconditis ter ræ locis effoderent, usqueadeo uitæ calamitosæ per tæsi. Vbi nos habemus, non dissimulaui, Hebræus ha bet: Nonne prosperabar &c.

QVARE DATA EST MISERO LVX

Lux & uita corporalis ingẽta Dei dona sunt, sed uides hoc loco, quas pro tãtis beneficijs, gratias agãt, à Domino derelicti & iudicati. Hoc solum referunt; quod blasphement, indignentur, & fremãt aduersus donum Dei. Quare, inquit Hiob, prorogatur mihi miserrimo uita, mortẽ potius optanti, qui effoderem ipsam, uel è pfũdissima terra, modo optata aduenret cui nihil gratius cõtingere posset, quã si sepulchrum inuenirem, in quod mortuus conijcerer. Breuiter, ex pers omnis consilij, quid agam nescio: abscondita est uita mea, ut quo mihi diuertendũ sit, ignorem: tantis undiq; malis obruor, et à Deo calamitatibus obtegor: cur adhuc diutius uiuo? me miserũ, quis me à tam hor renda calamitate liberabit? suspendio perire mallem, quàm tantas iudicij diuini molestias diutius ferre.

Qui à Domino sunt derelicti, omnia blasphemant etiã bona Dei dona.

Quoniam

QVONIAM ANTE CIBVM MEVM. Id est, omnia mea maledicta sunt, nihil mihi in bonum cedit, ne cibus quidem benedictus est, sed suspirijs oblitus. Effusi enim sunt super me gemitus sicut aquæ, id est, abundantissime.

NAM TIMOREM. Sic Prouerb. 10. de impijs scribitur: Accidunt impijs, quæ metuunt: nam Hiob, quanq̃ sanctus, & Deo gratissimus, in iudicium tamen impiorum coniectus est, de qua re postea. Porrò, quod impijs contingat, quæ timent, iusto admodum Dei iudicio fit: solent enim non resipiscentia, aut iusto consilio, pericula futura præcauere, nec fugiunt quâ patet effugiendi uia, quæ est fides, sed impia carnis ratione, & iniquis conatibus, seu malis, ut ita dicam, medijs: nam quum Deum ignorent, & uiã eius contemnant, interim tamen discrimina suarum rerum sentientes, non mirum, si impietatem adripiant, qua sese discrimina excussuros, arbitrentur, propterea quod huc cogant ex una parte, periculorum imminentium minæ, ex altera, ignoratio Dei & Verbi eius: adcedunt scripturæ exempla: Fratres Ioseph, audito somnio, quod Iosepho principatũ decernebat, futurũ fratris iugum excutere uolentes, citius impijs conatibus promouerunt, quàm reiecerunt: non enim conabantur dominationem Ioseph, ab humeris suis reijcere, uel diuino consilio, uel fideli pietate, sed concepto

Impio adcidet quod timet.

Ioseph fratres, male uitant pericula

fratricidio, uenditione impia, præterea conficto apud patrem mendacio: proinde, quod timebant, iustissime eis adcidit. Quid dicam de Pharaone, qui timens, ne populus Israël auctus, aut libertatem suã uindicaret, aut se, & suos opprimeret, ac è terra Aegypti, ui expelleret, periculũ præcauebat, non pietate, non iusti imperij moderatione, sed tyrannide, exactionibus, & homicidijs? Rectissimo igitur Dei iudicio, quod timuit, euenit: nam & populus Israël, libertatem suam, per Mosen recuperauit, & ipse, unà cum suis mansionis fluctibus, obrutus est. Saul formidabat, ne suæ familiæ posteritas, regno Israëlitico priuaretur: pinde nihil non insidiarum, in Dauida successorem, à domino destinatũ, machinatus est, quo eum proderet. Iam quia dolis, insidijs, & impietate, familiæ suæ dispendium præcauere conatus est, accidit ei quod timuit, & regno, unà cum posteritate sua tota, est priuatus. Quid uero narrem de Caiapha, & Pilato formidantibus, ne si pergat Christus, sua doctrina, imperator Romanus ueniat, & tollat locum, gentemq; Iudæorum? ut enim imminens hoc discrimen effugerent, conati sunt præuenire, non fide in Deum, nõ resipiscentia, non consilio spiritus, sed impijs medijs, morte scilicet Christi, & persecutione Euangelij? Itaq; quod uerebantur, adcidit: nam & Caiaphas à pontificatu, & Pilatus à magistratu, ut author est Iosephus dein-

Pharao uitando piclitatur.

Saul regnum pdit à se, qd' male quærit.

Caiapha, Pilatus, qd' imique cauẽt, eodem pereunt periculo.

cti sunt: adhæc imperator Romanus, locũ & uniuersam gentem deuastauit. Adeo in diuersum, cadũt omnia impiorum consilia, & iuxta prouerbiũ, dum uitant Scyllam, incidunt in Charibdim. Sic Iob sanctus quidem fide, sed Domino se occultante, in carnis impietate relictus: hoc unum satagebat, ut à dolore & iudicio Dei liberaretur: conabatur uero id adsequi, maledictionibus, fremitu, murmure aduersus deum, impio, importuno mortis uoto: quod igitur timebat, malo conatu præuertere studens, accidit ei, & quanto magis dolorem, ac iudiciũ Dei detrectabat, tanto magis subinde augebatur.

NONNE PROSPERABAR &c. hoc est, nonne ter maximus eram, ter fœliciſsimus numerabar, uita nõ pro carnis libidine, sed ex Dei præscripto instituta? Quid igitur tanta me obruit calamitas? admiratur enim, & cõqueritur caro, subtracto dei spiritu, & iudicio eius, ob oculos posito, cur tã crudeliter Deus iudicet & adfligat? non respiciens, nec uitã egregie actam, nec agnoscens bona opera, sed pro animi sui libidine, quosuis, citra ullum discrimen, etiam maxime pios, immaniſsime tractans: adhæc pollicetur sibi caro, omnia futura, prospera, in prosperitate præsenti: nec est, ut sapiens monet, Malorum memor, in die bonorũ: sed putat præsentem fœlicitatem, æternum duraturam. Itaq;, cum mutato

rerũ ſtatu, proſperitati, calamitas ſucceſſerit, deſpe-
rat, quò ſe uertat, neſcia, quãdo iam Dominus, capul
ſuũ occuluerit, Eſa. 59. expectauimus lucẽ, & ecce te-
nebræ: ſplendorẽ, & in tenebris ambulamus, Hie. 14.
Expectauimus pacẽ, & nõ eſt: bonũ tẽpus curatio-
nis, & ecce turbatio. Vnde et Hiob, ex uita ꝓbe et fi-
deliter inſtituta pollicebatur ſibi oĩa fœlicia: ſed ecce
ſubito uenit calamitas, qua maior hoĩ uix accidere po-
teſt, uſq; adeo Dominus ſuos ꝓfundiſſime ſubprimit
ut altiſſime eleuet.

CAP. IIII.

Respondens Eliphas Themanites, dixit.

Status diſputatiõis totius amicorum Hiob, cũ ipſo uſq; ad finem libri.

Hactenus, futuræ cõtrouerſiæ, inter Hiob et amicos eius, fundamenta iacta ſunt, & belli præludium propoſitũ eſt, teſtimonio enim Domini, Hiob pius, rectus, & Deum timens pronunciatur, adfligitur tamen, perinde ac impiiſſimus quiſpiam, & à Deo abiectiſſimus. Erumpit præterea, in impias blaſphemias, ut in priori capite dictum eſt. Hinc naſcitur inter carnaliter prudentes et ſpiritualiter eruditos, controuerſia: num Deus pium quempiã, citra ullam impietatis cauſſam, pro ſola ſua libidine καὶ εὐδοκίᾳ adfligat & iudicio impiorũ afficiat? habet hæc quæſtio utrinq;

utrinq; suos assertores: qui enim carne duntaxat sa-
piunt, cõtendere solẽt, Deũ pro immẽsa sua sapiẽtia
& iusticia, neminẽ citra meritũ, & impietatis notam
adfligere, scilicet, diuinam sapientiam, è carnali ra-
tione metiẽtes, quæ neminem, nisi iustis de causis me
ritum, digne puniri pronunciat, ac eam demum, ue-
ram iusticiã esse putat, cum suppliciũ culpæ & noxæ
detur, & præmiũ merito: proinde, ex adflictionibus
& calamitatibus, concludunt falsissima ratione, me-
ritum et impietatem, ac perfricta fronte, eum impiũ
iudicant, qui impiorũ supplicia, & maledictiõnes su-
stinet: ubicunq; enim, caro pœnam inuenerit, ibi cul-
pam arguit, & ubi præmiũ, ibi meritum: contra ue-
ro, qui oculis Dei, hoc est, spiritu sancto, uident, rem
acu, ut dicitur, tangunt: non enim ex adflictionibus, iudicium spi-
aut carnalibus benedictionibus, uel impietatem, uel ritus, in adfli-
pietatem hominis æstimant, sed potius, ex pietate & ctionibus.
impietate, adflictiõnes: siquidẽ cum pium hominẽ, &
piam caussam eius inuenerint, iudicant ex uerbo Do
mini, adflictiones, non esse indignantis Dei signum,
aut impietatis supplicium, sed crucem, fauorem
Dei summum declarantem. Cum uero impium homi
nem, & caussam eius impiam cognouerint, iudicant
adflictiones esse uera et legittima impietatis stipen- Hiobis, & a-
dia. In huius controuersiæ harena, uersatur etiã Hiob micorum con
cum amicis suis: nam amici, ut sunt iuxta carnem, trouersia.

uiri prudentißimi, contendunt Hiobem esse impũ, propterea quòd adfligatur, Deum enim iustiorẽ esse quàm ut tam horrendo supplicio, adfligat, bene de pietate meritum: Hiob uero contra depellit, suã innocentiam adserendo, docens adflictiones, nõ semper impietatem, aut iram Dei arguere, sed interim crucem esse, qua Deus suos electos, ueluti aurũ igne probet & purificet, ac suam gloriã, in deijciendis, electis, & rursum sublimandis, ostentet. Eandẽ contentionem habes Ioan. 9. inter discipulos & Christum: prætereuntes enim discipuli, cæcum à natiuitate, aiunt, Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? hoc est, quũ Deus, hunc cæcitate adfixerit, propter peccatum adfixerit: siquidem omnis adflictio, peccati supplicium est. Respondet Christus, non oẽm adflictionem esse peccati pœnam, sed interim, gloriæ Dei manifestationem: ait enim, neq; hic, neq; parentes eius peccauerunt, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Peccarunt quidem & parentes, & cæcus, quando oẽs homines peccato obnoxij sunt: propter peccatũ autem, hæc calamitas, cæco non accidit, sed ut declaretur in eo mateſtas, & potentia Dei, per Christum. Ita & Hiob, peccauit quidem, quis enim iustificetur in conspectu Dei? propter peccatũ autem, non adflixit eum Dominus, sed ut gloria Dei manifestaretur, &

Hæc ratio est crucis piorũ.

tur, & uanitas hominis à Deo derelicti, uniuerso mundo nota fieret. Porrò, quanquã Hiob, à Domino testimonium ferat, cap. 42. infra, quòd uera loquutus sit, amici autem impia, non existimes Hiobẽ propterea, in ómnibus suis uerbis iustificatum, & amicos, ex omni parte errasse: est enim, ubi Hiob pia disserit, causſæ suæ, aduersus amicos, patrocinans: est ubi impia profert, aduersus Dei iudicium murmurans: contra Hiobis, amici, ut pie proponunt, ita impie, contra Hiobis innocentiam concludunt, id quod clarius ex sequẽtibus cognosces. Nam quemadmodum si uir honestus, calumniã à quopiã extremæ sortis homine, patiens, causſam ad iudices referat, et sic calumniatorem adcuset, ut interim præ ira & animi indignatione, à conuitijs non temperaret, nec dignitati iudicis parceret, sed importunissime nunc iudicem, nunc calumniatorem adpellaret, nulla habita honesti ratione, is quidem causſam aduersus calumniatorem ageret iustam, & æquam, sed inuste & inique perageret, non pro actionis honestate, sed pro importuno animi furore, ut Nebucadnezar iustam causſam aduersus Iudæos habuit, sed interim iniuste exequutus est. Sunt & qui iniustam habent causſam, sed iuste eam exequuntur, hoc est, honeste, ciuiliter, opportune, nullis cõuitijs. Ita Hiob iustam cõtra amicos causſam agit, scilicet, adflictio-

Hiob interdũ blaſphemat, amici eius bene disserunt sed male colligunt.

nes nõ arguere impietatẽ hominis, aut trã Dei, sed iu
ste peragit, solet enim in media causſæ actiõe, non
nũquàm in Deũ et eius iudiciũ, tãtum nõ debachari,
amici uero iniustã agũt causſam, quæ est, ex adflictiõ
bus, probari impietatem, sed iuste peragunt, multa
enim differunt præclara, de sapientia, de potẽtia Dei
è penetralibus diuini spiritus, petita. Proin, utrinq;
peccatur, sed Hiob præ amicis ueritatis testimonium
habet à domino, propterea quod solus iustam piamq;
causſam tractauerit.

An ne dum tentauero loqui tecũ mo
leſtia adficieris? ſed cohibere ſermonẽ
quis poterit?

Ecce erudiiſti multos, & manus laſſas
confortaſti.

Nutabundum erexerunt ſermones
tui, & genua incuruata ſuſtuliſti.

Nunc autem quum tibi acciderit (ma
lum) moleſte fers, & quum tetigerit te,
obſtupeſcis.

An ne is eſt timor tuus & fiducia tua,
expectatio tua, & innocẽtia uiarũ tuarũ.

DIVERSA LECTIO

Vbi Hebræus habet (cõcludi in ſermone quis po
terit?

ferit?) Ibi Græcus legit ἰσχὺν λέ ῥημάτων σου τίς δώσει id est, pondus uerborum tuorum, quis ferè? atq; adeo per totum hunc librum, aliter Græcus legit quã Hebræa ueritas habeat, ut ferè uideri posſit, prior liber, non ex Hebræo tralatus. Proinde partius adnotare cogimur Græcæ lectionis diuerſitatẽ, niſi ubi clarius ſententiam quampiam exponat.

AN NE DVM TENTAVERO &c.

Primus Eliphas tantis ampullis, & tanto ſupercilio exordituꝛ, ut iurares cogi eum á ſpiritu ſancto, gloriam Dei aduerſus impiam, pro ſua opinione, Hiobis præſumptionem uindicare, ait enim, quanq̃ uideã te ingenti dolore obrutũ, et cõſultius eſſet tacẽdo dolorem mitigare, quàm loquẽdo excitare, ſed quis poterit ferre blaſphemias tuas in Deum? ſi homini, tuis calumnijs, ſuam gloriam auferres, liceret nunc propter doloris magnitudinem conniuere: at cum Deum iniuſticiæ inſimules, qs tacebit? an uero, Deus citra ullam impietatis cauſſam, te adfligeret, quò interim abiiſſet diuina iuſticia? Itaq;, os porrò continea non poſſum, quin impiam tuam ſententiam arguam: ſiue igitur æqui, ſiue iniqui, meum ſermonem conſulas, nihil morabor, pro gloria enim Dei, loqui, etiamnũ cogor. Exiſtimabat enim Eliphas, gloriam Dei euacuari, ſi pro uero haberetur, Deum citra meritum, pios ſupplicijs adficere, quaſi uero Deus ut homo,

iudicaret. Humanus quidem captus docet, neminem citra meritum adfligendum esse, alia autem sunt iudicia Dei. Quemadmodum enim apud Ethnicos, quidam supplicijs adficiebantur, propter scelera sua, quidã uero non propter scelera, sed duntaxat ad uoluptatem, spectaculis adhibiti occidebãtur: ita quosdam Deus punit, propter facinora: quosdam adfligit, ut sint spectacula, pietatis exempla, & gloriæ Dei encomion. 1. Corinth. 4. Spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus. Heb. 10. Probris & pressuris adfecti, spectaculo fuistis hominibus. Proinde quod Eliphas argumentetur, iustos benedici, & impios adfligi, uere loquitur, sed carnaliter intelligit, & impie ad Hiobis adflictiões torquet.

ECCE ERVDIISTI. Id est, hactenus alijs consilia præclara in adflictione dedisti: & ueluti delicatus miles, de muro ictus dictasti: ut omnes quũ uolemus, recte ægrotis consilia damus: at nunc quum adflictio teipsum inuaserit, blasphemijs & furore declaras, qui sis, nempe impius, & à Deo abiectus.

AN NE IS EST TIMOR TVVS &c.

Argumentũ perpetuũ libri.

Absoluto exordio fastu pleno, caussam ipsam aggreditur: ex adflictionibus, impietates Hiobis probans, adfligeris, inquit, impius igitur es, id qđ est cõmune carnaliũ oĩm argumentũ, est enim sentẽtia, Putásne, tibi innocenti, Deum timenti, tantas calamitates

lamitates accidere? ante quidem, innocens uidebaris, uuas pauperes, & cõsolans adflictos, sed ecce, erumpit tandem impietas tua, diu latens, propter quã nunc à Deo pœnam dignam sustines, qui enim fieri posset, quod tanta seueritate, à iusto Deo, citra meritum adfligereris? iniustus ne esset dominus, qui tanta mala, in immeritum coaceruaret? pinde, abijt timor tuus, euanuit innocentia hypocritica, & nihil præter impietatem, superat. Quod si probe consyderes, recte Eliphas testatur, innocentiam & timorem Dei, à Hiobe recessisse, immò potius aliquandiu abscondita esse, fœrorem enim domini quis sustinet? & unde blasphemiæ illæ superiores? nonne oriũtur é corde, damnationẽ sentiẽte? sed quid hæc ad caussæ scopum? non enim nunc quæritur, qualis, proposito iuditio Dei, Hiob, reperiatur (nullus enim quantũuis iustus, iudicãte Deo, constat) sed an adflictio cõtigerit merito, & propter impietatis caussam?

Memorare obsecro, quis innocẽs perierit, & quando recti deleti sint?

Quemadmodum uidi arantes iniquitatẽ & seminantes laborẽ, messuisse ea.

Aflatu Dei periisse, & a spiritu iræ ejus consumptos esse,

Clamor leonis & uox leũculæ, & den

tes catulorum leonis, contriti sunt.

Leo periit, ut nō depredetur, & catuli leonis dispersi sunt,

DIVERSA LECTIO.

Vbi nos habemus iniquitatē & laborem, ibi Hebræus habet און ועמל *quibus describitur, impiorū frustraneus, sed tamē laborioſus & irrequietus conatus. Sunt enim omnia eorum opera auen & amal, id est, uanitas & adflictio.*

MEMORARE OBSECRO &c.

Prioris argumēti, quod ex adflictionibus probetur impietas, cōfirmatio, nā & lege & exemplorū experientia, manifestum fit, iustos & innocentes benedici, impios uero maledici, & adfligi, Leuit. 26. Deut. 28. Enoch, á Deo raptus est, quia pius: Noē cū familia è diluuio: Loth, ex incēdio, liberati sunt, quia pij. Rursum, omnes gentes diluuio perierunt, quia impiæ: Sodomitæ, sulphure cōbusti sunt, quia impij, Pharao aquis submersus est, quia impius. Sed hoc loco, diligentißime aduertas oportet, carnales æstus, et stultam humanæ rationis prudentiā, quemadmodum enim aliâs, in Liberi Arbitrij caussa, ridicule solet ex lege, Arbitrij libertatē colligere, cū lex captiuitatē potius, quàm libertatē indicet, & magis irā, quàm fauorē operetur, ita nimis subdole, ex adflictione impieta-

Iusti benedicuntur.

Impij perierunt.

Male colligit ratio humana, impios esse qui adfliguntur:

pietatem colligit, propterea quod pronunciet lex, impios maledici, iam, ut ueriſſimũ eſt, omnem impium adſtigi, ita falſiſſimũ fit, ſi inuertas, oẽm qui adſligitur, impium eſſe. Ridetur à pueris elementarijs, qui ſic argumẽtatur, Omnẽ hoĩem uiuere, quicqd igitur uiuit, hominẽ eſſe, Quanto magis ridendus, aut potius exibilandus eſt Eliphas, qui nõ minus inepte, legis ſententiã, qua impijs maledictio decernitur, inuertit, conſectaneũ putant, oẽm maledictum eſſe impium. Sed ut hæc clarius intelligas, paulo altius repetẽdum eſt. Lex ait, Si audieris uocẽ Domini Dei tui, (id eſt, ſi pius fueris) benedictus fructus uentris tui, terræ tuæ, & iumentorũ tuorum, abũdare te faciet Dominus, oĩbus bonis, aperiet dominus theſaurũ &c. Si uero nõ audieris, maledictus eris in ciuitate, in agro, percutiet te Dominus ulcere: plantabis, & alius comedet &c. Iam quum ad hanc legis amuſſim, communes mores, & rerum fortunam exigamus, planè diuerſum adcidit, nã & bonis cõtingũt mala, & malis bona, atq; adeo quæ lex pijs decernit, impijs eueniũt: quæ impijs, adcidũt pijs. Decernit lex pio benedictionem fructuum, uentris, terræ, iumentorum, horrei, victoriam ſup inimicos, theſauri abundantiã: ſed ecce, hæc oĩa adcidunt impio, teſtãte Pſal. 4. Frumẽtũ eorũ, et muſtũ eorũ (impiorũ) multiplicata ſũt &c. Pſal. 72. Nõ eſt reſpectus mortis impiorũ,

Benedictiões impijs obueniunt & maledictiões pijs.

in labore hominum non sunt, cum hominibus non flagellantur: ecce ipsi peccatores, & abundantes, in sæculo obtinuerunt diuitias. Eccle. 8. Sunt impij, qui ita securi uiuunt, quasi iustorum facta habeant, Hiere. 12. Via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur: plantasti eos, & radicem miserunt &c. Contra decernit lex impio maledictiones, tormenta, ægestatē &c. Sed hæc omnia in caput piorum redundant: ædificant pij, sed alius possidet: plantant uinum, & alius uindemiat: percutiuntur ulcere & morbis, ut Hiob: sunt prouerbiū & fabula, omnibus populis. Breuiter, quicquid lex impijs minatur, pijs contingit: Sunt, inquit Ecclesiastes, iusti, quibus mala proueniant, perinde ac si impiorum opera egissent, Esaiæ. 52. Iustus perit, & nemo est qui recogitet corde. Itaq; caro prudentiam suam ex lege, citra spiritum petens, necessario iudicat ex adflictione, pios esse impios, & ex benedictionibus, impios esse pios: ac eos colligit, Domino gratos, quos uidet opulentia, potentia, sanitate, alijsq; bonis corporalibus dotatos: eos uero abiectos, quos uidet adflictionibus, cruciatibus & dolore premi. Sed longe alia sunt iudicia spiritus, is enim intrans in sanctuarium Dei, & cognoscēs absconditam eius sapientiam, intelligit impios ideo benedici & magnificri, ut postea grauius maledicantur,

Ratio adflictionum piorū, & benedictionū impiorū.

tur, & deijciantur: Pios uero, ideo deijcit in extremas miserias, ut postea altius, in æternam sublimitatem efferantur, Eccle. 8. Etiamsi peccator, centies malum faciat, & diu uiuat, noui tamen, qđ bene erit timentibus Deum, Quid igitur? an lex mendacium est, quod adflictiones, quæ non adcidant impijs, minetur, & pijs bona promittat, quibus non fruuntur? absit: nam quod impijs non mox eueniũt maledictiones, & pijs benedictiones, per legem decretæ, dilatio probationis est, non mendacium. Iam pro communi prouerbio, quod differtur, non aufertur, habent enim & hi, sua bona, & illi, suã iram repositam, in diem illum, quo Dominus iudicaturus est uiuos & mortuos: interim uero diuersum adcidit, ut impij subinde magis atq; magis obdurẽtur, & pij sincerius probentur. Itaq;, non tam ridicule, quàm impie, humana ratio, ex adflictionibus colligit, iram Dei, & impietatem hominis adflicti, quãdo potius, ut pater filium quem diligit, castiget, & uirgæ non parcat: ita Deus, quos elegit, unà cum filio suo Iesu Christo domino nostro, crucifigat.

Cur pijs benedictiones differantur, & impijs maledictiones legis.

QVANDO RECTI DELETI SVNT?

Vera dissert Eliphaz, sed pro carnali iudicio interpretatur: non enim pereunt innocentes, sed tamen adfliguntur: non moriuntur iusti, sed occidunt, non delentur, sed opprimuntur: Abel occisus

Iusti non delentur.

est, sed non mortuus: Hiob innocens, adfligitur, sed non perit &c.

QVEMADMODVM VIDI, &c.

Prouer. 10. Iniuria ab ipsis concepta, obruet eos.

Non Pereunt, inqt, iusti & recti, sed impij, qui enī arant iniquitatē, & seminant impietatē, quid aliud meterent, quā qd' ararunt & seminarunt, hoc est, laborē & dolorē? Prouer. 22. Qui mala seminat, mala metet, oportet enī fructū, seminis genus referre: proinde, cū impij, nihil aliud spirent, conētur, meditētur, ac operentur quā impia, rectissimo iudicio, fructum suo labori æquū, qui est perditio & damnatio, reportant: hoc namq; impiorū iudicium est, ut pereant à facie Dei, & à spiritu labiorū eius interficiantur, Esa. 11. Psal. 67. Sicut defecit fumus, deficiant: sicut fluit cæra à facie ignis, sic pereant peccatores, à facie Dei. Exaltantur quidē impij, sicut cedrus in libano, in excelso gradientes: sed quid ipsis corā Deo fragilius aut contēptius est, quod nullis gladijs, nullis bōbardis sola autē leui oris Dei flatu, & adspectu eius duntaxat duriusculo, pereant?

Impiorum iudicium.

NOTABIS hoc loco metaphorā, à naturalibus rēbus sumptā: quēadmodū enim, qui arant & seminat hordeū, metunt hordeū, qui triticū, metunt triticū: ita, qui impia seminat, metūt & impiorū iudicū.

Opus impiū, meretur impij iudicium.

CLAMOR LEONIS. Id est, tyrāni pereunt, nō mites & misericordes. Tyrāni describuntur, per leonē & per clamorē, uocem, ac dentes leonū;

Tyranni mores leonū.

terribiles minæ, exactiones, oppreßiones tyrannorũ intelligũtur, qui tantũ non plebẽ ſubditã excoriant, & pharetra ſua, cũcta deprædãtur. Sic & alibi in ſcriptura, ſub his nominibus, tyrãnorũ mores adumbrãtur, Ezech. 19. Iehoachim factus ẽ leo, didicit prædã capere, & homines deuorare, didicit uiduas facere & ciuitates deſolare: ſunt enĩ leones, expreßiſſima tyrãni εἰκὼν, nam ſæuiſſimũ oĩm animaliũ eſt leo, ſolo ſuo rugitu, reliqua animãtia terrens, telũ ſpernit, uenabula nõ expaueſcit, qđ uero ad eſum ſpectat, deuorat in mãdendo ſolida: quãlibet aũt ſæuus ſit, terretur tamẽ orbibus rotarũ circũactis, & gallorũ cãtu: ita tyrãnus in ſubditos imperioſiſſimus, ſola uoce terrorẽ incutit, nullũ periculũ, quãuis magnũ, timet, modo tyrannidẽ retineat, cunctas ciuiũ opes deuorat, et deuaſtat. Porrò, ut maxime crudelis ſit, habet tamen ſuum iudicũ, quo dentes eius conteruntur, & catuli eius diſperguntur, hoc eſt, quo propter tyrãnidem, & ſæuitiam, dignam mẽritis pœnam, luet: eſt enim tyrannorum iudicium, perditio, Eſa. 33. Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Ezech. 32. in quo capite, Propheta pulchre, futurum tyrannorum municipiũ, infernũ eſſe deſcribit. Ex his colligit Eliphaz Hiobem eſſe reum impietatis, & tyrannĩ, quãdo iudicio & ſupplicio impiorũ ac tyrãnorũ, obrutus ſit. Iudicium tyrannorum.

sed quàm candide & dextre, ex superius dictis manifestum est.

Porro, ad me aliquid furtiue dictum est, & suscepit auris mea, ex eo, notabile quidpiam.

Cogitante me uisiones noctis, cadente somno, super homines.

Pauor occupauit me, & tremor, ac omnia ossa mea exterrita sunt.

Et spiritu, faciem meam prætereunte, horruit pilus corporis mei.

Stetit, cuius uultum non agnoscebã, imago coram oculis meis, silentiũ erat, & uocem audiebam.

An homo, iustior Deo est? an uir, purior factore suo?

Ecce, inter seruos suos, non est fidelis, & in angelis suis, reperit stultíciam.

Quanto magis in eis, qui inhabitãt domos luteas, quorũ fundamẽtum, ex puluere est, qui consumẽdi sũt, a tinea?

Qui a mane, ad uesperam usq; (durantes) contunduntur, necdum suspicantes, in æternum pereunt.

Nonnul

Nõne abeũt reliquiæ inter eos, & moriuntur priusquam intelligant?

DIVERSA LECTIO.

Vbi Hebræus legit, ואלי דבר יגנב *ibi Græcus habet,* εἰ δέ τι ῥῆμα ἀληθινὸν ἐγένετο ἐν λόγοις σου, οὐκ ἂν σοι ταῦτα κακὸν ἀπήντησε *&c. Id est, si Verbum uerum fuisset in sermonibus tuis, nihil tibi huius mali contigisset, nam & sequentia non conueniunt cum Hebræo, &c.*

PORRO AD ME ALIQVID.

Secunda confirmatio, quod Hiob merito adfligatur constans ex argumento à iusticia Dei ducto: nam cũ solus Deus iustus & uerax sit, omnis aũt homo mendax, per legem, sub peccatũ concluſus, qui fieri posset, quod aut Deus iustus, iniuste adfligeret, aut homo iniustus, citra meritum adfligeretur? Porrò, Eliphaz hanc confirmationem exorsurus, ut fidem uerbis suis adserat, præfatur prius de reuelatione diuina, de illapſu ſpiritus ſancti, quaſi diceret, quod nunc ſecũdo loco dicã, nõ ſomniũ eſt, non aniles fabulæ, ſed diuina inſpiratio, & ſpiritus ſententia, contra quam nullus uel hiſcere audebit, nõ enim quæ nunc ad cauſſæ meæ confirmationem, loquar, ex humana inuentione, aut hominũ cõmentarijs, petita ſunt, ſed è ſecreto, diuinæ maieſtatis adyto: ſunt aũt quæ ſequuntur, nullum ſcili-

Argũmento à iuſticia dei ducto, ꝓbat impietatem Hiobis.

cet hominem, esse Deo iustiorẽ, aut puriorem, sed & angelos, cũ Deo collatos prauos esse. Quis uero hæc quantumcunq; rudis, ignoret? neq; ad hanc rem cognoscendam, nouis opus est miraculis, & reuelationibus, sed è uerbo legis patet: Lex enim ideo & litteris descripta, & nobis à Deo insculpta est, ut ducat nos, in nostri cognitionem, & doceat, quantũ homo distat à Domino Deo suo. Sed hic Pseudoprophetarũ familiaris mos est, sua magnifice & gloriose iactare, de uisionibus nouis gloriari, cum interim nihil præclarius doceant, quã quod alioqui è cõmuni Verbi Dei prædicatione manifestũ est. Spiritus nanq; mendacij, ideo tantis ampullis, ueritatis uisionem celebrat, ut cõmodius sub ueritatis specie, suas nugas inculcet. Quãquàm aũt uerissimum sit, quod Eliphaz hoc capite de puritate Dei, & impuritate creaturæ, ad Deum collatæ, differit, non tamen in loco, nec ad causſam, quã tractat, apposite accõmodat.

Pseudoprophetæ, de uisiõibus & miraculis gloriantur.

PORRO ALIQVID AD ME FVRTIVE &c. Is est uerus modus diuinæ reuelationis: solet enim Dominus sese insinuare, pro furũ consuetudine, in medio silentio, & medio noctis cursu, siue consolaturus, siue iudicaturus adueniat. Sic media nocte ingressus est Aegyptum, et occidit omnia primogenita eorum. Sic Heliæ, post cõmotionem & ignem, uenit sybilus auræ tenuis, quo uocẽ Domini audiuit. Sic in

nouiss-

nouissimo die, uenturus est, ueluti fur in nocte, quum dicent, pax & securitas. Porrò, quo maiore timore & reuerentia, suscipiatur, præmittit terrorem, quo præsentiam maiestatis suæ declaret, id quod non admodum, ab humanis moribus abhorret: imperatore enim, nouiter ingrediente urbem, undiq; bombardarum tonitrua circũstrepunt, aduentientis maiestatem declarantia, ita imperator, omniũ Opt. Max. terrorem, initio reuelationis incutit, ut eo reuerentius suscipiatur. Cuius rei exemplum habes 3. Reg. 19. ubi ante aduentum Domini, transiuit spiritus grandis & fortis, subuertens montes, petras conterens, post spiritum, commotio, & post cõmotionem, ignis. Simliter Exo. 19. Dominum, per legem aduenientem, tonitrua & fulgura excipiebant: non enim potest uox Dei, dulciter suscipi, nisi ante omnes uires carnales cõcussæ, & subuersæ sint: nec potest Dominus suauis esse, nisi ante grauis fuerit: unde & ante Euãgelion, suaue & dulce, præmisit Mosen, durũ & austerum: Proinde Eliphaz, hoc loco, uerum quidem: diuinæ re uelationis modum, explicat, sed glorioſius & intempestiuius, quàm spiritus ferat, proponit, dicens, clanculum se, quasi furtiue arcanum quidpiã in uisione nocturna, quũ omnia horribili silẽtio impleta essent, ex illapsu Spiritus sancti adcepisse: & quanq; omnia alta quieta essent, se tamen omnibus suis ossibus cõcussis,

Terror præcedit Dominũ.

obstupuisse: tanto enim terrore insinuat se Dominus.

Spiritus descriptio. Ioan. 3. Act. 9

Quod uero dicat, imaginem coram oculis stetisse, cuius uultũ non agnouerit, spiritus descriptio est, cum uocem quidẽ audimus, sed nescimus unde uenat, aut quò uadat, nam & Saul ex equo cõcussus, uocem audiuit, neminem uidens, id est, uultum non agnoscens, ideo ait: Domine, quis es? & audit: Ego sum Iesus quem tu persequeris. Græcus significantius habet ἐν ὄνυ καὶ οὐκ ἦν μορφὴ πρὸ ὀφθαλμῶν μου ἀλλ' ἢ αὔραν καὶ φωνὴν ἤκουον, id est, uidi, & nõ erat forma ante oculos meos, sed aurã & uocem audiebam.

AN HOMO IVSTIOR DEO EST?

Hæc est uisio & uox Dei, tantopere ab Eliphaz ilata, hominem non esse Deo iustiorem, quid isto uerius? nam & aliâs Scriptura inquit: Non iustificatur in conspectu Dei omnis homo. Item: non iustificatur à facie Dei omnis caro. Item: Omnis homo mendax, solus Deus uerax. Hac itaq; ueritate, conatur Eliphaz probare, neminẽ adfligi à Deo citra meriti caussam:

Deus iuste adfligit immeritos.

propterea quod hac ratione, homo immerito adflictus multo iustior Deo esset: siquidem iustior est, qui malũ patitur insons, quã qui malũ infert immerito. Iam quã quã Dominus Hiobem sine caussa plectat supra cap. 2. nihil tamen iustitiæ eius decedit, quãdo & hæc, ut minima iusticiæ, ac sapientiæ diuinæ pars sit, quod adflictionibus probet, & suã maiestatẽ per crucis infirmitatem declaret.

Ecce

ECCE INTER SERVOS SVOS &c.

Deus ab electis, ab angelis, quod Dei est, nihil cõmendabile remanet. Angeli initio purissimi & sanctissimi cõditi sunt, sed q̃ primũ aliquot, contempto Deo, sua dona admirabantur, à ueritate in mendaciũ corruerunt, Iohan. 8. In ueritate nõ stetit (Satan) quia nõ est ueritas in eo, mendax est, & eius rei pater. Et q̃ adhuc inter angelos stabiles sunt, si & ab ipsis, q̃d Dei est, auferes, nil nisi uanũ, & inane relinques.

QVANTO MAGIS IN EIS QVI &c.

Argumentum à maiori: si angeli cœlestes, in conspectu Dei non sunt iusti & puri, quanto minus homines, ex luto terræ formati. Quid enim in homine præclarum esse posset, cuius fundamentum in puluere, id est, qui de puluere terræ factus est? Quod est ex carne, caro est, quod igitur ex luto & cœno est, lutosum ac cœnosum fit. Hæc sententia alta mente reponenda est, ut ea deijciamus carnis nostræ adroganti- Contra adrogantiã carnis.
am. Quid enim superbis de nobili prosapia, de diuitiis, potentia & maiestate regia? respice amâbo, quid fueris, quid sis, & quid fias, ac cristas erigere desinas, lutum eras, sterquilinium es, putredo, & uermiũ esca fies: quid igitur gloriaris? Qui gloriatur, inquit propheta, in Domino glorietur &c.

CONSVMENDIA TINEA.

Magnificentior forte homo putaretur, si leonis esca

fieret, aut alterius generosi animãtis: nunc cùm sit uermium & tinearum esca, quid eo abiectius, & cõtemptius? Sic alibi umbra, alibi fumus, alibi fumi somnium & umbra dicitur, quibus rebus nihil inanius cogitari potest. Sunt tamen hæc uocabula, fere dignora, q̃ ut ad plenũ hoīs indignitatem explicare poßim.

QVIA MANE AD VESPERAM &c.

Es weret ein nona und ein uesper. Homerus.

Id est, breuißima est hominum duratio, & uix ἐφήμερα, ut quæ uix durat à mane usq; ad uesperã. Non igitur frustra dicitur, Homo BVLLA est, & ὁἵη περ φύλλων γενεὴ τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν. Quale est fŏliorum genus tale est & hominum.

NONNE ABEVNT RELIQVIAE.

Id est, optima & electißima pars inter homines perit, usq; adeo fragilis est hominum conditio, ut præstantißimus & electißimus inter eos, non perduret, sed intermoriatur.

PRIVSQVAM INTELLIGANT.

Id est, incauti, improuidi, opprimuntur, & longe aliud ſuspicantes, quàm mortem. Quid igitur erigeret homo, aduersus Deum, & immemor cõditionis suæ, Deo resisteret? Hæc omnia, ut uera sunt, ita non probant sententiam Eliphas, nam ut maxime Deus solus iustus, & omnis homo mendax sit, per fidem tamen in Christum iustificatur homo, ut habeat pacem erga Deum: proinde adflictiones post fidem non sunt

impieta

impietatis, iam per fidem ablatæ, supplicia, sed crux, probatio & gloriæ Dei instrumenta.

CAP. V.

CIta obsecro, aliquem, qui respondeat tibi (uel similis sit tibi) etiamsi ad aliquem sanctorum te uerteris.

Sed stultum interficit, & insipientem occidit zelus.

Ego uidi stultum bene radicatum, & maledixi pulchritudini eius statim.

Longe fiunt filii eius a salute, & conterantur in porta, nec est liberator.

Cuius messem famelicus deuorat, & ab armatis spoliatur, absorbent sitibundi substantiam eius.

Non egreditur calamitas de terra, nec de humo germinat adflictio.

Sed homo ad adflictionem nascitur, sicut pulli uolatilium eleuantur uolatu.

Hebræa phrasis per famelicos & sitibundos, tyrannos & latrones describit, alienis opibus, ueluti lupi uespertini inhiantes.

CITA OBSECRO &c. Quod uulgata

tralatio legit uoca, hoc hebræus habet קרא, id est, nomina, cita, adpella, è quo loco quidam inuocationẽ probant sanctorum: perinde, ac si Eliphas suaderet Hiobi, ut propter adflictiones, se ad aliquem sanctorum uertat, qui inuocatus liberare possit, sed longe aliam sententiam esse, & præcedentia & sequentia docent, siquidem Eliphas adhuc in eodem argumento constat, quo probat, Deum nullum innocentem adfligere. Proinde, ut in priori Capite ab impiorum & tyrannorum supplicio, sui propositi rationem duxit: ita in hoc capite, idem ostẽdere conatur à sanctorum impuritate, & stultorum perditione, dicens: Circumspice, quæso, & percurre uniuersum sanctorum ac iustorum Catalogum, non tamen uspiam reperies, aut sanctum aut pium, qui tibi respondeat, id est, simile tibi passus fit, & tam graui, horrendoq; supplicio, quali tu, adfectus fuerit. Quod si forte Abel iustum obiecteris, sed ille morte citissima ab inuido fratre occisus est, ab impio, impie tractatus est, tu uero non ab impijs solum Chaldæis, sed à Deo ipso, ab igne cœlesti, à plaga, non è corpore κακοχύμῳ, sed è cœlo descẽdenti, adflictionem sustines: proinde iratum oportet Deũ habeas, quãdo nunquàm aliàs iustum tam horribiliter adflixerit. Quod si iratum habeas Deum, consectaneũ est te impium esse, & iusta de caussa adflictum, propterea quod Deus non nisi impietatem, odio habe-

Verbo Domini uincendæ sunt grauissimæ tentationes cõtra fidẽ

al,

at, & adfligat. Est autem grandis tentatio, nullum habere in pœna aut cruce similem: priorum enim exempla, non mediocriter fidem suffulciunt. Iam quum nõ habeas priorem, tibi in adflictione similẽ, tanto infœlicior tibi uideris, quãto magis solus pateris: porrò si maxime similes habeas, pauci tamẽ sunt, inter quos uix uel umbra sis. Adflictus est & Abel, ac liberatus, sed unus: uenditus est Ioseph in Aegyptum, & post multas tribulationes in regnũ eleuatus, sed unus. Vexati sunt Israëlitæ in Aegypto, & è uexationibus liberati: sed gens sancta et populus electus fuerunt. Quid igitur mihi sperandum esset, quãdo cum illis collatus, nec somnium fuero. Aduersus hanc tentationem, maxime nos munitos esse oportet Verbo. Quo? illo: Pater quem diligit, corripit. Item: Dominus prope est ijs, qui tribulato sunt corde. Item, ego sum cũ ijs, qui sunt in tribulatione &c. Quibus promissionibus nõ unus duntaxat Abel: non unus Ioseph: non solũ Israëlitæ, populus sanctus liberati sunt, sed omnes liberãtur, quotquot fideli corde eas custodiũt. Ais uero, ij sancti fuerunt, ego peccator sum, quomodo igitur ipsis similiter sperauero? Recte dicis: sancti sunt, sed unde sanctitatẽ habent, an è suis operibus, an è iusticia proprijs uiribus parta? absit: Omnis enim homo mendax, solus autem Christus, qui est Verbum Dei, in quo & omnes promissiones Dei sunt etiam, & amen

ueritas, iustitia & sanctificatio est. Proinde quicunq; sancti sunt, non aliunde sanctitatem habent, quàm ex fide in promissionem diuinam, seu Christum, qui est omnium promissionũ caput & summa, itaq; si tu idē uerbum, eundem Christum, fide adripueris, eandem sanctitatem adripies, & liberaberis, uel solus si sine exemplo patiaris: uel cum paucis, si eadem fide, qua illi uerbum, tu quoq; adceperis.

SED STVLTVM INTERFICIT IRA. Id est, innocens & pius non perit, sed impius, quem scriptura stultum uocat, ab ira Dei interficitur, & insipiens à zelo eius occiditur. Dicitur enim in lege: Dominus zelotes, uisitans iniquitatē patrum in filios, in tertiam & quartam generationē: & rursum Faciens misericordiam in millibus, ijs qui diligunt eū, & custodiunt mandata eius.

EGO VIDI STVLTVM &c.

Mordet tacite Eliphas Hiobem, quia idem ipsi euenerit, qđ impijs euenire solet. q. d. floruisti hactenus opibus, potentia et gloria, nũc omnibus his bonis priuatus es. Sic enim impijs adcidit, inuitio belle ualent, & late dominãtur, post uero in extremas miserias deijciuntur, inuitio florent, sine marcescunt: & sicut flos agri ac gramen prati, mane uirent, uespere arescunt, Psalm. 36. Vidi impium superexaltatum, sicut cedros Libani: transiui, & ecce non erat, Esaiæ. 14. de Nebucad-

Impij eleuantur, ut deijciãtur grauius.

bucadnezar, Ezech. 28. de principe Tyri, eiusdem. 31. Ecce Assur, quasi cedrus in libano, &c. Vnde hoc loco, Eliphaz ait, uidi stultum, id est, impium, bene radicatum, superexaltatum, & maledixi pulchritudini eius, hoc est, cognoui, quod, ut maxime nunc eleuatus sit, & bene ualeat, sit tamen statim perdendus, & in aeternum maledicendus, nec solũ ipse maledicitur, sed & filij eius, longe à salute fiunt, liberatorẽ nõ habentes, nam haec sententia, in lege, super impios lata est, Exo. 20. Visitans iniquitatẽ patrum in filios, Deut 18 Filij tui, & filiae tuae tradentur populo altero, uidẽtibus oculis tuis, & deficientibus, ad conspectũ eorũ tota die, nec erit fortitudo, ad liberandum eos, in manu tua, fructus terrae tuae, & omnes labores tuos, comedet populus, quem ignoras, & eris semper calũniam sustinens &c. Huius sententiae exemplum habes in Sidekia. 4. Reg. 25. Docet etiam iste locus parẽtes, timorem Dei, quis enim non optima quaeuis, & amplissimam hereditatẽ, suis liberis optat? proinde cura, ut pie uiuas, & pueros in pietate & eruditione Domini educes, amplius illo patrimonium eis relinquere non poteris, quod si tu impie uixeris, & filij tui impietatem à te coeptam, compleuerint, non solũ tu maledixeris, sed & filij, maledictionem patris hereditabunt, non quod liberi, si resipiscant, parentum peccata portent, sed quod ubi inter parentes & liberos,

Super filios impiorũ, maledictio.

Amplum patrimoniũ, liberorũ pietas.

Exempla patrum haec docent.

eadem fuerit impietas, ibi neceſſe fuerit, idem impietatis ſupplicium fore.

NONEGREDITVR CALAMITAS DE TER. Id eſt, tantæ adflictiones, non à rebus terrenis, aut à fortuna tibi accidũt, ſed oportet te ipſum tui mali authorẽ eſſe, nulla enim adflictio aut pœna aliunde, uel è terra, uel è cœlo, nobis citra meritum contingit, ſed quemadmodum aues, ſecum in aërem ferunt, ſuam uolandi rationem, nõ ex aëre petunt, quo modo enim fieri poſſet, ut in aëre uolarent, ſi non ſecum ferrent pennas & alas, quibus in aëre ſuſtollerẽtur? ita nec terra, nec cœlum, nobis calamitatum, aut ſupplicioru̇ authores ſunt, ſed noſtra impietas, quam nobiſcum innatam circumferimus, omnium adflictionum cauſſa & author eſt, & quemadmodũ laborantis agricolæ ſudor, nõ ex agro promanat, ſed ad agrũ in agricola fertur, ita non aliunde, nobis adcidunt adflictiones noſtræ, quã ex merito noſtro. Pulchra certe ſententia, qua admonemur, ut nos ipſos, tanq̃ malorũ noſtrorũ authores adcuſemus, nõ reijcientes cauſſam uel in Deum, uel in alienas res, quando nemo niſi à ſe ipſo lædatur: nam omnes homines naſcuntur peccatores & filij iræ: qui uero ſecum agnatum circumfert peccatum, is etiam unà cum peccato, maledictionem, calamitates, mortem & infernum circumfert: ſiquidem hæc peccati ſtipendia ſunt. Proinde, quando cũq; adcidunt

Adflictiones non aliunde, atq; noſtro peccato adcidunt.

Impietatis mala nõ auertũtur, niſi pietate, aut maiori cõmodo tolerantur.

adciderit maledictio, mors & infernus, iuste, & nostro merito, non aliena intusticia, aut importunitate adcidit, imò uero non nouiter adcidit, sed quod ante latebat, nunc reuelatur: ubicunq; enim peccatum latet, ibi infernus latet. Omnes igitur homines, pro Eliphaz sententia, iuste & merito propter peccatum & impietatem, adfliguntur? Respondeo, omnes homines peccatores nascuntur, & propter peccatum, queuis supplicia, quàmuis ingentia, meriti sunt, at multi pij interim, per fidem renascuntur, & per sanguinem filij Dei, à peccatis purgantur, ut sint noui homines, quales & Patriarchæ & Prophetæ fuerunt. Itaq;, quod ante fidem, digna meritis pœna & maledictum legis supplicium erat, post fidem, crux fit sancta, benedicta, fidei probatio, & reliquiarum carnis, ueluti falx putatoria. Exemplum habes in latrone, qui ad Christi latus, propter homicidia, patibulo adfixus est: huic enim priusquàm in Christo crederet & confiteretur, patibulum, legis maledictio, & dignum factis supplicium erat: at postquàm suam agnoscens iniquitatem, in Christum credit, ex patibulo maledicto, crux fit benedicta: siue igitur patiaris merito, siue immerito, crede, & benedicta erunt quecunq; tibi adciderint.

Adflictiones propter fidē, fiunt crux & probatio.

Veruntamen, ego Deum requiram, & de Deo faciam sermonem meum.

Facit magna, imperuestigabilia, mi-
ra, innumerabilia.

Dat pluuiam super terram, & effundit aquas super plateas.

Ponit humiles in sublime, abiecti exaltantur (eius) auxilio.

Conterit conatus prudentum, ut manus eorum nihil efficiant.

Comprehendit sapientes in prudentia eorum, & consiliũ prauorum, stultum.

Die adprehendunt (prudentes) tenebras, & tanquam in nocte, palpabunt in meridie.

Liberat de gladio, ab ore eorum, & de manu capientis, egenum.

Atq; adeo pauperis expectatio est, ut iniquitas contineat os suum.

VERVNTAMEN EGO DEVM &c.

Quod Eliphas priori capite, de iusticia Dei cœpit, nunc prosequitur, probando Deũ non esse iniustum, argumento à potentia, & operibus eius ducto, quasi uero nunc de iusticia Dei quæstio esset, ac nõ potius de crucis natura, & adflictionum conditione: est autem sensus, ut uere tu Hiob, agnoscas Deum non esse iniustum, enumerabo aliquot facta eius, quæ siquis

Quæ argumenta iusticiæ Dei.

animad-

animaduertat, iniusticiæ Deum adcusare non poterit: facit magna imperuestigabilia, dat pluuiã terræ, comprehendit sapientes in astutijs eorũ, saluat ægenum: hæccine, iniusti cuiusquam opera sunt? Itaq; his rebus cohibet Deus, os loquentium iniqua, ut nemo etiam si uelit, possit eum calumniari. Porrò, quemadmodum hypocrita, suis impietatibus & prophanis sacris, nihil aliud prætexere potest, quàm nomen bonis operis: interim non disquirens, an sua impia sacra, uera sint bona opera: ita Eliphaz diuinam iusticiam & potentiam, contra Hiob, iterũ atq; iterum tractat, nulla interim ratione habita, causſæ & controuersiæ: non enim de iusticia Dei contentio est, sed de crucis ratione, quæ in pijs, non peccati pœna, sed gloriæ Dei instrumentum est.

FACIT MAGNA &c. Psalm. 105. Fecit magna in Aegypto mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro, Psal. 146. Magnus dominus noster, & magna &c.

DAT PLVVIAM, Psal. 146. Parat terræ pluuiam. Hierem. 10. Ad uocem suam dat multitudinem aquarũ in cœlo &c. & quod Dominus in manu sua pluuiã contineat, testatur per Moſen, & Heliæ exemplum, in lege enim dicitur: Dabo uobis cœlũ æneum, & terram ferream &c. Helias uero ex spiritu ait 3. Reg. 17. Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu ego sto, si erit annis his ros, & pluuia &c. Iam si

Matth. 10 Lucæ. 12 nec pluuiæ ſtilla de cœlo, niſi iubente Domino, cadit, quanto magis uerum eſt, quod alibi dicitur, non cadit capillus de capite ueſtro, citra Dei uoluntatem.

PONIT HVMILES INSVB &c.

Vt aliâs habes. 1. Sam. 2. Suſcitat & de ſtercore eleuat pauperem, &c. & in cantico Mariæ: Deposuit potentes de ſede.

CONTERIT CONATVS PRVD. &c.

Huius ſententiæ exempla ſunt, quotquot pro ſua prudentia, contra Verbum, aut populũ Dei electum, conſultarunt, ut Pharao, Saul, Sanneherib, Phariſæi, Caiaphas, & Pilatus.

DIE APPREHENDVNT &c.

Eandem ſententiã habes inter maledictiones, Deuter. 28. Percutiet te Dominus cæcitate, ut palpes in meridie, ſicut ſolet cæcus palpare, & Exo. 10. Tenebræ palpabiles.

SALVAT DE GLADIO &c. Id eſt, Dominus liberat oppreſſum de manu tyranni, adeoq; ipſe ſolus eſt egeni & adflicti expectatio: nam aliàs dicitur PATER ORPHANORVM, & iudex uiduarum. HAEC OMNIA huc ſpectant, quod probent potentiam & iuſticiam Dei: cæterũ, quod omnes adflictiones, impietatis ſupplicium ſint, probare non poſſunt.

Ecce bene uiro, quẽ corripuerit Deus,

& eruditionem omnipotẽtis ne ſpernat.

Quoniam ipſe uulnerat, & medetur, percutit & manus eius ſanant,

In ſex adflictionibus liberat te, & in ſeptima non tangit te malum

In fame liberat te a morte, & in bello a gladio,

In flagello linguæ abſconderis, ut nõ timeas a uaſtitate, quum uenerit,

In uaſtitate & fame ridebis & a beſtiis terræ non formidabis.

Sed cum lapidibus campi pactũ tuũ erit, & beſtiæ campi pacificæ tecũ erunt

Agnoſces, qd̃ pax ſit tabernaculo tuo, cuſtodies habitationẽ tuã, & nõ aberrabis.

Agnoſces, quod multum ſit ſemen tuum, & progenies tua quaſi herba terræ.

Abibis in ſenio ad ſepulchrum, quaſi truncorum aceruus in tempore ſuo,

Ecce, hoc inueſtigauimus, ſic eſt, audi illud, & memineris tibi.

DIVERSA LECTIO.

Pro truncorũ aceruus, &c. Hebræ. habet בעלות גריש בעתו *Id eſt, ſucciſionum, uel meſſium*

cumulus, uel foliorum cumulus, quod Græcus paraphrasi quadã explicat, ἐλεύσῃ δὲ ἐν τάφῳ ὥσπερ σῖτος ὥριμος, κατὰ καιρὸν θεριζόμενος, ἢ ὡσεὶ θημωνιὰ ἅλωνος καθ' ὥραν συναγομένη σε id est, ingredieris in sepulchrum, quemadmodũ frumentum maturum, tempore suo demessum, aut sicut aceruus areæ tempore suo comportatus.

BENE VIRO &c. Post argumentorũ seriem, quibus Eliphas probare conatus est, omnem adflictionẽ esse impietatis stipẽdiũ, quasi egregie suo munere defunctus esset, ac totã caussam abũde satis munijsset, subijcit paræneſim lõge omniũ pulcherrimã, qua monet Hiobem, ut agnoscens impietatem suã, patienter crucem Domini ferat: Beatus inquit, homo, quem corripuerit Dominus &c. id est, crux sanctificat, non perdit, beatificatq;. Quæ aũt possit maior cruci cõmendatio adcidere, quàm quod sanctificet, et Dei fauorem declaret: nam crux schola est, qua docemur uoluntatem Dei, hoc est, abnegationẽ nostri, & sanctificationem. Vetus enim Adam usq; adeo totus impietate obrutus est, ut nec legi dei obsequatur, nec possit etiã suis potẽtißimis uiribus obsequi: proinde uoluntatem Dei implet, non adiutus à gratia, ut Sophistæ nugantur, sed prorsus per gratiã mortificatus, ut Paulus ait: Si spiritu carnis facta mortificaueritis, uiuetis. Quemadmodũ enim amor habẽdi nõ impleturi

Commẽdatio crucis qđ' eruditat & mortificet ueterem hominem.

pletur habẽdo, sed ut in hydropico, quo plus potãtur eo plus sitiuntur aquæ: sic, crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit: & ut gloriæ cupiditas, aut dominandi libido, non saturantur adquisita gloria, et nacto impio: ita uetus hõ quo plus per gratiã ad bona iuuatur, eo plus insanit ad mala: id quod exemplis manifestũ fit, nã quos unq̃ Deus maiori sapiẽtia & potẽtia donauit, quã Gẽtes, Græcos, Babylonios & Romanos·Iurares, à parte eorũ Deum solum stetisse quãdo in nullã aliam gentem, maiora dona et animæ & corporis effuderit. Sed uide, quantũ tãta Dei gratia, ad iusticiã et sanctificationẽ ꝓmouerint·Mutauerunt, inqt Paulus, gloriã immortalis Det, per imaginem, nõ solũ ad mortalis hoĩs similitudinẽ effictam, uerũetiã uolatiliũ, quadrupedũ & reptiliũ·Rursum quibus unq̃ deus fœliciores successus, & celebratiorem carnis iusticiam, quàm Iudæis tribuit, cum grã uiserutute preßi erant sub Pharaone, liberauit eos sine exercitu, per mare rubrũ saluos eduxit: in deserto quadraginta annis manna de cœlo cibauit: interim aqua de petra potauit, legem dedit, cultus carnis sanctißimos instituit, cum transissent illæsi Iordanẽ breuissimo tempore totã terram Chanaan, in eorũ potestatem redegit, & dominos terræ fecit. Quid igitur tãta dei gratia adiuti sunt? Peiores subinde efficiebãtur: illa enim Mose cõqueritur; incrassatus est dilectus

Gẽtes abuntur donis suis

Neq; sancti recte usi donis.

& recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, & dilatatus dereliquit Deũ factorẽ suum. En talis sit uetus Adam, si adiuuetur & non mortificetur. Proinde ut legi Dei obtemperet subigendus & mortificãdus est cruce. Nam propter Adæ præuaricationem, sic comparatum est, ut Dominus in homine nõ perueniat in propria opera, nisi per aliena: propria aũt Dei opera sunt, fauere, benefacere, uiuificare et saluare, propterea quod deus natura sua summũ sit bonũ, uita & salus, aliena sunt irasci, adflugere, mortificare et damnare: itaq; ut faueat, irascitur (nam & ideo lex irã operans, Euangelion præcedit) ut resocillet, adflgit, ut uiuificet, mortificat: ut saluet, dãnat. 1. Sam. 2. Dominus mortificat & uiuificat, ad inferos deducit & reducit, Hose. 6. Ipse cœpit & sanabit nos, percutiet & curabit nos. Ezech. 33. Nolo mortem impij, sed ut conuertatur & uiuat, hoc est: Quũ mortificauero impiũ, nõ operor meũ naturale opus, sed alieno opere morte scilicet, ad meum penetro, quod est cõuertere impium & uiuificare, Esa. 28. Alienum est opus eius, ut operetur opus suum.

Per crucẽ recte formantur pij.

Aliena opera Dei.

Opus dei primum ut saluet, iuuet & benefaciat.

IN SEX ADFLICTIONIBVS LIBERABO TE &c. Senarius numerus, operibus et negotijs sacer est. Sex enim diebus creauit Dominus cœlum & terram: et in lege, Sex diebus operaberis & facias omnia opera tua. Septenarius autem numerus, quieti

rus, quieti & ocio dicatus est, ut Mose ait: Septimo die requeuit Deus ab omni opere: et nullum facias septimo die opus. Itaq; quum Eliphas dicat: Dominũ nos liberare in sex tribulationibus, et in septima nihil ultra mali nobis adcidere posse, hunc habet sensum: toto adflictionis tuæ tẽpore, et in omni calamitate, liberaberis, si fide cõstes, in septima aũt nõ adcedet malum, id est, tandem in fine, quum tam satis fueris cruce eruditus sic liberaberis, ut porrò felicißime uiuas, tantum abest, ut adflictionem uel tantillã sentias: liberat enim Dominus in sex adflictionibus (id est, toto crucis tempore) non quod auferat crucem ab humeris nostris, sed quod tribuat uires, & patientiã crucis ferendæ: in septima autem adflictione (id est, post crucis tempus) sic liberat, ut & crucem auferat, & meram nudamq; fœlicitatem donet. Eodẽ sensu Paulus 1. Corinth. 10. inquit. Fidelis est Deus, qui non sinit uos tentari supra id quod potestis, immò faciet unà cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. Simili ferè tropo usus est Hose. 6. Viuificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit nos. Tertia enim dies resurrectionis est, & liberationis à cruce, ut uides in Christo tertia die resurgente.

Crux ferendæ dante Domino ad id uirtutẽ, donec liberet integrelum.

Dies resurrection.

IN FAME LIBERABIT TE &c.

Enumerat benedictionẽ pij, manũ Domini fide sustinẽtis, pius enim per fidẽ Dominũ possidẽs securißi

Pius præter Dominum nihil timet.

mus aduersus omnes calamitates perstat, non timẽs nec famem, nec gladiũ, nec rumores bellicos, nec ua stitatẽ, nec bestias terræ, adeoq; etiãsi cœlũ cadat, et fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.

A FLAGELLO LINGVAE &c.

Flagellum linguæ.

Per flagellum linguæ, puto intelligi, horrendam de hostibus uenturis famã, aut strepitum quadrigarum bellicarũ, ut enim flagellum corpus, ita fama hostium, aut tumultus curruum bellicorum, impium cor extimulat, ut tantũ nõ metu emoriatur, Hieremiæ 50. Ecce populus ueniet ab aquilone, uox eorũ quasi mare sonabit. Audiuit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius, angustia adprehendit eum, dolor quasi parturientem. Contra, pius fide in Verbo Domini constans, & Dominũ ueluti propriam hæreditatem possidens, nihil eiusmodi rerum uel rumoris, uel tumultus bellici timet, Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? quis separabit nos à dilectione Dei, num adflictio, nũ angustia? &c. Vnde & Hieremias de Christi tẽpore scribit, in diebus illis, aut saluabitur Iuda, & Israël habitabit cõfidenter &c.

SED CVM LAPIDIBVS CAMPI &c.

Bene cũ creaturis, conuenit pijs.

Qui in Domino securus est, & cũ ipso pacem habet, cum uniuersis creaturis concordiæ pactum habebit, & qui dominum adiutorem, aut fautorem habuerit, habebit et oẽs creaturas adiutrices, oportet enim

creaturas

creaturas è nutu Domini sui creatoris pendere, ille si fauet, fauent omnes, ait, aũt, negat, negãt. Proinde qui Dominum custodem habuerit, habebit et lapides campi custodes, ut aut in murum compositi, nos unà cum familia & frumentis nostris custodiant, aut ne offendamus ad lapidem pedem nostrum. Si inquit, Psalm. 90. perierint hinc mille, illinc decem millia, ad te tamen non adcedet malum, nec adpropinquabit tabernaculo tuo, quare? quia dominus spes tua, et altissimum posuisti refugiũ tuum, & angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibis uijs tuis.

Angeli sunt administratorij spiritus, Heb. 1.

BESTIAE TERRAE PACIFICAE &c.

Eadem habes Esaiæ. 11. Habitabit lupus cum agno, delectabitur infans sup foramina aspidis, & in cauernam reguli ablactatus manum suam mittet, non nocebũt, neq; occidẽt in uniuerso mõte sancto meo.

ET AGNOSCES QVOD MVLTVM.

Sic Deuter. 28. Benedictus fructus uentris tui, & iumentorum tuorum &c.

ABIBIS IN SENIO.

Hoc est, uiues satur dierum. Soli impij, etiamsi uel sexcentos annos uixerint, nõ dimidiant dies suos, propterea quod fiduciã suam in hunc mundum collocarint, proinde omne tempus quo uixerint, breuius est quàm ut satis faciat libidini eorum. Soli pij saturi dierum uiuunt, etiamsi uel decem duntaxat annos uixe-

Impij uix dimidiabunt dies suos.

rint. Non enim è suo animo, sed ex præscripto Dei pendent: parati igitur sunt, ut uitæ renuncient, quan docunq; Domino placuerit.

ECCE ISTVD INVESTIGAVIMVS.

Vide adrogantiam. q. d. quæ dicta sunt alta mente reponas, non enim è triuio, sed è spiritus penetrali petita sunt: & egregie quidem Eliphas, hactenus de iustitia Dei, crucis cõmendatione, et piorum benedictione disserit, sed à caussæ præsentis ratiõe, aliena sunt.

CAP. VI.

RESpondens Hiob dixit, utinam libra ponderaretur ira mea, & calamitates meæ, in statera leuarẽtur simul.

Quoniam nunc super harenam maris grauiores essent, ideo uerba mea absorpta sunt,

Sagittæ omnipotentis mecum, quarũ furor absorbet spiritum meum, & terrores Dei directi sunt in me.

Argumentum huius Capitis: grauissima patior, nullus autem amicorum meorum adfectu compassionis in me pio, tangitur, sed potius dolorem dolore augent, calumniantes, me iusta pati: utcunq;, certo tamen

men scio, me innocentem adflictum esse.

RESPONDENS HIOB &c. Vt amici Hiobis, frequentius in orationibus suis iusticiam & prudentiam Dei iactant: sugillantes interim Hiobē tanquam impium, & iusta causſa adflictū, ex blaſphemijs eius, quas propter grauem dolorem, in Deū protulit, offensi: ita Hiob frequentius, grauitatem diuini iudicij recenset, ignes infernales, hoc est, impatientiā importunitatem, & blaſphemias in Deum efflando suam interim innocentiam, & immeritam adflictionē testans. Sed qui conuenit, ut idem innocenter adfligatur, & tamen in Deum blaſphemus sit? Pulchre, nam quicquid alicui per fidem sanctificato, & purificato acciderit, innocēti accidit (fides enim sanctificat) propterea manet innocentia, quam diu Dominus per fidem manserit, at si recesserit iudiciū suum absq; ulla misericordia, ob oculos ponat, nemo quantūuis iustus innocens manebit, ut est Exod. 34. Innocens, nō innocens reputabitur apud te &c. Vnde Hiob, tam diu patiens fuit, ac Dominū in adflictionibus laudauit, quā diu Dominus fauore suo præsens fuerit, quū uero iā non fauore, sed furore, ira & iudicio se præsentē exhibeat, mirum quantas audias contumelias, quantas blaſphemias, à tam sancto uiro, ut ferè hæc duo sequēda capita, non sint nisi contumelioſis querelis, et impijs in Deū blaſphemijs referta, adeo nullus est quan-

Quomodo innocenter adflictus blaſphemet.

tumcũq; ſanctus. qui poßit graue Domini iudiciũ fre re. Itaq; hoc unũ & diſcendũ & curandũ eſt, ut oẽs uires, oẽs conatus noſtros, ſoli Deo reſignemus, quã do nullius creaturæ, ſeu conſilio, ſeu auxilio è iudicio Dei liberari poßimus, niſi ſola eius miſericordia.

VTINAM LIBRA PONDERETVR &c.

Id eſt, adflictio quam ſuſtineo, & innumerabilis & immenſurabilis eſt, citius enim quis poſſet harenam maris numerare & metiri, quàm dolorẽ ac calamita tem meam. Eſt autẽ cõmunis ſcripturæ tropus, quod per harenam maris, res innumerabiles ſignificẽtur, ut de Abraham dicitur. Erit ſemen tuum ſicut harena maris, id eſt, innumerabilis. Et iram hoc loco non in telligas eam, qua Hiob iraſcitur, ſed iracundam, ut ex trinſecus adparet, adflictionem Dei, qua Hiob affe ctus eſt, hæc inquam ira, maior eſt quàm ut ponderari poßit. Proinde, deficiũt uerba, uox faucibus hæret uſq; adeo nihil intentatum in me relinquit iudicium, ira aut terror Dei, et quemadmodum ſagittæ arcu eiaculatæ, uſq; ad penetralia corporis penetrãt, ita iudicium Dei, & grauis eius horror quicquid in me eximium, quicquid uitale fuerit, totum exhaurit. Hinc igitur colligere licet, quàm intolerabile ſit iudicium Dei, propterea quod adimat uocem, & ſpiritũ uitalem exhauriat intrinſecus in homĩe: nihil precioſius eſt ſpiritu (hoc enim nomine comprehenditur omnis

nis interior uigor & energia) extrinsecus uero in homine nihil est præstãtius sermone uel uerbo: hæc in homine præciosissima, ebibit & absorbet ira Dei, adeoq; omnes uires frangit. Iam quum Paulus dicat, scripturam esse ad nostram eruditionem scriptã, discamus ex hoc loco timere Deum, & ei tota mentis reuerentia obsequi, ne inducat nos in hanc tentationem, & ne ab ira iudicij sui absorbeamur.

Nunquid rugiet onager super herbam, aut mugiet bos super migma, suum?

Nunquid comedetur insulsum non salitum? aut quispiam gustabit albuginem uitelli?

Abominabile tactu animæ meæ, præ dolore cibus meus.

DIVERSA LECTIO

Quod Hebræus habet כרוי לחמי id est, sicut dolores panis mei, uel præ dolore panis meus est Græcus sic interpretatur, βρῶμον μοῦ ὀρῶ τὰ σιτία μου ὥσπερ ὀσμὴν λέοντος fœtidas enim uideo escas meas, quasi odorem leonis, hoc est, omnia mihi insipida sunt, & ueluti halitu leonum sordidata, testantur enim & Plinius & Aristoteles, de natura animalium, leonem grauissimum habere halitum, & ex halitu fœdum odorem in cibo relinquere.

NVNQVID RVGIET ONAGER, &c.

Similitudo est, quasi diceret, quod grauissima et intolerabilia patiar, argumento sunt gemitus, suspiria, querelæ, difficiles mores, inconditi gestus, et impatientissimæ animi mei indignatiões: nisi enim extrema paterer, non sic ingemiscerem, indignarer, clamarem, aut ferocirem: nam quemadmodũ onager (qui est asinus syluestris) non rugit, nec bos mugit, si habuerint escas suas paratas: ita nec ego ingemiscerem, aut ferocirem, aduersus iudiciũ Dei, si omnia mihi prospera ex animi mei sententia succederent: & ut homo cum delicatis opiparis dapibus affluens, contemnit insulsa & insipida, neq; quispiam gustat, uitelli albuginem, Paulo insipidam, si habuerit ipsum ouu uitellum, quod si præcio sioribus ferculis careat, cogitur insipidis uesci: ita ò amici, nihil est quod uos nũc conqueramini, omnia uobis adfluunt, migma uestrum (id est, cibus, à μίσσω id est, misceo) uobis pro palato paratum est, nullauos obruit calamitas, nullum sentitis iudicij diuini iram, licet uobis nunc securis, me consolari, eo cõsilia dare: omnes enim quum ualemus recte, ægrotis consilia damus. Itaq;, quando uobis omnia ex uoto succedant, patientes estis, pij uidemini, & Deo deuoti: cæterum si eodem, quo ego iudicio comprehensi essetis, cogeremini & uos, insipidis ac insulsis uesci, hoc est, pati quæ nolletis: nam quod ego nũc clamem

& ferotiem

& ferociens indigner, hoc extorquet, grauissimũ diuini iudicij pondus, quod uelim nolim, sustinere cogor. Est autem molestissima difficultas, nolle, & tamen cogi. Porrò, quod Hiob conqueratur, amicos suos esse ἀσόρητους καὶ ἀνελεήμονας non existimes eos nouo quodã affectu, Hiobem ueluti ignotum, contempsisse: nam hæc genuina carnis natura est, quod afflictorum passionibus nec tangatur, nec compatiatur: tanta enim cæcitas, totum hominem per peccatum inuasit, ut in aliena carne, nõ uideat suam, nec in aliena adflictione suam intelligat. Itaq; spiritus in scriptura, proximos nostros nõ amicos: interim neq; fratres, uocat carnem nostram (ut est 2. Reg. 5. Os tuum & caro tua sumus, Esa. 58. Carnem tuam (id est) proximũ tuũ non despexeris, ut hac occasione doceat, et trahat nos ad mutuam compatientiam, qua aliorum infirmitates, ueluti supposito humero, unà portamus: nam quod in alterius carne uidemus, hoc & in nostra latet: si uideris hominem putredine corruptum, aut febri affectum, cogita te eandem gestare carnem, ad eadem patienda natam: proinde mutua officia exhibeto, ne & tu simili morbo correptus, officijs charitatis destituaris, & quod de corporalibus morbis dicitur, hoc & de spiritualibus intelligendum est, ut Paulus ait Ro. 11. Si tu fide constitisti, ne efferaris animo, sed timeas: nam si Deus naturalibus ramis

Ingeniũ carnis, quod non mouetur alienis adflictionibus.

Proximus caro nostra, & os nostrum.

Locus charitatis.

non pepercit, uide ne quà fiat, ut nec tibi parcat. [illegible] *Gal. 6. Vos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate homi[nem] delicto occupatum, ſpiritu manſuetudinis, conſp[ectans] rans, temetipſum, ne & tu tenteris.*

Quis dabit, ut ueniat petitio mea, [et] expectationem meam det Deus?

Et placeat Deo, ut conterat me, exilia[t] manus eius, & uulneret me,

Tunc eſſet adhuc mihi conſolatio, & obſecrarem in dolore meo, ut non parce[ret], quãdoquidem, non negauerim (uel occultauerim) ſermones ſancti (Dei)

Quæ eſt fortitudo mea, ut perdurem, & quis finis, ut patiens ſit anima mea?

An uirtus mea, lapidea uirtus eſt, an caro mea ænea?

Nonne nullum in me auxilium eſt, & robur fugit a me?

QVIS DABIT &c.

Optantis eſt mortem, non ut Paulus optabat, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſed ut deſperatiſſimus quiſq; : quid eſt, inquit, quod tã immaniter cruciar, tã dire adfligar, cũ nõ occultauerim ſermões ſanctiſ hoc eſt, nõ abnegaui fidẽ, nõ blaſphemaui nomẽ Domini, nec unquam tanta flagicia deſignaui, quanta ſupplicia

Hiob humana patitur, optãdo ſibi mortẽ

ta supplicia sustineã, cur igitur punior, aut si omnino decretum est ut adfligar, cur non mox occidor? age cõterat me Deus, occidat, deijciat uel in infernũ. En habet me paratũ, modo nõ diutius tam dira supplicia ferame. Sancte loquitur Hiob, et pro testimonio Dei, dum se innocentem pronunciat, impatienter autem: sed quid? blasphemе loquitur, dũ mortem aptando, aduersus iudicium Dei fremit & indignatur, pietas eum manum Domini, etiam grauissimam tolerat, non abijcit: at rursus hic docemur, quid sit homo, sine domino PATRE, in iudicio relictus.

QVAE EST FORTITVDO MEA &c.

Vt sola fortitudo, sub graui pondere perdurare potest, ita nemo patiens est, nisi fine patiẽdi ob oculos posito: hinc spiritus in scriptura, plerũq; solet pios in cruce consolari, argumẽto à fine crucis & resurrectionis inutio, dicto: iam quum in inferno & iudicio domini, omnis humana uirtus euanescat: præterea nullus adflictionum finis adpareat, sed sempiternus horror et ira. Proinde nulla in inferno potest esse uel laus dei, uel patientia, ut Dauid canit, in inferno quis confitebitur tibi? Verissime igitur, similiter & impatientissime confitetur Hiob, se non posse, tã diras inferni adflictiões, patienter ferre: nulla enim tã fortis uirtus, aut robur tam efficax est, etiamsi lapideum aut ereum fuerit, quo possit iram Domini ferre,

Adflicti, sola spe suffulti, p sistũt sub cruce.

à facie enim Domini silet omnis terra. Porrò, quæ quàm in iudicio constare, carni impossibile fuerit, in Christo tamen omnia possibilia, fiunt, cuius uirtute & infernus uincitur: igitur quum audieris, nullā fortitudinem tantam esse, quæ possit iram Domini sustinere, discas tu timere Dominum, & manu eius te committere, ut libereris: ait enim, bono animo esse te: quia ego uici mundum, id est, adflictiones, cruces, mortem, adeoq; infernum, & quisquis uictoriam cupit in me solo eam ferat.

Virtus Christi, spes sub cruce.

Auferens a proximo suo misericordiā timorem omnipotentis derelinquit.

Fratres mei infideliter agūt (mecū) sicut torrēs & inundatio fluminū transeūt

Quæ sunt congelata glacie, ea abscondit nix.

Tempore, quo caluerint, interibūt, & in calore suo consumentur de loco suo.

Declinabunt a semitis gressuum suorum, ascendent in inuium & peribunt,

DIVERSA LECTIO.

Pro eo quod nos habemus, misericordiā, Hebræus legit, חסר qđ ꝓprie significat beneficiū, liberalitatē et eleemosinā: et quod apud Hebræū legitur,

שלגחקררים מצי קרחעלימו יתעלם

duplicatur

duplicitèr exponunt: Alij sic, quæ sunt compacta glacie, ea abscondet nix: nã קרח potius glaciẽ sonat, quã pruinã: & קרים natiua sua significatione, tenebrescentes, obfuscatos, & translaticiè cõdensatos, aut cõpactos sonat (aqua enim p se lucida, cõcreta aũt, fit tenebricosa, propter densitatẽ) similiter, & exhorrescẽtes significat, unde alij interpretantur: qui exhorrescunt pruinã, super eos cadet nix &c.

AVFERENS A PROXIMO SVO &c.

Antea Hiob grauitatem iræ Dei proposuit, nunc duritiam & immisericordiam amicorum suorum reprehensurus, ac falsam eorũ de adflictionibus sententiam declaraturus à πνώμῃ exorditur, dicens: Qui in fratrem, in proximum, immitis, durus, & illiberalis est, timorem Domini non habet, hoc est, amici mei in tanta adflictione, nec opibus, nec consilio, nec consolatione me iuuant, quãdo igitur nulla pietate in me affecti sint, uiri boni, & Deum timentes, iudicari non poterunt: & cum me ueluti contemptissimum quẽq; & impiissimũ præ se contemnentes, naso suspendũt, iudicẽ Dei non effugient: eadem enim mensura, qua nunc mihi metiuntur, remetientur eis, & Deus & homines: nam quemadmodũ torrens, aut impetuosum flumen, nullo adfectu, nulla cura, multo fragore horridisq; fremitibus, ultima loca præterlabitur: ita impij hypocritæ, si quando adflictum uiderint, tũ mox mul

Impietatis hypocriticæ ingenium.

ta increpatione, multa exprobratione insultant, & peßima quæq; de ipso uel à cunis repetẽtes, si non re ducunt, certe suspicantur: nunq̃, aiunt, placuit mihi institutum tuũ, semper ab adoleſcẽtia perdite uixiſti, adultus uidebaris honeſtus, ſed nunc ex adflictione, cet tua flagicia æſtimare, niſi enim plæraq; impia de ſignaſſes tanta non patereris. Eſt aũt hoc impietatis ingeniũ, quod Domino cõniuente, connueat & ipſe ad flagicia: interim & collaudet, opibus & conſilio iuuet, Domino uero adfligente, adfligit & ipſa, nũc inſultando, nunc exprobrando: contra pietatis natura eſt, tantiſper arguere, reprehendere, & inſtare, ὄχκαίρως ἀκαίρως dum Dominus connueat, & reſipiſcentiæ tempus largiatur: nam & hac ratione, tolerantiſſime fert malos, ut interim liceat eos, doctrina, exhortatione, ac increpatione, ad reſipiſcentiã inuitare: adfligente aũt Domino, non iam increpat, ſed cõſolatur: non præterita delicta exprobrat, non culpando inſultat, ſed opibus, auxilio, aut cõſilio iuuat, congemiſcitq̃: & breuiter, impij quum corrigendũ eſſet, conniuent, & corrident, dum conniuendũ & conſolandũ eſſet, culpãt: & ut iuſtã denegandi auxilij cauſſam habeant, priora delicta exprobrãt: pij uero docent, ubi docendũ eſt: arguunt, ubi arguendũ eſt. Ad hanc amuſsim, exige nunc amicorũ Hiobis ingenium, ante enim dum ſereniore fortunæ uultu reſpicie-

Pietas arguit cõniuente domino, & conſolatur iudicante domino

batur,

batur, nõ erat apud illos, aut laudatior, aut sanctior? solus Hiob omniũ, ne dicam amicorũ tantum, ore celebrabatur: nũc uero, quum adfligitur, austeriori Dei flagello percussus, nemo apud illos, magis impius est, nemo grauiora scelera commisit: proinde adcommodatissime, eos cõmuni quadam sententia perstringit. Qui aufert misericordiam à proximo suo &c. id est, qui non benefacit proximo, nec timet Deum, nec in eum credit: benefacimus proximo, si errantem in uiam reduxerimus doctrina, admonitiõe, increpatione, adeoq; insultu: benefacimus item, si adflictum consolemur, non insultando, sed iuuando. Rursum malefacimus, si cum errante, colludamus, & post adflicto insultemus, id qđ Λὶς Λ῾ πασῶν à charitatis ratione abest. Iam, qui à charitate proximi abfuerit, nec timet, nec habet Deum, siquidem, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet: & qui non diligit fratrem, quem uidet, Deum quem non uidet, quo modo potest diligere?

Charitas proximi et timor dei respõdent

QVAE SVNT CONGELATA GLACIE &c. Iuxta duplicem lectionem, duplex est & sententia, nam si legeris: qui timet pruinam, cadet super eum nix. Prouerbialis figura est (ut alias dici solet: incidit in Scyllam, qui uult uitare Charybdim) qua Hiob admonet amicos iudicij diuini, super eos uenturi, quasi diceret: qui paucis parcit, quo adflictum fra-

lacturam maiorem facit, q̃ negat paupertim modicum.

trem iuuare posset, multis priuabitur: & qui non ministrat carnalia, quomodo poterit spiritualium particeps fieri? Obstruens, inquit Salomon, aurem pauperum clamori, clamabit ipse uicissim, & non exaudietur: & Christus: Estote misericordes, ut & pater uester cœlestis misericors est. Item alibi: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Nam qui egenum iuuat, non egentem, sed Dominũ in egente, iuuat: & qui in sinum pauperis, eleemosynam, hoc est, opem, beneficium, consilium, & id genus recondit, in cœlis reponit: ac, quod maximum est, qui, ait Christus, propter nomen meum (id quod non solum persequutionis tyrannide, sed etiam eleemosyna in fratres fit) reliquit domos, aut agros, centuplum adcipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem, ut Psalm. canit: Dispersit dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. Itaq; qui timuerit pruinam, paruum admodum rei familiaris, propter fratrem, dispendium, obruetur niue, æternæ uitæ dispendio, & quod habet auferetur ab eo. Quid autẽ insanius, quàm euanido lucro, æternum amittere? Est igitur sententia, nunc uos o amici, insultatis, timentes forte, ne opibus uestris me iuuare cogamini, qui uero timet suo compendio propter fratrem, æterno priuabitur, & quanquam nunc uideamini belle ualere, ueniet tamen tempus, quum super uos exa-

Impius à sua ipsius iniuria opprimetur. Prouerb. 10

exarserit ira Domini, & iudicium eius incaluerit, tũc consumemini, in iudicij ardore, nullam usquam spem habentes, in Deum impij, nec ullum proximorum auxilium sentientes, in proximos duri, & immisericordes. In summa, qua mensura nunc metimini, ea metiẽtur uobis alij. Quod si legeris quæ sunt congelata glacie & aliam habent sententiam, minatur enim Hiob amicis suis, futurũ Domini iudicium, monens pulcherrima similitudine, ducta à glacie, niue tecta, ne præsenti fœlicitati confidant, & præ se fratrem cõtemnant. nam etiamsi satis firma & stabilia nunc omnia uideantur, consyderandum tamen est, quid serus uesperascebat: quemadmodum enim asperum hyemis frigus, aquam compingit, & in duram glaciem contrahit, dein glacies niue contecta, firmissima redditur, ita ut etiam plaustra ingentibus oneribus onusta, quasi solida terra, ferat, at quum Sol incaluerit, mox durissima glacies, in mobilem & fluidam aquam, unde concreta erat, resoluitur: ita impij, præsẽte fœlicitate sperant, & confidunt, at quum incaluerit Sol, iudicij diuinignis, & uehementia, nullo loco satis tuti, ac firmi constant: pessum eunt, errabundi uagantur, & spe & auxilio destituti, euanescunt, & consumuntur. Sic perierunt Pharao, Nebucadnezar, Sannecherib, ut est in Psal. 36. Vidi impium exaltatum ut cedri in Libano, transiui, adspexi, & ecce non erat. Sic &

Nemo miserior est impio, in die iudicij.

Hiob ait: Iam amici mei, nondum iudicio diuino ob oculos posito, pulchre ualent, & sibi constare uide tur: at quum incaluerint, id est, iudicio Dei compre hensi fuerint, consumentur ueluti cæra à facie ignis & glacies à calore solis.

Adspiciunt (amici mei, semitas Thema, itinera Seba obseruant.

Confundentur quum securi fuerint, & cum uenerint ad ea, erubescent.

ADSPICIVNT SEMITAS. Thema unus ex duodecim principibus Ismahel, de quibus Gen. 25. et habitauit ad Austrũ in Arabia, unde ea regio Thema dicta. Scheba uero filius Reima filij Chus, filij Cham, Gen. 10. à quo Arabia fœlix, Sabæa dicitur: ex Thema autem et Scheba, id est, Arabia irruerunt hostes Hiobis (ut supra capite primo) & boues ac asinas eius abegerũt. Itaq; Hiob, de falsis amicorũ calumnijs queritur, quod aspiciant ad itinera Thema, & ad Scheba obseruent, hoc est, quod pronuncient Arabes, iuste Hiobem suis armẽtis spoliasse, quasi diceret, unde iniquissimum amicorum meorum iudicium, condemnantes me insontem, caussam Arabum iustificãt, ac pronunciant, me iuste adflictum, & illos iuste adflixisse, quando uideant à parte mea, iratum Deum, & ab hostium parte fauentem, & auxiliantem, hu-

enim omnes ingenij sui neruos intendunt, ut me calũ-
nientur, & hostes impios, à culpa uindicent, hoccine
est candidi animi, & amici pectoris, tantáne libido
est, insontem condemnare, & sontes absoluere? sed
utcunq; uel maxime aduersariorum causſam iustam
pronuncient, scio tamẽ eos in sententia, quam in hac
causſa non æqua lance tulerunt, aberrasse, & tum po
tissimum confundendos, cum iam se uicisse existima-
uerint, & ἐπινίκιον iudicij sui celebrauerint. Nã im
pietas, multitudine fœliciter agentiũ, et euẽtu prosspe
ro offensa, Polypi mentem assumit, sententiam suam
ac decretum ad multitudinis ingenium, euentusq; ra
tionem accõmodans: pietas uero è solo Verbo pen-
det, & è Verbo, contra omnem multitudinem, contra
omnes euentus, sua iudicia comparat: iam quum euen
tus uarij & caduci sint, et multitudinis ingenio, nihil
aut instabilius, aut uanius: Verbo autem Domini, ni-
hil firmius aut potentius, etiamsi interim diuersum ali
quãdu adciderit: impietatis iudicium, à multitudine
& rerum fœlicium euentu comparatum, rectissima
pœna sequitur, CONFVSIO ET ERVBE-
SCENTIA: pietatis uero sententiam, ex Verbo
immortali collectam, merito sequitur immortalitas et
firmitudo, ut Paulus ait, Spes non pudefacit. Vnde
maxima pars populi sub Noha resipiscentiæ Verbum
prædicante, & arcam diluuij proœmium fabricante,

Iudicium humanæ rationis offensæ in firmitate.

non è uerbo, sed è fœlici rerum euentu, ac multitudi-
ne persequentium, & irridentium Noha sententiam
peterys, confusa est, etiam dum maxime secura uideba-
tur. Qui sub Pharaone, Iudæos adfligente, erant, ex
euentu regis fœlici, & aduersa Iudæorũ fortuna, sen-
tentiam comparantes, subito in mari perierunt, non
tam pudore, quàm morte adfecti. Quid dicam de Pro-
phetarum tempore? futuram Hierusalem deuastatio-
nem, quum florentissima & munitissima erat, denun-
ciantium? nam maxima Iudæorum pars, qui tunc iudi-
cia sua, non ex Verbo Prophetarum, sed è fortalicio
urbis, è fœlici impiorum statu, ex infœlici Prophete-
rum conditione, collegerant, iuste aduentu Nebucad-
nezar inopinantes, confusi sunt: ita & omnes impij,
unà cum amicis Hiob, ex fœlici rerũ euentu, & mul-
titudine populi, non ex ipsa ueritatis caussa, aut Ver-
bo Dei, sententiam suam comparantes, constare per-
petuo non possunt, sed oscitantes confunduntur.

Nunc uenistis huc, & uidentes calami-
tatem, timetis.

Nunquid dixi, adferte mihi (munera)
& de substantia uestra donate mihi?
Liberate me de manu adfligentis, & de
manu tyrannorum redimite me.

DIVERSA LECTIO.

Quod

Quod Hebræis est תיראו Græcus habet, Φοβήθητε in imperatiuo, timete, q. d. in mea adflictione discite, quid uos commeriti sitis, & quantum uos supplicium maneat; si enim hoc in uiridi contingit, in arido quid fiet? & si iustus in terra persoluit, impius & peccator ubi manebunt?

NVNC VENITIS &c.

Apostrophe ad amicos, quid est, inquit, quod huc conuenerittis? an ad consolandum? sed uelut impium me calumniamini; an ut consilio aut opibus, misero succurratis? Sed ecce, ut iustam habeatis auxilij denegandi caussam, priores me arguitis: & quum ante nobis omnia, prout uera amicitiæ lex postulat, cõmunia erant nunc, postquàm iudicium Domini sentiam, timetis opibus uestris, ne forte in mei auxiliũ, à uobis aliquid postulem, desinite quæso timere, non est, quod uestram opem implorem, an unquam de substantia, de diuitijs uestris quicquam emendicatus sum? an unquam auxilium uestrum imploraui, ut me de manibus aduersariorum & tyrannorum liberaretis? Porrò, ut in amicis Hiob, affabre impietatis, in expendendis aut retinendis opibus, ita in ipso Hiob, desperationis ingentium describitur: nam impietas in egentes parcissima & tenacissima est, in opulentos uero prodigalissima: ut & Ethnicus conqueritur. Quàm inique, inquiens, comparatum est, ut ij qui minus habent semper dandum. Impietas nemo.

per ditioribus aliquid addant: ita amici, liberales fuerant in Hiob fœlicitatis tempore, nunc in egentẽ & adflictum, tenaces sunt, adeo nullam μεσότητα seruare potest impietas. Rursum, Hiob desperationis speciẽ præbet, ubi enim impatientia & desperatio fuerit, ibi abominabile fit omne consiliũ & auxiliũ: nam etiamsi affuerint, qui in adflictũ, officio fratris defungi, summis uotis exoptent, nihil gratum: nihil adceptum fecerint, propterea quod impatienti & desperato, omnia perinde fiũt, ac intra se affectus fuerit, quicquid igitur contingat, uel humanitatis uel officij, citius mentis turbam prouocat, quàm sedat.

Docete me, & ego tacebo, & quod ignorauero, instruite me.

Quare calumniamini sermones rectos & quis ex uobis arguet eos?

Nonne ad increpandum, uerba concinnatis, & loquimini uerba diffidẽtiæ,

Veruntamen super pupillum irruitis, & eradicatis proximum uestrum.

Sed quia cœpistis, respicite ad me, coram uobis non mentiar.

Respondete obsecro, nulla iniquitate, similiter & in mea responsione, usq; iusticia erit.

An ne est in lingua mea iniquitas, an guttur meum personat stulticiam?

DOCETE ME ET EGO &c

Hoc est, descendi uobiscum ò amici in certamẽ, non calumniandi, sed disputandi, cur igitur conuicijs & calumnijs, nõ argumentis, caussam uestram tuemini, tacerem, si doctrinam audirem, nunc quum præter calumnias & urulentias, nihil audiam, quî tacere possem? & quanquam nihil unquam impium, ad defendendam innocentiam meam, dixerim, unicum tamen hoc studium uestrum est, ut uerbis arte concinnatis, me calumniemini, & ad diffidentiam ac desperationẽ commoueatis: Iam consyderate, quem insectemini, proximum scilicet uestrum, pupillum, id est, ab omnibus derelictum (negliguntur enim ferè pupilli) utrũq; à charitate alienum est: nam primum, hoc nomine uobis commendatus esse deberem, quod proximus, quãdo lex dicat, Diliges proximum tuum sicut teipsum, deinde, quod pupillus, hoc est, cõtemptus ac neglectus, sic enim & Christus, Luc. 10. in homine à latronibus despoliato, ac semimortuo relicto, docet eum nostrum esse proximum, & in nostram curam cõmendari, qui adflictus, nostra opera eget. Nam hic consyderandum fuerit, non quia ignotus, non quia aduersarius est, sed quia auxilij egens, & quãti faciat Dominus pupillum ac derelictum, quantumq; indignetur,

Abiectus suscipiendus quia abiectus.

si uel calumnijs uel sycophãtijs, pupillus cõtristatus fuerit, hoc argumẽto cõstat, quod uocet se iudicẽ pupilli Deut. 22. facit iudiciũ uiduæ, amat pupillum &c.

SED COEPISTIS &c. Id est, quando cæperitis mecum pedem conferre, agite, pugnabimus æquo Marte, æquis armis, uera loquor, respondete & uos uera, iusta dissero, respondete & iusta, faceſſant argutiæ, abeant calumniæ: nunq̃ ego committam, ut in hac tuendæ innocentiæ meæ causſa, à uero scopo aberrauero. Sed hæc intelligas de sermone, quo Hiob innocentiam suam, aduersus amicorum blasphemias tuetur: cæterum, quum de grauitate iudicij diuini, sermonem instituerit, ex adfectu quidem animi sui loquitur, sed in Deum impie: an uero Hiob, ideo tam mordicus, innocentiã suam defendit, qd' tanta gloriæ suæ cupiditate ardeat, quẽadmodum homines impij, ut fama seruent, etiam usq; ad mortem interum digladiantur? absit, nam Hiobis causſa, pro innocentia sua, aduersus amicos, non gloriæ humanæ libido est, sed confeßio Euangelij & cõmendatio sanctitatis eius. Euangelij enim Verbum, fide adceptũ, liberat à peccatis, sanctificat & purificat: igitur crux, fide sanctificato contingens, non tam maledicta & merita, ut in lege, manet, sed per fidem benedicta & immerita fit. Itaq;, si Hiob in amicorum sententiam ceßisſet, Euangeliũ abnegaſſet, & crucem fide sanctam, rursum maledi-

Crux benedicitur Verbo Euangelij.

ctam

ctam pronunciasset, quod, quàm impium & blasphemum fuerit, quotus quisq; est, qui nõ intelligat? Neq; mireris, quod inhumanius forte, amicos tractet, quã alioqui charitas ferat, fidei enim caussa agitur, in qua hominum opinioni, aut amicitiæ cedere, non tam charitas est, quàm in Deum impietas.

Nam euangelion abnegatur si negãtur ea, quæ ad illud pertinẽt.

CAP. VII.

NOnne, militia homini est sup terrã, & sicut dies mercenarii, dies eius?

Sicut seruus desyderat umbram, & mercenarius expectat premium operis sui.

Ita adprehendi (uel expectaui, ad requiem) mihi menses (sed) frustra, adeoq; noctibus, dolor mihi incumbit.

Dormiturus dicere soleo, quãdo surgã? & metior uesperũ, propterea quod replear abominationibus, usq; ad crepusculũ.

Induta est caro mea, uerme & puluere, pellis mea diriguit, & detestabilis facta ẽ.

Dies mei abierunt uelociores nauicula telæ, & consumpti sunt, nulla mora.

NONNE MILITIA, &c. *In priori capite Hiob amicos suos, duriciæ & immisericordiæ arguit,*

ſuam interim innocentiam, teſtimonio Dei compro-
batam, adſerens: nunc hoc capite, grauiſſimam infer-
nalis ignis moleſtiam, explanat, adeoq; uelut ob oc-
los ponit, animum, horrendo Dei iudicio, & æterna
damnatione, adfectum: atq; hæc omnia ſpiritus, hu-
cauſſa, ſcripturis mandauit, ut & noſtram, non dico
infirmitatem, hoc enim uocabulum minus eſt, quàm
ut adſequi naturæ noſtræ ſordes poßit, ſed prorſus eo
δεινίαν agnoſcere, & Deum timere diſcamus, ſumus
enim per Deum PATREM, robore & confiden-
tia, Leones, cuius exemplum eſt Hiob ante iudicium:
ſed Deo, PATREM occultante, & furorem ſuũ ob
ijciẽte, nihil timidius, aut deſperatius homine inueni
ri poteſt, cuius rei ſimiliter Hiob, iam in iudicio poſi-
tus ſpectaculũ præbet: Nonne, inquit, uita, militia ho-
mini eſt ſuper terra? hoc eſt, longe alia conditione, cũ
derelicto à Deo, qualis ego ſum, agitur, quã aliâs in
cõmuni hominũ uita, fieri ſolet: nam perinde, ut mi-
lites quanq; diu, et pericula, & labores Martis ἀπο-
προσάπτ in militia ſuſtinuerint, tandẽ tamen, tam
ueterani facti, exauthorãtur, ac miſſionẽ impetrant:
& mercenarij æſtũ quidẽ, totius diei ferũt, ſed optatũ
præmiũ, & laboris requiẽ tandem conſequuntur: ita
cõmunis hominũ uita, quanq; periculis multis, & ua-
rijs diſcrimínibus, expoſita ſit, adſequitur tamen re-
quiem à laboribus, uel morte. At iudicatus à Domino

Iudicij Domini grauitas.

Deſperatione nihil grauius.

&

& in medios inferni ignes, quales Hiob sustinet, con-
iectus, multo grauiora, quã uel milites, uel mercena-
rij, pericula patitur. Neq; interim uspiã, laborũ finem
aut Sabbathũ uidet: in iudicio enim Domini, nõ tam
grauat adflictiõis dolor, quã qđ iudicati, nullas adfli-
ctionũ feras, uident. Porrò calamitates et discrimina,
cõmunis hominũ uitæ, nõ possent ferè magis proprie
explicari, quã militiæ, mercenarij et serui nominibus,
quid enim est militia, nisi periculorũ, adeoq; mortis,
officina? nihil in ea tutũ, undiq; circũstrepunt iacula,
& tormentorum tonitrua: & dum hostem uideris,
parum abest, quin mortẽ ipsam uideas: breuiter, qui
militat, omnibus malis obiectus est, hanc solam spem,
& ueluti hiantem expectationem habens, ut hostem
uincat, & uictoria ac pace tandem fruatur. Et merce
narius, totos dies, totos annos, esurit, sitit, friget, al-
get, sudat, fatigatur, & nihil non molestiarũ perfert,
sola spe suffultus, ut præmiũ tandem optatum contin
gat, cuius dulcedine & desyderio, grauissima quæq;
sustinet. Præterea, seruus aut empticius, aut captiuus
ut maxime, toto seruitutis tempore, ingenti labore,
& tyrannide pressus sit, contingit tamen ei, uel tan-
dem umbra desyderata & laboris refocillatio, aut
manumissio: ita uita humana, undiq; periculis & ten
tationibus exposita est, ut miles: maximis molestijs ob
ruta, ut mercenarius: intolerabili tyrannide pressa,

Vita hominis militia est, & tota plena malis adflictionibus.

ut seruus: interim tamen suam habet recreationem
& si adflictiones non prius, tamen uel morte finiun-
tur. Huc accedit, quod Græcus pro militia πειρα-
στηριον, quod latine tentationis officinam significat, v
enim uita hominis, grauissimis tentationibus expo-
ta: à dextra tentamur diuitijs, honore, potentia, s
nitate: à sinistra, infirmitate, exilio, peccatis, mor
adeoq; ipso inferno. Quomodo igitur homo, tot ma
lis undiq; petitus, non interim uulneraretur, non m
rum est, quod paucissimi in fide constent, & usq; a
finem perdurent: hoc magis mirum est, quod non om
nes pereant, tanta est tentationum magnitudo. Ab
hac re, non ita multum abludit, Hebræũ hominis no-
men, quod hoc loco ponitur, nam Hebræi præterqua
quod homine אדם uocãt, hoc est, è terra subruffa,

Homo à nomẽ clatura miser.

factum, nonnunquam אנוש nominant: quod si in
terpreteris, sonat adflictum, infirmatum, ac despera-
tum, ut agnoscas hominem, non solum cõditione, sed

Infernus ẽ despatio auxilij.

& nomenclatura, calamitosum esse. Iam ut maxime
calamitosus fuerit, est tamen tempus, quo rude dona-
tur, ut ab ærumnis liber fiat. At longe diuersum adci
dit, derelicto à Domino, & condemnationi adtudica
to, huic enim omnia conclamata, & desperata uide
tur, nullum uspiam in adflictione asylum, aut quietem
habet, quocunq; diuerterit, præsentem uidet carnifi-
cem, nam Dominum aduersarium habet, omnia im-

plen

plenè, ut Psal. canit: Quo ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es si descendero ad infernum, ades &c. Porrò, hoste & eodem implacabili, ob oculos continenter uersante, quæ posset esse spes, quod refugium: atq; adeo, hæc miseria, nulla maior excogitari potest. Hic demũ uerus inferni ignis est, in quem Hiob coniectus, conqueritur, longe aliter ibi euenire, atq; pro cõmuni hominum more soleat, se enim totos etiamnum mensis, pro more militum ueteranorum, mercenarij, aut seruũ expectasse, uel tandem, laboris & adflictionis exantoramenta: sed quo lõgius expectet, eo grauius furor domini incumbat, ut nec noctes quieti hominũ dentur, liceat securas & á molestijs liberas agere: at qui hoc uerũ damnatorũ iudicũ est, quod eis optata nõ cõtingãt, & pudefiãt in sua expectatiõe, Esa. 59. Hiere. 8. Expectauimus pacẽ, et nõ erat, bonũ &c. DORMITVRVS &c. Descriptio desperatiõis, quæ legitimũ impietatis suppliciũ est, et sæpe in lege repetitũ, Deut. 28. Erit uita tua, quasi pendens ante te: timebis nocte & die, & non credis uitæ tuæ: mane dices, quis mihi dabit uesperum? & uespere, quis mihi dabit mane? Dominus enim solus est per uerbũ suum, spes, fiducia, fortitudo & audacia: illo igitur sese, unà cum Verbo suo subducente, quid remanet, nisi timor, impotentia & desperatio? Nam & tunc

Desperatio supplicium impietatis.

terret sonitus fŏlij uolantis, ut est Esa. 57. Impij quasi mare feruēs, quod quiescere non potest, cuius fluctus redundant in conculcationem & lutum. Nō est pax impijs, dicit Dominus. Iam quanq; desperatio impietatis pœna sit, adficiūtur tamen ea, etiamnū pij, inter quos Hiob non postremus est, Domino sic uolente, ut solus uerax sit, omnis autem homo mendax.

PROPTFREA QVOD REPLEAR.

Hoc est, omnibus abominabilis factus sum: nam qui corā Domino se abominationem esse sentit, is existimat se etiā omnibus creaturis abominationē esse, propterea quod uniuersæ creaturæ, ad habitū & faciem Domini sui iudicantis & abominantis, se comparent, ac totæ ex ipsius uultu pendeant. Quid aūt miserius est, quàm oīm ludibrio, risui & abominationi expositum esse: time igitur Dominum.

Adfectus damnat.

INDVTA EST CARO MEA &c.

Ratio, quare abominabilis omnibus factus sim, quoniam nō est in toto corpore, uel mica salutis: caro uermibus, è putrefactione natis, scatet, ac præ sordium situ et squalore fœtet, cutis arida ossibus uix etiamnū pēdet: adeoq; omnia membra mea, ab ira Dei facta sunt pellucida. Quondā ter fortunatus oībus rebus abundās uiuebā: nūc in inferno positus, priores dies, uix umbram reputo, & uidētur uelociores textorio instrumento (quod nauiculam uocāt) aufugisse. De-

scribitur

ſcribitur aũt his uerbis, adfectus, iudicio æterno dam natus, cui præ doloris præſentis grauitate, oĩs prius actæ uitæ, lõgitudo uix momẽtũ adparet, ideo ſequtur

Memento, quod uentus uita mea ſit, nec conuertetur oculus meus, ut uideat bonum (uel uitam)

Nõ intuebitur me oculus uidentis, oculi tui in me, ſed ego nõ ferre poſſum.

Conſumitur nubes, & abit, ſic deſcendens ad infernum, non aſcendet.

Non reuertetur ultra ad domũ ſuam, nec̃ occupabit amplius locum ſuum,

MEMENTO &c.

Verba impatiẽtiæ & deſperationis pleniſſima, q̃d eſt inquit, o Deus Phalaride crudelior, quòd me tam horrende adfligas, an neſcis uitã meam ueluti uentũ aut uaporem eſſe: ut etiã Iaco. 4. dicitur, Quæ eſt uita neſtra? uapor eſt, qui ad exiguũ tempus adparet, & deinde euaneſcit: ut enim uentus non conſtat, ſed uelociſſime abit, & uapor uel leuiſſima aura diſſipatur, ita hoĩs uita in iudicio Dei, nulla ratione conſtare poteſt, ſed mox in mortem æternam euaneſcit. Vnde & hoc loco Hiob ait, oculũ ſuum, nunq̃ uitam uiſurum, nec porrò ac ullo uiuentiũ, ſe adſpectũ iri, quando in inferno nulla ſit redemptio: nam qui iudicio dei, ut Hiob in infernũ coniectus eſt, nihil ſalutis

Impatiẽtiæ ſignum mortis optio.

Iudicium Domini tale.

nihil redemptionis, nec sentit nec uidet: quocunq; uerterit, mors sempiterna ob oculos posita est.

OCVLI TVI IN ME &c. Id est, Tanta grauitate iudiciũ tuum in me directũ est, ut prorsus nullæ ad ferendũ uires suppetant, nam condemnato grauior pœna, uultu Dei præsente adcidere non potest. 2. Thess. 1. Inobedientes pœnam luent, interitum æternũ à facie Domini et à gloria fortitudinis illius. uidere enim continentes ob oculos tyrannũ, carnificem, & hostem, subinde pœnas ingeminantẽ, qualis Deus condemnatis est, quem non possis effugere, & quem extreme odias, superat oẽm corporalẽ dolorẽ.

CONSVMITVR NVBES &c. Pulchra similitudo, ut nubes trãsit, euanescit & non reuertitur: sic, qui in infernum descendit, euanescit, nũquam illinc reuertens: reuocare enim gradum ab inferno, superasq; euadere ad auras, hoc opus, hic labor &c. Sed quî conuenit iste locus cũ alio, qui est 2. Samuel. 2. Dominus deducit ad inferos, & reducit, bene nã in inferno nulla est redemptio sensu desperationis, pprijs uiribus aut iusticijs: sed copiosa est redemptio etiam in inferno, misericordia & reductione Domini. Iam inferni nomine, simplicissime intelligenda est perditio, aut condemnatio: & ad infernũ descendere nihil aliud est, quàm perire, aut pessum ire, quod nos uernacula lingua proprie explicamus,

Infernus quid & descendere ad infernũ

zu grun

zu grund geen. Est enim fundus uniuscuiusq; rei infernum, aut infernum. Sic simpliciter admodum Iacob ait, Gen. 37. Descendam ad filium meum lugens ad infernum, id est, lugens moriar: similiter Num. 16. Descenderunt uiui in infernũ, hoc est, subitanea morte perierunt. Sic Ezech. 32. Tyranni descendunt ad infernum, id est, pereunt. Siue igitur perditionem, mortem, siue infernum adpellaueris, idem dixeris. Porrò mortis seu inferni, ea conditio est, ut natura sua quoscunq; comprehẽderit, tantisper teneat nec dimittat, dũ Christus filius Dei, morte ad infernũ descenderit, hoc est, perierit, per hunc enim deuicta morte et inferno, liberãtur quotquot fide renouati sunt: proinde, si respexeris inferni naturã sine Christo, et æstimaueris eum iuxta ingenium condemnatorum, et desperationem impiorũ, nulla in eo redemptio est, illis enim, nulla uspiam euasiõis uia patet: quod si uero ad Christum, qui est Dei misericordia & potentia retuleris, multa est in inferno redemptio, ut planè uerũ sit, quod Christus in Euãgelio ait, Apud homines impossibile, apud Deum omnia possibilia sunt: nam & Hiob, et Dauid et Hiskia, ac plærique; omnes sancti, ex inferno redempti sunt: neq; hic sermo est de sentẽtia condemnationis definita, & æterno igne, impijs in uniuersali die iudicij reuelando, è quo nullus unquã

Per fidem liberantur pij ex inferno, in dicij domini.

liberabitur, claudetur enim tunc ianua sponsi, & dic-
cetur his, q à dextris erũt: uenite benedicti patris: &
his qui à sinistris, discedite maledicti in ignẽ æternũ,
qui paratus est diabolo et angelis eius: sed de senten-
tia domini, qua per inferni ignes, pbat electos tenti-
& qua suã glorĩã, præ hominum uanitate declarat.

Quapropter, ego non prohibebo os meũ, loquar in tribulatiõe spiritus mei, & meditabor amaritudiné animæ meæ.

Nunquid mare ego, aut cetus, quod ponas mihi custodiam?

Quod si dixeram, consolabitur me lectus meus, & leuabit me in meditatione mea, cubile meum,

Tunc terrebas me somniis, & uisionibus obstupefaciebas me,

Vt eligeret suspendium anima mea, mortem omnia ossa mea,

Abominor uitã (seu despero) non ultra uiuã, cessa a me, qa uanitas dies mei sunt

QVAPROPTER EGO NON PROHIBEBO. *Hoc est, quia uideo & experior, uitã me-*
am uentum esse, nec ex inferno ullum reditũ sperare
licet, ideo, si non alia cõsolationis uia datur, querelis
aut murmure, me refocillabo, aut potius uindicabo:
aiũt, iuxta referre, siue curras festinus, siue lẽtus ad-

as infernum. Proinde, quum mihi nulla uspiam redẽptio speranda sit, loquar pro animi mei libidine, conquerar de iniuria, murmurabo aduersus iudiciũ Dei quando uideam omnino mecum actum esse. Iam consyderate cum, lector ĩ Christo amicissime, quanta sit miseria, non habere aliam consolationẽ, quàm querulari & murmurare, extrema nimirum hæc est desperatio, & deplorata calamitas.

NVNQVID MARE EGO, &c.

Expostulatio indignabunda, aduersus Deum, & est sententia: an times o Deus, ne turbam aliquam in orbe terrarum excitem, quod me tam diligẽter obseruas, & ueluti mare, undiq; uectibus, ne quo effugiã concludas? nam si ad lectum diuertero ut quiescam, tantum abest, ut inueniam requiem, ut ferè nunquam plus exterrear, horribilia enim somnia & uisiones terribiles usq; adeo me conturbant, ut sæpe decernã me uitam suspendio finiturum, quando nusquam uel micã spei de uitæ salute affulgeat. Porrò, mare hostijs conclusum est, & uectibus cohercitum, ut habes in fra capite 28. ne impetu suo, totum orbem terrarum inundet, similiter marinis cetibus et draconibus, sua custodia posita est, ne insanis suis motibus & furibundo natatu, cõturbent & mare & terram. Sic derelicto à Domino, uidetur se undiq; obseruari, quum nulla euadendi uia pateat, quocunq; se receperit, inueniet

Iudicatus à domino, uidetur sibi undique malis esse conclusus.

Dominum, qui adfligat, cui inuideat, quem odio habe
at, atq; hic rursum notabis ignem infernalẽ esse,
odisse Dominum carnificem, & tamen semper eum
præ oculis habere.

QVOD SI DIXERAM CONSOLABIT.

Somnus, alioqui mortalium quies est, & à labori
bus recreatio, unde & in Euangelio dicitur, sufficit
diei sua malicia, hoc est, interdiu labora, solicitudinẽ
nocturnã pone, ut saltẽ noctu quiescas, sentiẽti uero
iudiciũ diuinũ, nulla quies, nulla recreatio, nec in som
no quidem aut lectulo relinquitur: oĩa etiam quietis
sima turbida sunt, propterea quod uera quies, qui est
Dominus noster, ablata est, sic Psal. 6. Laboraui per
singulas noctes in gemitu meo, laui lectum meum
lachrymis meis, stratumq; meum rigaui.

VT ELIGERET ANIMA SVSPENDIVM.

Quid impatientius aut desperatius excogitari po-
test, quàm sibi ipsi optare mortem & suspendium?
nam, quum impatientia nõ ferat supplicii dei, nec de
speratio finẽ eius uideat, nõ mirũ, si ad rectum, suspẽ
dia, aut mortes uiolẽtas cogãt: miseri enim homines,
& extreme infœlices, existimãt se uel morte, iudicij
grauitatẽ euasuros, quod tantũ abest, ut potius mors
quam sibi consciscũt, æterni iudicij tanua sit, quo ergo
in tanto horrore & desperatiõe confugiendũ? nõ ad
mortem, sed ad Dominũ. At nõ licet ad Dominũ exo-
sum

sum & inimicum penetrare, quid igitur faciendum? sustinēda est manus Domini, donec retrahatur: In silentio, inquit propheta, & expectatione erit fortitudo uestra, & alibi: adhuc uisus procul adparebit in fine & non mentietur, si moram fecerit, expecta illū quia ueniens ueniet, & non tardabit.

CESSA A ME &c. Quod nos eadem sententia legimus: parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei. q.d. Mirandum profecto est, quod me tantopere obserues & adfliges, propterea quod uanitas umbræ somniū, aut si quid inanius est, dies mei sint. Iam, quū tam nullius frugi homo sim, quid nō cessas à me? & tollis manum tuam lōge omniū grauissimā? ut enim turpe fuerit imperatori in terris, hōiem quē piam ulem et in miserias extremas abiectum, timere ac præformidine omnes uias obseruare, omnia castella munire, ne quo miser hō euadat, aut alicubi negociū faceſſet: præterea, ridiculū fuerit heroi, in calamitoso homine & hoste uicto, sua strategemata exhibere: ita uidetur Hiobi, maiestatem diuinam minime omnium decere, quod miserū & calamitosum hominem, tanta obseruatione custodiat, & in eo sua strategemata exerceat, quum multo honorificentius esset misero condolescere, nō insultare. His omnibus, spiritus nos docet, quanta sit iudicij diuini grauitas: et rursum, quanta hominis īmanitas, & ὀυδενία nam iudi-

Carni uidetur indignum quod Deus contemptis, magna faciat

ciũ horribilius est, quàm ut ferri possit grato animo et homo uanior est, quàm ut in eo cõstare possit. Nos igitur miseri, quis liberabit nos de corpore mortis huius? Gratias agimus Deo, per Iesum Christum.

Quid est homo, quod magnifacias eũ & ponas super eum cor tuum?

Visitas eum mane, subito aũt probas illũ, quare non recedis a me, & nõ dimittis me, donec diglutiam saliuam meã?

Peccaui, quid faciam tibi o custos hominis? quare facis me aduersarium tuũ, ut & mihi ipsi sim onus?

Quare non aufers iniquitatem meam & tollis impietatem meam? sed nũc in puluere dormiam, & si mane quæsieris me, non adero.

DIVERSA LECTIO.

Pro eo quod Hebræus habet נצר האדם Græcus legit ὁ ἐπισάμενος ἐν νοῦν τῶν ἀνθρώπων .i. obseruãs, scrutãs, cognoscẽs seu explorans mentẽ hominum, ut aliâs, Deus scrutator cordium dicitur.

Res humanæ misere uariantur.

QVID EST HOMO, &c. Post expostulationem et murmura, sequitur admiratio, seu potius deploratio miseriæ humanæ, quã calamitosa, inquit, res est homo, tollitur in altũ sed ut altius cadat: magnifi à Domino

Domino, sed mox deijcitur. Bene quidam dixit tyrannorum magnates, calculis similes esse, qui pro libidine arithmetici, nunc supremum locũ occupantes, multam summam, paulopost, adpositio digito, aut in infimum locum subducti, minimam significant: sic tyrannus, pro ut uult, nunc illum eleuat, nunc rursum deijcit, nec quisquam maioris authoritatis est, q̃ qui principis animo allubescat. Hoc idem Hiob Domino obijcit, quod pro sua libidine, quempiam magnificet, cu stodiat, honoret, adeoq; omnibus beneficijs adficiat: mox uero, nõ expectata uespera, rursus deijciat, supprimat & conculcet, ut homo planè sit ludus, & mo rio Dei: & quemadmodum in recitandis tragœdijs, ut lßimus quispiam, interim regis personam agit: paulopost, depositia persona, adparet qualis sit: ita in hoc mundo, non alia uidetur uita nostra, quàm tragœdiæ ludus: qui enim nunc rex est, mox inter seruos obambulat, qui quondam diues, nunc pauper uuit, ut Ecclesiastes 4. de carcere catenisq;: interdum quis ingreditur ad regnum, & alius natus in regno, inopia consumitur. Porrò, hac diuersa humanarum rerum sorte docet Dominus & fidem & timorem: nam si abiectũ in alium sustulerit, crede quod misericordiam faciat ijs, qui diligũt eum: si eleuatum deiecerit, time, quoniam fortis zelotes est, &c. Aduersus autem hæc Dei oppera, desperatum cor, citius indignatur, quàm quod

Fides et timor discenda in mutatione rerum.

ex eis pietatem discat, iniquum putans, eleuatũ tam immaniter deijcere & conculcare.

QVARE NON RECEDIS &c.

A fremebunda miseriæ humanæ deploratiõe, rursus deflectitur ad expostulationẽ: adumbrantur autem pulchræ in Hiobe uarij, & subinde mutabiles, cõdemnati hominis adfectus: nũc enim conqueritur de iniuria, nunc exclamat, nunc expostulat, nunc indignatur, nunc blasphemat, nunc murmurat: breuiter, nusquam sibi constat in omne malorum genus ruens. Vnde & Hiob, quum antea de miseria humana, indignanter cõquestus esset, nũc rursus ad expostulationem, cum Deo intermissam relabitur, dicens: quare tam diu me adfligis, ut nec, uel saliuã, citra horrorẽ deglutire liceat? agnosco te citius carnificem, quàm Deum, an me hominem, non nisi stultum, stolidum, fatuum, fungum, bardum, blennũ, aut potius iniustum, impium, iniquũ, blasphemum & Dei abnegatorem iudicas, quod non tam ridicule, quàm horribiliter me tractes & adfligas: quid feci? quid cõmerui? quid in te tantum potui cõmittere nephas, quod non uel paululum ab adflictione interquiescas.

Blasphemia

PECCAVI. Blasphemia longe omnium impiissima, ait enim: Si propter peccatum meũ, tantopere me adfligis & condemnas, tibi Deo potius imputandum fuerit, quàm mihi: nam quando sis hominum custos

stos, formator & conseruator, cur meliorem me nõ feciſti? cur à peccatis me non prohibuiſti? quum hoc ipſum potueris: iuſtiora facerem, ſi iuſtiorem me cõ didiſſes, nũc quãdo me creaueris, non solũ ut ſim tibi moleſtus, ſed et mihupſi onus in te, creatorem hæc fa ba cudetur, non in me creaturã. Potes & ſic legere.

PECCAVI, Quid feci tibi o cuſtos hominũ, hoc eſt, ſi peccaui, quid ad te? quãdo meo peccato tibi nihil incõmodare poſſum, neq; enim ob iniquitatem meam, tu è cœlo & mateſtate tua deturbaberis, neq; quicq̃ mali tibi è delicto meo iferetur: pinde adfligis me nulla neceßitate, ſed mera libidine et tyrãnide.

QVARE NON AVFERS INIQNIT.

Eadem cum priori blaſphemia. Si, inquit, omnio peccaui, cur non aufers à me peccatũ, diceris miſeri cors: cur non & talem te mihi impartiris? nam ſi mi ſericorditer me tractares, non ſic te blaſphemarem. Iam quum erga me carnificẽ agas, qui poſſem tibi ali ter obuiare: hoſtilia intentas, hoſtilia regero: ſi me alium habere uolueris, alium formato. Vide, obſecro mi frater, quanta blaſphemia, ignis infernalis, in de ſperato homine accenſus ſit: tu enim, ait Paulus, hõ quis es, qui ex aduerſo reſpondes Deo? num dicet fig mentũ ei qui ſe finxit, cur me finxiſti ad hunc modũ? an non habet poteſtatẽ figulus luti, ut ex eadẽ maſſa aliud q̃dẽ uas fingat in honorẽ, aliud uero in ignomi

niã? Sed si huiusmodi blasphemiæ præ doloris magnitudine in nobis oriantur, quid faciendũ erit? Dauidis exemplo orandum est, ut habet Psal. 6. Conuertere Domine eripe animam meã, saluum me fac, propter misericordiã tuam, quoniã nõ est in morte qui memor sit tui, in inferno aũt quis confitebitur tibi, hoc est, rogo mi Domine, ne diutius me in morte, aut inferno perdurare sinas, uides enim ipse in inferno non esse, nisi tui nominis blasphemiã, & in morte tui obliuionem: quid aũt hæc tibi proderũt? eripe itaq; me, ut tui meminero, & laudem tuam adnunciem.

Oratione uindicendum iudicium domini.

SED NVNC IN PVLVERE DOR.

Concluſio deſperatiõis plena, ecce, inquit, pereo, ſpes nulla mihi uitæ relicta eſt, en occido, quod ſi me porrò quæſieris, non reperies, perditio enim ob oculos uerſatur, uſq; adeo, ut prorſus deſperauerim. Sed heus tu, quiſquis has blaſphemias legeris, noli quæſo præ te ſanctũ Hiobem inſtar amicorũ ſuorũ contemnere, qui ob has blaſphemias, eum etiã à principio, iuſte adflictũ iudicabant: ſed diſce potius hinc, Dominum Deum tuũ timere, & hominis uanitatẽ agnoſcere: qui, quantumuis ſanctus & pius fuerit: iudicium tamen Domini graue, ferre non poteſt. Porrò ultima huius capitis περικοπή hactenus in mortuorũ uigilijs lecta eſt, quas ut initio maiores, non impie celebrarũt, ita poſteriores, ſub Papiſtico regno, impiiſſi-

Hiob hũanæ uanitatis exemplum præbuit.

Vnde uigiliæ mortuorum.

me uelut

me ueluti simia imitati sunt: nam ut testantur aliqbus locis & Augustinus & Cyprianus, de mortuo fratre aut martyre occiso, conuenerunt fratres in Domino noctu, ad sepulchrũ martyris uigilantes, & interim mutuis consolatiõibus se ad pietatem & martyrium patienter ferendũ exhortantes, iuxta Pauli monita, qui Thessalonicensibus scribit, ut se mutuo consolentur sermonibus, de morte et resurrectiõe Christi, qua omnes pij unà cum ipso resurrecturi sunt in uitã æternam &c. Vnde conijcere licet, patres hãc pericopen in memorijs defunctorũ recitasse, qua admonerẽt præsentes auditores, quãtus esset mortis horror, quantæ desperatorũ blasphemiæ, ut postea eo cõmodius per Euangelion, per Christum Dominum nostrum, adflicte conscientiæ restaurarẽtur. Papistæ uero Patrum facta uidentes, & quasi per manus acceptantes interim non curata eorum uel fide, uel pietate, solũ opus imitantur, quanq̃ hoc tolerabile esset, nisi impia opinione fordidarent: nam Vigiliarũ opus, non faciunt ad præsentiũ doctrinã & consolationem, sed ad mortuorum auxilium, quasi uero, aut mortui murmure iuuarentur, aut Deus aliena opera respiceret, quum unicuiq; iuxta sua, non aliena opera daturus sit. Pulchre uero conuenit, ut hic locus, Vigilijs Papistarum aptatus sit, hic enim nõ nisi Hiobis blasphemiæ recitantur, & ipsum Vigiliarum opus, pro hypocritarũ

ratione factum, in Christi sanguinẽ blasphemũ est. Proinde, adcõmodate admodum blasphemia blasphemijs conditur, hoc est, similes habent labra lactucas. quàm enim incommode hæc ad demortuorum auxilia quadrent, agnoscit quisquis è uigilijs illis, sed uerius insomnijs, excitatus fuerit.

CAP. VIII.

REspõdens Bildad Suites, dixit, Vsq quo garris talia, & spiritus elatus, sermones oris tui?

Nunquid Deus iniquus esset iudicio, nunqd omnipotẽs iniquꝰ esset iusticia?

Etiãsi filii tui peccauerint cõtra ipsum, qđ dimiserit eos ĩ manu impietatis suæ.

Tu tamen si requisieris Deũ, & omnipotentem rogaueris.

Si purus & rectus fueris, mox euigilabit ad te, & restaurabit tabernaculum iusticie tuæ,

Et quod initio erat paruum, postremo multiplicabitur nimis.

Secundus amicus Hiob Bildad Suites, impatiens Hiobis audiens, quasi iam certus de cõmuni cum am-

cis cau-

eis cauſſa, & ex præſentibus blaſphemijs, præteritã adflictionem impietatis pœnam eſſe conijciens, conatur Hiobem ad confeßionem peccatorũ & reſipiſcentiam reuocare, duobus argumentis: primum ducitur à reſipiſcentiũ benedictione, quod patrũ authoritate cõfirmatur. Secundũ, à ſubitanea hypocritarũ maledictione, tacite Hiobem mordens, tanq̃ hypocritam. Sunt aũt pæneſes uerißimæ & pißimæ, hoc uno impiæ, quod in Hiobem, cutra cauſſam adflictum, male torquentur, ut ſolent mendaces, etiam uerißimis pro ſua libidine abuti, & ea aliò torquere.

VSQVEQVO GARRIS TALIA.

Adhuc ne, ô Hiob, adcuſas Deũ iniuſticiæ, & ponis in cœlũ os tuum? nondũ fateris, te iuſte peccatorũ cauſſa, adfligi? putásne Deum iudicio iniquum, aut iuſticia impium eſſe? Porrò, iudiciũ eſt, quum punitur ſons iuſticia, quum abſoluitur inſons: nuſq̃ aũt iniuſtus reperietur Deus, nec iudicio puniens ſontem, nec iuſticia abſoluens inſontem, reddit enim, ut iuſtus iudex, unicuiq; iuxta opera ſua: ſi impia fuerint, pœnã: ſi pia, gloriam & uitam æternã: nam & legis & iuſticiæ ratio exigit, ut nullũ malum impunitũ, & nullũ bonũ ἀμισθον, id eſt, ſine mercede, maneat. Cæterũ, hanc legis ſententiam, & iuſticiæ decretũ, Euangelion οἰκονομεῖ, id eſt, diſpenſat, nam per fidem in promißionem Dei, quæ eſt IESVS Chriſtus, malũ im-

punitũ manet, hoc est, peccatũ remittitur, & culpæ pœna: per infidelitatẽ uero, bonũ inglorium relinquitur. Quicunq; enim ex operibus legis sunt, ex maledicto sunt, & Israël sectando legẽ iusticiæ, ad legẽ iusticiæ non peruenit, quia nõ ex fide, sed operibus. Atq; hæc est unica nostra gloriatio, quam habemus in Euangelio Iesu Christi, qđ nõ iudicabimur iuxta peccata & opera, sed iuxta fidẽ & infidelitatẽ: Qui crediderit, ait Christus, nõ condemnatur, qui uero nõ credidit, iam iudicatus est. Et Ro. 8. Nihil est cõdemnatiõis (licet multũ sit peccatorum) his, qui insiti sunt Christo Iesu. Huc adludit Ezec. 18. Quũ auerterit se iustus à iusticia sua, & fecerit iniquitatẽ, morietur in eis: in iusticia, quã operatus est, morietur: & quũ auerterit se impius ab impietate sua, quã opatus est, & fecerit iudiciũ & iusticiam, uita uiuet, & non morietur: oĩa iniquitatũ eius, quas operatus est, nõ recordabor, ait Dominus &c. Vnde q Euãgelij Dei gloriã, nõ intelligunt, & zelo legis (quæ mala punit, nõ remittit nec obliuiscitur, bona uero honorat) imprudẽter ferũtur, dicunt: nõ est æqua uia Domini, qđ scilicet maliciæ resipiscentis, & bonitatis in impietatem relabentis obliuiscatur, quãdo iuxta legis decretũ, malũ sit puniendũ, & bonũ honorandũ. Sed audiũt rursus: nolo mortem impij, dicit Dominus Deus: Reuertimini & uiuite, id est, credite, & oĩa peccata oblitioni tradentur.

iuxta fidẽ aut infidelitatem iudicabimur.

Etiam

ETIAM SI FILII TVI PECCAVERINT. Adhortatio ad resipiscentiã: filij tui, inquit, perierũt, nulla spes salutis eorũ relicta est: iusta enim caussa, ob grande forsitan scelus mortui sunt, tibi uero spes resipiscentiæ relicta est: neq; enim pater iniquitatẽ filij portabit: age itaq;, require Deũ, agnosce afflictiones tuas iustas esse: noli Deum iniusticiæ arguere, sed potius precare omnipotentem, misericors est, ignoscet tibi: si enim purus & rectus fueris, hoc est, si resipiscas, euigilabit Dominus ad te, & restaurabit tabernacula tua, pro iusticiæ tuæ merito: insuper tanta benedictione, domum tuam uisitabit, ut quod in tio paruum fuerit, post abundantissime multiplicetur. Eandem habes benedictionem Deut. 28. Si audieris uocem Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate, benedictionem effundam super cellaria tua, Psal. 127. Vxor tua sicut uitis abundãs, in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarũ &c. Prouer. 10. Benedictio Domini super caput iusti. Sed quid hæc recenseantur, quũ tota scriptura promittat Verbum Domini audienti, benedictiones? Porrò, ut hæc adhortatio, ad resipiscentiam iusta est, ita non probat Hiobem iniuste propter peccatorum merita, afflictum esse. Ezech. 18

Nã obsecro, interroga generationẽ priorẽ, & para te ad inuestigandũ patres eorũ. Nos enim hesterni sumus, & rerum ig

nari, quandoquiden umbra dies nostri
super terram sunt.

Nonne ipsi docebunt te? & dicent tibi
(ueritatem) & a corde eorum egredien-
tur sermones (prudentes)

INTERROGA GENERATIONEM

Quod dixerat, iustos benedici, patrũ authoritate ci
firmat, quasi diceret: sordent forte tibi iuniorũ testimo-
nia, maiori ueneratione patrũ caniciẽ suspiciens: quæ-
re igitur maiores, interroga patres, qui multo usu &
experientia, sapientiã collegerunt: ecce ij docebunt,
me uera loqui, et adflictionẽ tuam tibi iuste cõtigisse.

NOS HESTERNI SVMVS &c.

Prudentia multo usu & experientia constat: hinc
seniores iuuenibus prudẽtiores sunt, iuuenes enim he-
Prudentia cõ= sterni sunt, id est, nuper nati, nondum prudentiam ad-
paratur annis nis collectam, possidentes: pulchre autem, breuitatem
uitæ nostræ, per hesternum & umbram delinat, nam
nihil nobis propinquius, ex præteritis diebus adiacet
quàm hesternus dies: ita ortus noster etiamsi ante
quinquaginta annos fuerit, uidetur tamẽ nobis hester-
nus, ac nuperrime factus. Præterea, quid citius transit
Homo bulla. umbra? Sic uita nostra, ut ortum habet nuperrimum,
ita finem habet celerrimum, adeoq; probe quidam di-
xit: homo bulla est, quæ in superficie aquarum subsi-

orta, mox interit. Iam quũ breuißima ſit uita noſtra, Senes uenerã= prudentia rerum, è ſenioribus & maioribus diſcẽda di, ob pruden eſt, ſancta enim & ueneranda eſt ſenũ authoritas, un tiam= de & Leuit. 19. præcipitur: coram cano capite cõſur= ge, honora perſonam ſenis, & time Dominum De= um tuum, hoc eſt, Dominus in ſenioribus timendus & uenerandus eſt. Sed ne quis exiſtimet, ſenioribus in omnibus rebus, etiam diuinis, ideo credendum eſſe quod authoritas eorum, ſacroſancta habẽda ſit. Hiob in 12. capite 12. hunc locum diluit, dicens: in maioribus (iuxta amicorum meorum opinionem) eſt ſapientia & in longæuis intelligentia: at ego dico, apud Domi= num eſt ſapientia, fortitudo, & intelligentia, hoc eſt, ſcio ego præ omnibus hominibus, audiendos & uene= randos eſſe maiores, ſed ita, ut Dominũ in ipſis agno ſcamus: quod ſi in ipſis, Dominum aut Verbum eius non inuenerimus, ſenectus & canicies non perſuade= ant: non enim propter canos, ſed propter Dominum ipſos audimus & ueneramur, Sapien. 4. Senectus ue= nerabilis eſt, non diuturna, nec annorum numero cõ putata, nam cani hominis, ſunt prudẽtia eius & ætas ſenectutis, uita immaculata.

Nunquid uireſcet ſcirpus, ſine luto hu mido, aut creſcet pratum ſine aqua?

Alioqui, dũ adhuc in flore fuerit, priuſ quam ſuccidatur & fœnum fiat, areſcit.

Sic sunt semitæ omnium obliuiscen
um Dei, & expectatio hypocritæ perit.

Quoniam exterminatur fiducia eius
& domus aranei confidentia eius.

Innititur super domũ suã, sed non pe
durabit, adprehendet eam, sed nõ surge

NVNQVID VIRESCET SCIRPVS

*Secundum exhortationis ad resipiscentiam argu-
mentum, ab hypocritarum maledictione ductum: nisi
forte malueris patrũ authoritatem, quam ante Bildad
allegauit, ueluti præfationem esse illius, quod nunc se-
quitur, qua probare uelit, nullum iustum adfligi, sed so
lum impium hypocritam, sicuti in fine addit.*

ECCE DEVS NON REPELLIT IN
TEGRVM &c. Iã ut resipiscentes, & peccata sua
coram Domino confitentes, benedicuntur, id quod in
priori huius capitis parte, Bildad docuit, ita impij hy
pocritæ, sese iustificantes (qualem Bildad Hiobem in-
simulat) maledicuntur. Porrò, quemadmodum alibi
Spiritussanctus, profectum pietatis, frugiferis arbor
bus, iuxta æquam plantatis, comparat, ut est Psal.
Erit tanquam arbor plantata, iuxta decursus aquar
quæ fructum suum dabit in tempore suo: ita hoc loc
impietatis maledicto, cũ iuncis & floribus, arido,
humectatoq; solo enatis, comparatur: iuncus enim

natura sua in locis humectis nascitur, & nisi pratum irrigaueris in medio uere, priusquàm ad fœnum demetatur, arescit: sic nulla spes, nulla fiducia constat, nisi Domino, aut Verbo eius irrigata: aufer Dominum, aut Verbum Domini, cadit omne humanum auxilium omnis claritudo, magnitudo & altitudo: VERBVM AVTEM DOMINI MANET IN AETERNVM. Iam hypocrita, aridissimo loco cõstat, nullo Deo, nullo Verbo irrigatus, sed mera opinione, imaginatione propria suffultus: perit itaq; à fiducia sua, & spe sua in iudicio pudefit. Exempli gratia: qui mane Missam Papisticam uidet, ut per totã diem fœlicius uiuat (hæc enim potissima hypocritarum ratio est, in uidendis seu audiendis Missis) aut qui ad diuum aliquem peregrinatur, ut ab aduersis liberetur, perinde ac iuncus sine humore, & pratum sine irrigatione, spe sua destituetur, propterea quod careat Verbo, fœlicitatem ex auditu Missarum, aut sanitatẽ & uisitatione reliquarũ sanctorũ promittente: quum igitur sol ortus fuerit, et iudicium Domini incaluerit, perit omnis eius spes & fiducia.

Humana ratio, in cultibus impijs cõfunditur.

QVONIAM EXTERMINATVR &c.

Confidentia hypocritæ, impia est, neq; in iudicio Domini perdurare potest: nam adinuẽtiones propriæ & nugæ humanæ, quibus hypocrita fidit, coram Deo abominationes sunt. proinde non possunt in se consi-

dentem, iudicij tempore liberare, unde & araneidas mos dicuntur: araneus enim uenationi studiosus, mirabili artificio, rete suum in aëra extendit, non tam sibi in domum, quam in uenationem muscarum, in quo rete, si graue inciderit, non sustinetur, sin leue ut musca, capitur: unde & quidam, legem aranei telæ cõparat, propterea quod ferè, dat uenia coruis, uexat cesura columbas: ita quũ confisus fueris humano auxilio et adinuentione propria, sustineberis quidẽ tantisper, dum leuis fueris, & à iudicio Domini liber: at cum ingraueſcat horrendũ Dei iudicium, aranei rete, hoc est, humanæ promissiones, & adinuentiones propriæ non poterunt te liberare: exemplũ habes in Iudæis Aegyptiorum & Assyriorum auxilio confidentibus, ut est Esaiæ 30. & 31. Habebant illi initio spem, Aegyptiorum ampullis & magnificis promissis inflati, sed in iudicio, Aegyptus erat aranei tela.

Humanum auxilium inualidum, iudicante domino, domino non iudicante, sepes murus erit ualidus satis.

INNITITVR SVPER DOMVM SVAM.

Impius confidit in domũ, uel aranei, uel in domũ propriam, hoc est, omnẽ suam substantiam, omnes diuitias, fortitudinem & cognationem: sed nec substantia, nec diuitiæ, nec fortitudo, nec cognati hypocritam ab ira Dei liberare possunt, sola fides in Verbum Domini, liberat: non perdurat, qui super harenam ædificat: perdurat, qui super firmã petrã, quæ est CHRISTVS IESVS, domũ suam collocauerit.

Vbi

Virescit (iuncus) priusquam ueniat sol, & in horto suo germen egreditur.

Ab irrigatione radices eius cõdensantur, Domum lapideam uidet.

Si deglutiuerit eum (sol) de loco suo, mentietur ei (locus, dicens) non uidi te.

Ecce hæc est lætitia uiæ suæ, & de puluere alii germinabunt.

DIVERSA LECTIO.

Vbi hebræus habet גַּן *alij interpretantur acervum lapidum, alij fontem seu irrigationem, ut sit sensus: tunci nascuntur inter petras, in locis humectis, & scaturigine fontium adfluentibus.*

VIRESCIT PRIVSQVAM &c.

Perstat Bildad, in eadem Scirpi metaphora, sub qua antea hypocritarum interitũ descripsit, nam scirpus in humectis locis, & quæ plærunq; firmissimis petris concluſa sunt, nascitur: uirescit igitur, et in loco horti sui ob humorem luxuriat, ut uideatur diutissime duraturus, præsertim cum undiq; etiam saxo durissimo sit circundatus, at quum sol incaluerit & scirpi hortum calore suo, exsiccauerit, tũ languescit & perit, quasi nunquam enatus fuisset, ac petra quæ ante uidebatur eius firmitudo, & defensaculum, post incalescente sole fit summa eius pernicies: itaq; sic euanescit, perin-

de ac deglutiretur à sole, adeoq; locus eius propter a
dorem, sic mentitur fertilitatem, ut nihil minus uide
tur, quàm quod illic iuncus quondam enatus fuerit.
hæc enim est lætitia uiæ eius, hoc est, hæc iuncorum
conditio, ut propemodum uideantur ea re delectari, si
subito nascantur, & incalescente sole, subito emarc
scant, ac rursum alij, de puluere germinauerint, si de
nuo locus humore irrigetur. Eadem plane est hypo
critarum conditio, priusquàm enim incaluerit sol, id
est, iudicium diuinum, fœlices, uirides, floridi sunt,
hortus eorum plantis nouellis luxuriat, ager frugibus
densatur, domus fundamento lapideo constat: breui
ter, omnia impij benedicta uidentur: ut & spiritus in
Prophetis miretur profundũ hoc Dei iudicium, quod
impijs bene, pijs male faciat, Hieremiæ 12. Quare uia
impiorum prosperatur? bene est omnibus qui præua
ricantur & inique agunt, Habacuc 1. Quare non re
spicis super inique agẽtes, & taces, deuorante impio
iustiorem se. Multum præterea spiritui negocium, ex
hibet hæc impiorum benedictio, ut pios in officio con
tineat, ne prospera impiorum uita offensi, crucis te
deat, & pietatis pœniteat. Porrò hoc potissimum ar
gumento à scandalo eos continet, quo ostendit bene
dictionem impiorum non durare, sed temporaneam,
diuturnam, & potius momentaneam esse, ut & hoc
loco ex metaphora iunci, Bildad docet: tantisper im

Impij prosperantur.

pios

pios florere, dum Dominus iudicio suo uenerit, & eos deglutiuerit, ante iudicium enim uidentur, quasi Deo maxime omnium probarentur: in iudicio autem non uel per transennam eos agnoscit, ut est Matth. 7. Multi dicent in eo die, Domine Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus &c. & tunc confitebor illis, non cognoui uos, hoc est, multos abiicit Dominus, qui uidebantur initio electissimi, Psal. 36. Vidi impium superexaltatum, ut cedros Libani, transiui, & ecce non erat. Vsq; adeo enim uarie impij tractantur, dum nunc eleuantur, nunc deijciuntur, ut hanc fortunæ aleam, unicam eorum conditionem & laeticiam dixeris, eleuatur enim impius, & mox perit, rursum alius de puluere surgit, qui & ipse mox perit. Vides hoc iudicium in regibus Israëliticis. Sallum percussit Zachariam regem Israël, & regnauit pro eo, quum uix mensem regnasset, occisus est à Menahem, post quem Pexahia, qui interfectus est à Pexa, rursus Pexa ab Hosea, ut legis 4. Reg. 15. Idem iudicium habes in Romanorum regibus, Pertinace, Iuliano, Seuero, Caracalla, Macrino &c. ut testantur Sextus Aurelius, & Eutropius.

Victimæ impij reges.

ECCE HAEC EST LAETICIA &c.

Potes & hunc locum sic intelligere, ecce hoc est mirabile Dei iudicium, hæc est læticia eius, ut deijciat impios, et alios de puluere excitatos, substituat. Impij

enim sunt uictima Domini odoratißima: sed prior sc. tētia, metaphoræ à scirpo cœptæ, cōmodior uidetur.

Ecce Deus non reiicit innocentem, ô non apprehendit manu iniquos.

Donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.

Odientes te induantur confusione, & tabernaculum impiorum pereat.

ECCE DEVS NON REIICIT.

Conclusio, qua Bildad sententiā suam in Epilogū colligit, Deus inquiens iustum non perdit, impiū non saluat. Proinde cum ô Hiob, propter impietates adflictus sis, non cessabit adflictio, donec resipueris & peccata tua agnoueris, quod si uero resipiscas, impleberis gaudio, & lætaberis: adhæc quicunq; te oderint, confundentur, & impiorū tibi aduersantiū habitacula corruent, sic enim & Abrahamo benedicitur, faciam te in gentem magnā, benedicam benedicentibus te, & maledicam maledicentibus tibi. Nam quāuis impij uideantur in hoc mundo florere & benedicti esse, sunt tamē maledictioni obnoxij, quæ suo tempore reuelatur: tam, ut nunc impij maxima animi laticia, piorū adflictiones in hoc mundo adspiciunt: ita rursum in iudicio Dei risui erunt omnibus creaturis, & coram eis confundentur, Esa. 66. Erunt ad spectā-

Impij erunt risui pijs, in iudicio domini.

tem

tem uisionis, omni carni. Huc accedit, quod & pij, in hoc mundo persecutionem ab impijs patientes, impios uindicabunt, ut est, Matth. 18. & 1. Corin. 6. Græcus paraphrasticôs, ita exponit, ὁ μὲν κύριος οὐ μὴ ἀποδοκιμάσῃ τὸν ἄκακον, πᾶν καὶ λῶρον ἀστοβῶς λέξει, ἀληθινῶν δὲ στόμα ἐμπλήσει γέλωτος, τὰ δὲ χείλη αὐτῶν, ἐξομολογήσεως, οἱ δὲ ἐχθροὶ αὐτῶν, ἐνδύσονται αἰσχύνην λίαν· ὁ δὲ ἀσεβοῦς, οὐκ ἔσται, id est, Dominus non reijciet malignum, & nullum donum impij suscipiet, uerecundum autem os implebit risu, & labia eorum confessione, & habitatio impij non perdurabit. Vt scilicet, sub particulari loquutione, uniuersalem intelligas, qua Bildad nõ solum Hiobem, sed quemuis pium peccata sua agnoscentem, & se iusta in afflictione pati, confitentem, benedici & ab aduersariorum cauillo repleri pronunciat. Porrò quod hic dicitur, innocentem nõ repelli, impium non iuuari, uere dicitur, sed non commode hic profertur, quamuis enim

Dominus non reijciat innocentem, adfligit tamen sine caussa, quamuis non iuuet impios, nec saluet, beneficijs tamẽ afficit, usq; ad illum diem, quem Dominus nouit.

Adfligit ut probet & liberet.

CAP. IX.

RESpondens Hiob dixit,
Vere scio, qđ ita sit, quomodo enim iustificaretur homo cũ deo (collatus?)

Si cui placuerit contendere cum ipso, non respondebit quispiã unũ pro mille.

Sapiens est corde,,& potẽs uirtute, quis restitit ei, & prosperatus est?

Transfert montes, ignorantibus ipsis, quos in furore suo subuertit.

Conturbat terram de loco suo, ut columnæ eius tremant.

Præcipit Soli, & non oritur, adeoq; & stellas obsignat.

Extendit cœlos suos, & graditur super excelsa maris.

Facit arcturum, oriona, pliades, & interiores stellas austri.

Facit magna, inperuestigabilia & mirabilia, quorum non est numerus.

Supra cap. 4. Eliphas disseruit, neminem comparatione Dei iustificari, ne angelos quidẽ puros esse in

conspe-

conſpectu eius, unde & colligit, neminẽ adfligi à Deo ſine cauſſa, ſiquidẽ omnis homo eſt mendax, ſolus uero Deus uerax. Proinde, ſi adfligat, iuſte adfligit, propterea quod non conueniat iuſticiæ Dei ſi punierit innocentem, atq; is præcipuus ferè amicorũ Hiob, in hac cauſſa, ſcopus eſt. Hinc eſt, quod longis orationibus ſapientiã, potentiã, & iuſticiã Dei, cõmendant, exiſtimantes pro carnali ſapientia, ſi Dominus adfixerit nocentem et innocentem, hominem Deo multo iuſtiorem eſſe: ſiquidem iuſtior eſt innocenter patiens, quã innocentẽ flagellans. Itaq; Hiob falſam amicorũ imaginationẽ improbans, docet uerum eſſe, quod nullus iuſtificetur in conſpectu Dei, neq; ullum eſſe qui poſſit unam excuſationem, ad mille adcuſationes in iudicio Dei obtendere, ut eſt in Pſal. 142. In conſpectu tuo non iuſtificetur omnis uiuens. Sed interim non conſentaneum eſt, omnem adflictionem impietatis ſuppliciũ eſſe; probe enim conueniunt, quod nullus coram Deo iuſtificetur, & quod omnis fidelis coram Deo iuſtificetur, ac propterea innocens patiatur, ſi adfligatur, tam coram Deo nemo iuſtificatur.

Coram Deo iuſtus eſt, cui peccatum nõ imputat.

COMPARATIONE ET IVDICIO.

Quæ enim conuentio peccati & iuſticiæ, hoc eſt, hominis & Dei? nec ſtellæ ipſæ mundæ ſunt, ſi ad iuſticiam Dei conferantur: & ſol, planè tenebroſus eſt, collatus cum claritate Dei: quãto magis luteus homo?

quod si uero ad iudiciũ respexeris, nec angeli, nec co
li iudciũ sustinere possunt, nedum homo, iam ante
Adam mortuus. Domine, inqt Psal. Si iniquitates c
seruaueris, quis sustinebit? & quando pro ocioso u
bo reddenda sit ratio, quî possemus uel unam exc
tionem, ad mille adcusationes habere. Sed rursum, c
nis pius iustificatur, etiã coram Deo, non quidem c
paratione, iudicio, aut propria iusticia, sed misericor
dia, Christo, fide, aliena iusticia. Est enim unica Chri
sti iusticia, quæ iudicium Dei sustinere potest, eam e
misericordia nobis Deus donat, quam si fide recepe
mus, reputamur corã ipso iusti, non qua nos iusti e
nobis simus, sed quod alienam iusticiam, fide possid
mus, Ro. 3. Iustificati gratis per illius gratiam, per r
demptionem, quæ est in Christo IESV, quem præp
suit Deus reconciliatorẽ, & 5. Iustificati ex fide, pac
habemus ad Dominum &c. Quicquid igitur post
dei iustificationem, pio adciderit, innocenti adcide
ut probetur, aut sese agnoscere discat. Porrò, quod cõ
paratione & iudicio, sine Christo aut fide, nemo iust
ficetur in conspectu Dei, probatur argumentis à sap
entia, & potentia Dei ductis, ut sequitur.

Iusticia aliena seruantur pij.

SAPIENS CORDE ESTET POTENS

Quid sit resistere Deo.

Resistere Deo, est se sublimiorem, iustiorem, &
potentiorem existimare, quales sunt omniũ impior
cogitationes, quibus mirũ in modum displicẽt iudicia

De

Dei: tales sunt et qui dicunt: Quare sic me fecisti? Hinc igitur manifesta fit potētia Dei, quod nemo unq̄ restiterit Deo, qui impune tulerit. Sathā restitit Deo, & deiectus est. Nebucadnezar dixit in corde suo, In cœlum conscendā, supra astra Dei exaltabo soliū meum, similis ero altissimo: sed audit rursum, ad infernū detraheris, in profundū laci &c. Sennaherib ait ad populum Hierosolymitanū: nunquid dij gentium, liberauerūt terram suā de manu mea? & quis est dominus uester, ut possit Hierusalem eruere? sed mox infœlicem exercitus sui stragem expertus est.

TRANSFERT MONTES &c.

Hoc est, tanta potentia præditus est Deus, ut uno momento dimoueat, & alio transferat montes, ipsis inbil tale expectantibus, & longe aliud propter suā firmitudinem (ut ita loquar) opinantibus. Plinius scribit Lucio Mar. SEX. IVLIAN. COSS. in agro Mutinensi, duos montes inter se concurrere uisos, crepitu maximo adsultantes, et recedentes. Huic non absimile est, quod refert terrā deuorasse Cybotū altissimum montem, cum oppido Curite & Sypilū in Magnesia, quæ si ulla penes authorem fides est, nō mediocria potentiæ Dei miracula sunt. Porrò, declarat deus potentiā suam, transferendo montes, non tam terreos illos & petrosos, quā adrogantes et sublimes tyrannos, sublimia seculi regna. Pharao, mōs seculi fuit

Tyranni montes.

sed uno momento, nihil tale expectans, translatus est in mare rubrum. Nebucadnezar, mons seculi fuit sed de loco suo dimotus est. Regnum Babylonicũ, mons seculi fuit, quid aũt de illo supereſt, nisi inane nomen? Hanc transferendi montes potentiã, dat & Christus suis, Mar. 11. Confidite Deo, amen dico uobis, quicunq; dixerit monti huic, tollaris ac mittaris in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit fieri, quæ dixerit, erit illi quicquid dixerit, hoc est, impossibilia erunt per fidem possibilia, usq; adeo, ut si etiã montes transferre opus esset, pius per fidẽ trãsferre posset. Impossibile est, Sathanam, mortem, & peccatũ ab homine uinci, sed ij montes, petrosis montibus multo sublimiores, per fidẽ in Christũ, mittuntur in mare, id est uincuntur. Transtulerunt & Prophetæ montes, hoc est, regna deuastarunt, non quidem gladio, sed Verbo, Hiere. 1. Ecce dedi uerba mea in ore tuo, constitui te hodie super gentes, & super regna, ut euellas, destruas, dissperdas, & dissipes: hæc autem omnia, potentiæ Dei specimen præbent.

CONTVRBAT TERRAM.

Declaratur potentia Dei, terræ motibus. Physici aiunt, terræ motum fieri, à spiritibus terræ inclusis, & erumpere gestientibus: non omnino hoc uanum est, sed tamen Domini opus est, qui per aëris eruptionem & terræ motũ ostendit, quã potens sit, unde &

nous

noua ac mira operaturus, terræ motũ excitare solet Moriẽte Christo, terræmotus factus est, qa mors tũc uincebatur: similiter, resurgente eo, cõmota est terra, qua tunc perditio peribat, & uita parabatur: quibus opibus, nulla maiora excogitari possunt. Porrò quod ait: VT COLVMNAE EIVS TREMANT, non intelligas, terram columnis inniti, quẽadmodũ poëtæ fabulantur, cœlum sustineri Atlantis humero, colũnæ enim terræ, dicuntur firmitudo & stabilitas eius, & præterea manus domini, qua terra firma constat, columna terræ dici potest.

Cur terræ motus.

PRAECIPIT SOLI, ET NON ORIT. Aliud potentiæ Dei argumentũ: Cœlum obducit nubibus, ut sol non uideatur, hoc enim significat, solem nõ oriri. Præterea stellas noctu obsignat, hoc est, obscondit nubibus: quem uero inter homines etiã potentissimos reges, in his operibus, secundũ habet?

Sapientia dei probatur à nubibus.

EXTENDIT COELOS. Declarat & cœlorum extensio, potentiã Dei, Gen. 1. dixit Deus: fiat firmamentũ in medio aquarũ Psal. 103. Extendens cœlum sicut pellem.

GRADITVR SVPER EXCELSA. Id est commotione fluctuum, qui sunt maris excelsa, declarat deus se præsentẽ et potentẽ. Græc, ita legit, περιπατῶν ὡσεὶ ἐπὶ ἐδάφους τῆς θαλάσσης id est, deambulat sicut super pauimentũ super marẽ,

A fluctibus maris.

quasi diceret: cũ Deus moueat marinos fluctus, uide tur in mari incedere, perinde ac in pauimento, non enim submergitur: atq; hoc est, quod Paul. Rhom. 1. scribit: quæ sunt inuisibilia Dei, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, perudẽtur, ipsaq; eterna eius potentia & diuinitas.

FACIT ARCTVRVM &c.

Ecce sapientiam Dei, è stellarũ dispositione cognoscibilem, Hierem 31. Qui dat solem in lumen diei, ordinem stellarum in lumen noctis, qui turbat mare & sonum fluctus eius. Breuiter, quis posset aut sapiẽtiam aut potentiã Dei enumerare, cum faciat magna inperuestigabilia, mirabilia et innumerabilia? Vbi nos legimus arcturũ, quod interpretatur ursæ cauda. Hebræus habet עש quod est totũ sydus draconis, et ursarum, circa Polum arcticum, collectione plurium stellarum sic nominatum: uide Capnionem. Pro Orion a כסיל, quod est, sydus unũ è stellis fixis in octaua sphæra ĩsigne. Pro PLIADES כימה de quo Rabbi Abrahã scribit, quod sint septem stellæ, in fine signi arietis. Pro ĩteriores STELLAS AVSTRI Hebræ. habet חדרי תימן penetralia austri: sic enim uocãtur stellæ ĩ parte meridionali, quæ cũ nõ uideantur ab aquilonaribus, nominantur penetralia seu interiora austri. Porrò mea sententia, his specialibus stellarum nominibus, comprehendit Hiob uniuersitatem stellarum

Ab ordine & numero stellarum.

Arcturus.

Orion.

Pliades.

Penetralia austri stellæ.

tem stellarum in cœlo, quandoquidē arcturus in Polo arctico, interiora austri, in Polo antartico, Orion in meridie, Pliades in septentriōe sint, ut ex uniuersitate stellarum, sapientia Dei intelligatur, Psalm. 146 Qui numerat multitudinē stellarū, et oībus eis noīa uocat, Magnus Dominus noster, magna uirtus eius, et sapientiæ eius non est numerus. Iam si tam potens & tam sapiens Deus est, ut nihil eo aut potētius, aut sapientius inuentri possit, quis iustificaretur in cōspectu eius, aut in iudicio eius constaret?

Ecce si transgressus fuerit me, non uidebo, & si præterierit non intelligo.

Ecce, si præceps abierit, quis reducet eum? quis dicet ad eū, quid facis?

Deus est, nemo retractabit iram eius sub ipso humiliantur cōfœderati fortes,

Ergo, quomodo ego responderem ei, & quomodo eligerem uerba mea coram ipso?

Quoniam, etiam si iustus fuero, nō respondebo, ad iudicium meum ueniam deprecabor.

ECCE SI TRANSGRESSVS FVĒRIT. Aute uindicauit Hiob, Deo iusticiam suam, ex potentia et sapientia, nunc ab occultis eius iudicijs, pro

Posteriora Dei, cognobilia.

bat Deum iustissime operari, etiamsi iudiciũ iustitiæ eius, ab oculis humanis absconditum sit, dicẽs: ecce, si TRANSGRESSVS fuerit me, non uideo, hoc est, occulta sunt Dei iudicia, quæ prima facie aut iniusta aut stulta in oculis hominum adparent, in nouissimo autem, intelligitur consilium eius, & posteriora eius, non anteriora uidentur. Ioseph uidebat somniũ, quo designabatur fratrum suorum dominus, sed hinc fratres inuidia moti, durissimæ seruituti eum uendiderunt: quis carnalium non indignatus fuisset Deo, & eius factum, tanquam iniquum non iudicasset? uidẽs Iosephum propter somnium innocenter adfligi, & postea in carcerem coniectus est, ob falsam stupri calumniam? sed quo hæc omnia tenderint, nouissimo reuelatũ est. Iudicat et stultũ ratio, quod filius dei crucifigatur, sed quorsum respexerit crux, ĩ nouissimis diebus. i. ĩ die resurrectiõis paschæ declaratum est: proinde, si transierit deus, hoc est, aliqd mirabiliter corã oculis tuis operatus fuerit, etiamsi nescias prima facie quid sit, aut quid miro suo opere uelit, bonum tamẽ, prudens & iustum esse, minime dubitaueris.

ECCE SI PRAECEPS ABIERIT.

Decretũ Domini non potest infringi nisi per fidẽ.

Id est, iudicia & tra Dei, decreta sunt irretractabilia, Esa. 14. Dominus exercituum decreuit, quis potuerit infirmare? manus eius extenta est, & quis auertet eum? Sic & Naum. 1. Ante faciem indignationis eius, quis stabit

quis stabit? et quis resistet in ira furoris eius? quæ ita intelligenda sunt, ut confiteamur, nullam carnẽ, nullam creaturam, posse decretum Dei infringere, aut iræ eius resistere, si citra fidem, citra Christũ, Dei iudicium aut irã adcesseris. Cæterũ, sola fides uincit iudicem si legis (quæ est Decretum Dei) & iram eius, unde & Ezech. 22. aut dominus: quæsiui de eis uirum, qui interponeret sepem, et staret oppositus cõtra me pro terra &c. Et ad Mosen dicitur: dimitte me ut percutiam populum: qui autem ait, dimitte me, significat se posse retineri, id quod nullis armis carnalibus, nullis muris, nulla humana sapientia fit, sed sola fide in Verbum Dei quod est Iesus Christus.

SVB IPSO HVMILIANTVR, &c.

Egregio facto declarat Deus, iudicia & decreta sua esse irreuocabilia, quod enim semel à Domino decretum fuerit, à nullis quantumuis adrogantibus, fortibus, arctissimeq; confœderatis retractari potest, id quod re ipsa comprobatum est: decreuerat Deus, se seruaturũ Dauidis stirpem, propter promissiões Dauidi factas, cõiurabant autem aduersus Achas (ut est Esa. 7.) impium licet, de prosapia tamẽ Dauidis descendentem, rex Syriæ & rex Israël, multo potentiores, dicentes: ascendamus ad Iudam, & euellamus eum, sed quid respondet spiritus? non erit istud, & non stabit consilium impiorum: uos o Iuda, cõfœdera

Deus promissi est uerax, etiam erga impios.

tionem coniuratiõis nolite timere, sed Dominum exercituũ, ipsum sanctificate &c. Iam non est malum fœdera icere, nam & Salomon cum Hyram rege Tyri, non impie fœdus percußit, at fœdus percutere contra Dominum, hoc demum impium est, & minime durabile, Prouerb. 11. Mali, utut inter sese conspirarint, non elabũtur, adde, nec infringunt iudicium domini, Psal. 2. Astiterunt reges terræ, et principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Sed quid sequitur? Qui habitat in cœlis, irridebit eos, Dominus subsannabit eos &c. Porrò cum tanta sit Dei potẽtia, ut cogãtur eius iudicio cedere, arctißime cõfœderati, quid ego, ait Hiob, conferrem pedẽ meũ cum ipso? quid possem ego ipsi respondere, aut quî liceret mihi cum ipso contendere?

QVONIAM ET IAM SI IVSTVS FVERO. Nulla comparatio est hominis quantumcunq; iusti, cum Domino, iustus uix saluatur, & nisi ueniam ac misericordiam consequatur, perit. Proinde quicquid agendum erit homini coram Deo, peragendum erit, non iudicio, non contentione, non iusticia propria, sed fide, precibus, & iusticia aliena, quæ est Iesus Christus. Hæc omnia potentiam & iusticiam Dei probant, quibus rebus fit, ut nullus hominũ in conspectu Dei iustificetur, ita nondum concludunt innocentem fide purificatum, non adfligi à Deo.

Si inuocauero

Si inuocauero & exaudierit me, non credo, quod audierit uocem meam,

Quia in turbine conculcat me, & multiplicat uulnera mea sine causſa.

Non dat recreationem ſpiritui meo, quoniam implet me amaritudinibus,

Si ad potentiam (reſpexero) robuſtiſſimus eſt, ſi ad iudicium (adpellauero) quis teſtis meus erit?

Si iuſtum me dixero, os meum condemnabit me (etiamſi) innocens fuero, deprauabit me.

Etiamſi innocens fuero, non audeo agnoſcere animo meo, abominor uitam meam,

Hoc unum illud eſt, quod dixi, innocentem & impium ipſe conſumit.

Si flagellauerit, occidit ſtatim, ad tentationem innocentum ridet.

Terra datur in manus impii, uultum iudicium eius operit, an non ita eſt? quo modo ergo?

SI INVOCAVERO ET EXAVDIERIT ME &c. *Relabitur rurſus Hiob, ſicut ſolet,*

ad recensionem grauitatis iudicij, in quod conie
est: huc enim cogit dolor, ac iudicij horror, qua
aliud non habeat, ut supra dixit, quo se solari pos
quàm ut suarũ miseriarum catalogan enumeret: u
diuisione quadam, docet se omnino perijsse, nec
effugij spem, quocunq; se uerterit, uidere: si uerte
me, inquiens, ad preces, quæ sunt extrema adflicti
chora, quid mihi profuerit, cum non credam me ex
auditum? etiamsi maxime exauditus fuero: usq; ade
premit me Deus miseria, conculcat me furoris su
turbine, multiplicat pro sua libidine, non meo meri
uulnera citra caussam, nihil respirationis spiritui me
relinquit, implens me subinde magis atq; magis ami
rissimis doloribus. Est autem hic adfectus longe om
nium & miserrimus & desperatissimus, quo senti
mus preces nostras non exaudiri coram Deo: quid
enim tunc spei aut fidei relinqueretur? Porrò preces
ex fide factas, certum est semper exaudiri & nun
quàm irritas esse, habent enim ingentes promissiones
quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis.
Item: petite & accipietis. Item: Antequàm clamau
rint, exaudiam eos: nihil tamen in desperato precum
exauditione incertius est, propterea quod non mox
sentiat exauditionis reuelationem: habet nanq; Deus
hanc consuetudinem, ut preces ex fide fusas, cõtinuo
exaudiat, non tamen continuo se exaudisse reuelet,
ut interim

Preces ex fide factæ exauduntur, licet serius adpareat nobis.

ut interim probemur, num è uera fide orauerimus. Iam uide impietatem derelicti à Domino, quanquam enim preces exaudiãtur, non tamẽ credit exauditas, propterea quod oculos habeat directos, nõ in promissionem diuinam, sed iudicium Dei horrendum.

SIAD POTENTTIAM &c.

Pergit Hiob ad alias diuisionis partes, dicens, Quod si me à precibus, ad potẽtiã dei uertero, si quo uiribus meis elabi possem, ne à tanta potentia opprimerer, sed ecce, Deus robustissimus est, nemo è manu eius elabi potest, si à potentia ad iudiciũ adpellauere, nullam creaturam uideo mihi patrocinari, sed simul cũ suo creatore, in meam perniciem conspirant, & aduersum me testantur. Quod si rursus ad iusticiã meam respexero, si quid inuenirẽ, quo ab ira Dei me uindicarem, sed etiamsi innocẽs et iustus fuero, tamẽ coram iudicio Dei, nõ habeo quod glorier, neq; enim mea iusticia cõfidere audeo, neq; eã animo meo agnoscere, quando pro libidine sua, deus iudicet, nõ respiciens innocentiã, aut iusticiam, miser ego quis me liberabit de mortali hoc corpore? abominor uitam meam, suspendia, gladios & mortem ipsam opto, tantũmodo, ut liberer ab hac miseria. Vide rursus quãtus cruciatus sit à deo relinqui, et in infernũ conijci.

Neq; preces, nec potentia aut iusticia, Dei solantur à Deo derelictum.

HOC VNVM ILLVD EST QVOD DIXI. Id est, hæc iam antequàm primum in infer-

num coniectus eram, mea fuit sententia, quod Deus nullo delectu aut respectu, pium & impium perdat ac pro sua libidine, utrũq; tractat, ut homo merus Dei ludus. Quid aũt posset in Deum magis blasphemum cogitari, quã si quis dicat, eum non habere patientis respectũ? num inuistus Deus, qui inducat in in immeritos? & quomodo iudicabit mundũ? Sed mirum non est, has impietates, in corde derelicti à Domino, adsurgere, quum Dominus unà cum omnibus suis bonis, sese à tali homine absconderit,

SI FLAGELLAVERIT &c.

Hoc est, tantus tyrannus est Deus, ut si flagellare & condemnare cœperit, nunq̃ desinat, sed omnia occidat, deuastet, corrũpat, nihil intactũ relinquens.

Adfectus hominis desperati.

AD TENTATIONEM INNOCENT.

Hoc dicto, exprimitur planè, adfectus hominis a Deo derelicti: opinatur enim talis, quisquis fuerit, dominum negligere piorũ curã, & crucem eorum non respicere, sed potius subsannare & deridere: at longe aliter se res habet, ait enim, qui tetigerit uos, tangit pupillum oculi mei: & spiritus, imò omnis creatura, testante Paulo, dolet, contristatur, congemiscit cum electis, usq; ad diem redemptionis, tantũ abest ut rideat, aut subsannet, ad adflictiones piorũ, ut potius impiorũ conatus irrideat, dum furore & insania correpti, in pios debacchentur, ut habes in Psal. 2.

Dominus respicit adflictos.

Terra

TERRA DATVR &c.

Quod Deus ad piorũ crucem rideat, uel hinc cognoscibile fit, quia tradit potestatẽ terræ, in manus tyrannorũ, & uultũ iudicũ terræ, operit, id est, pios, qui uel terræ iudices sunt, per impiorũ tyrãnidem conculcat, & opprimit. Quod si respiceret, aut indignaretur, super piorum afflictiones, tantas calumnias in terra pati non posset. Quis igitur eum iustũ Deum diceret, qui tyrannis terræ, omnia permittat, donec pij, omnino perire uideantur? Hic rursus habes infirmi blasphemias, quibus laborant, quotquot in iudicio Domini aliquandiu derelinquuntur.

AN NON ITA EST?

Quasi diceret: Scio ita esse, sicut loquor: scio me uerissima dixisse, Deum scilicet potius tyrãnum esse, quã iustũ iudicem, quando pro libidine sua, non pro merito, pium adfligat: loquitur aũt Hiob, iuxta sensus suæ rationem, Non enim in tanto iudicij horrore, Deum Patrem, sed carnificem sentit.

Dies mei uelociores fuerunt cursore, fugerunt, non uiderunt bonum.

Præterierunt una cum nauibus desyderabilibus, sicut aquila uolãs ad escam.

Si dixero, obliuiscar querelæ meæ, derelinquam uultũ meũ, & confortabor.

Tunc uereor omnes ærumnas meas,

ſciens quod non innocentem me ſint

(Si) ego impius ſum, quare ſic uanel
borauero?

Si lotus fuero aquis niuis, & purifi
uero in fonte manus meas,

Tamen ſordibus intinges me, & ab
minabilia erunt ueſtimenta mea.

Qm̃ (Deus) nõ eſt uir, ſicut ego, cui
ſpõdere poſſem, ut una irem⁹ ad iudiciũ

Non eſt inter nos arbiter, qui pona
manum ſuam inter ambos nos.

Auferat a me uirgam ſuam, & pauo
eius non terreat me,

Tunc loquar, & nõ timebo eum, neq
enim ſic mihi cum ipſo conuenit,

DIVERSA LECTIO.

Pro deſyderabiles, Hebræus habet אבה *qđ ue*
rie transfertur, alij fortes, alij deſyderabiles: trãslatio
uetus habet, poma portantes, ab אביב *i. matu*
rus fructus, uirgult ũ &c. Græcus legit ἢ κοῦ βάτ ναυ
σὶν ἴχνος ὁδοῦ, *id eſt, ſi eſt nauibus ueſtigium uia.*
Elige nunc quodcunq; allubeſcat, nam ſenſus conſta
quod uelocitas uitæ, cõparetur nauibus fortibus, uel
deſyderabilibus, hoc eſt, nauigijs, ad uelocitatẽ et u

luptatem

luptatē paratis, q̃ ueloces uocāt, uel qd' uita transeat sicut nauis, quæ post se nullū uitæ uestigiū relinquit.

DIES MEI VELOCIORES &c.

Rursus describitur adfectus condemnati, aut derelicti à Domino, tempus enim uitæ nostræ, suis spaciis & intermallis, trāsit: hora sequitur horā, dies diem, annus annū, idq; pedetentim, sua mensura: præterea ut dies nunc serenus, nunc nubilus adparet, ita uitæ tempus, nunc prosperū, nunc aduersum nobis est. At longe alius sensus est, derelicti à Domino, nihil enim ei breuius tēpore quo uixit uidetur, tota uita eius in oculis suis, momentū est: quod si etiā aliquid boni eo tempore cōtigerit, amarissimum in iudicio redditur, nam, quod Hiob ait: Dies mei non uiderunt bonum (hoc est, nullā unq̃ in uita mea fœlicitatem expertus sum) quis credit de præterita eius uita, quādo etiam usq; ad Sathanæ inuidiam, benedictam domū, benedictam familiā habuerit: & ut infra ait, cum procederet ad portā ciuitatis, in platea parabāt ei cathedrā, uidebāt eum iuuenes & abscondebātur, senes adsurgebant &c. Itaq; nūc loquitur iuxta præsentis iudicij effectum quo omnia priora iucunda & grata, iniucunda et ingrata reddūtur. Cōparatur aūt uelocitas uitæ tribus rebus, cursori, naubus uelocibus, & aq̃læ uolāti ad escā, q̃ ut cupidissime ita uelocissime uolat.

iudiciū domini graue, oīa reddit amarissima.

SI DIXERO, OBLIVISCAR &c.

Omnia præter animi sententiã adcidunt, derelict
à Domino, si enim ad recreationem spirauerit, nul
obsistit, qui neminem sinit innocentem, ut ipse te
tur apud Mosen, Exo. 34. Omnes enim corã eo d
nati sunt: quis aũt damnationẽ sentiens, recrear
set? Legimus de diuite Euãgelico, qui petebat ab
raham, ut mitteret Lazarum, & intingeret in
extremũ digiti sui, ac refrigeraret linguã eius, se
negatur ei: nulla enim in iudicio est recreatio, sola
nocentia uera est & gloriatio & recreatio, sed
in nullo hominũ, absq; Christo, inuenire licet. Proi

Contra Liberum Arbitriũ

de, quotquot ablato Christo & absconso, in iudic
Dei uenerint, nullã unq̃ refocillationem sperare po
sunt. Est aũt hæc Hiobis sententia, etiãsi conatus fu
ro, ut obliuiscar querelæ meæ, & uultum meum to
uum & austerũ ponã, & frontem meam exporrigã
frustraneus tamen conatus meus est: nõ enim hoc s
nunt ærumnæ & calamitates, quas grauissimas pat
or: nec permittit iudiciũ Dei, quo uelim, nolim, tan
nocentissimus condemnor. Vbi nunc est liberũ hom
tis Arbitriũ? ubi iusticia operum? si enim hæc in ho
mine aliquid possent, nimirũ hoc loco, ab Hiobe pro

Iusticia operũ nõ potest ferre iudiciũ dei

ducta fuissent: uanum igitur Liberi arbitrij in hom
ne uocabulum est, & sonus sine mente, tantisper
quid esse adparens, dum Dominus iudicauerit. Sic
operu

operum iusticia, larua quædã est, ad tempus impietatem excusans, in iudicio autem, minime constans. Iusticia operũ nõ potest ferre iudiciũ Dei

SI EGO IMPIVS SVM &c.

Vox impatientißimi animi: si, inquit, omnino stat firma sentẽtia, ut iudicer, et uelut impius, cõdemner, age festina, ut mox cõdemnar, quid tã diu differs, cur nõ in infernũ me detrudis? qd hic, uane perdurauero?

SI LOTVS FVERO. Hoc est, etiam si à peccatis purus fuero, in conspectu tamen Dei, nunq̃ purus ero. Iterum probat, nullam iusticiam humanam, quantumuis egregiam, posse in iudicio Dei constare, Sic Hiere. 2. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borit, maculata es in iniquitate tua, coram me, dicit Dominus Deus. Porrò, quum spiritus in scriptura, doceat humanã iusticiam, coram Deo non ualere, non hoc uult, quia negligẽda sit, aut omnino pro carnis libidine uiuendum, cum Paulus iubeat, ut uiuamus σὺν ἐπιλήψει, sed ut discriminet inter iusticiam humanam & diuinam: diuina, est Christus, aut fides in Christũ: humana, opera externa sunt: itaq;, quum spiritus humanam reijciat, hoc consilio facit, non ut ab ea operatores deterreat, sed ut desyderium ueræ iusticiæ, in iudicio diuino constantis, quæ est fides in Christum, inijciat. Manus autem & uestimenta, hoc loco, quæ iudicio Domini sordidantur, sunt bona nostra opera, uirtutes, & id genus. Diuina iusticia. Humana.

QVONIAM DEVS NON EST &

Hoc est, si mihi cum homine quopiam, eiusdem m
cum sortis & cõditionis, causſa esſet de victoria, no
timerem, sed quũ mihi res sit cum Deo, qui solus p
tẽtißimus & iuſtißimus est, et nullo iudici ſubiect
non potest fieri quin ſuccumbam: quæ enim conue
tio hominis abiecti, & Dei omnipotentis?

NON EST INTER NOS ARBITER

Pro arbiter, Hebræus habet מוכיח à יכח q
non tam reprehendere & arguere, quàm approba
et excuſare, ſignificat, unde Græcus, paraphraſtice
tranſtulit, εἰ ἦν ὁ μεσίτης ἡμῶν, ὁ ἐλέγχων
καὶ ἀκούων ἀνὰ μέσον ἀμφοτέρων: ſiquidem
eſſet mediator noſter, & redarguens, & audiens in
medio utriuſq; , ut ſit ſenſus: non licet mihi Deum in
ius uocare, propterea quod non habeam arbitrũ, qui
nos ambos reconciliet, & arguat, aut me, ſi quando
importunior fuero, aut Deũ, ſi quando me immuta
quàm cõueniat, tractauerit, quis enim Deũ poßit &
audeat arguere? aut, quoniã uiæ eius à uijs noſtris, ſi
cut cœli à terra exaltãtur, quis nos cõponeret, & me
diatorẽ noſtri ageret? atq; hic eſt, condemnati & de
relicti à Domino affectus, nã præ oculis ſolũ iudicũ,
citra Verbum promißionis, qđ est Chriſtus, habens,

Chriſtus arbiter.

nullũ nec in cœlo nec in terra, arbitrũ, & reconcilia
torem reperire poteſt: cæterũ, unus uerus eſt arbiter

& mediator, inter nos & Deũ, Iesus Christus, mundi propiciatio, quẽ si habueris & fide possederis, perrumpes & mortem & infernũ, quod si uero ablatus fuerit, nec minimum digiti dolorem patienter feres.

AVFERAT A ME VIRGAM SVAM.

Id est, nunc quidem facile supprimor, quando Deus iudicio, & uirga indignationis suæ, me cõprehenderit: sed age, auferat à me indignationẽ suam, ut non formidem eius iudiciũ, tunc & ego recta loquar, patiens ero, & in conspectu eius constabo, in tantis enim doloribus, quî possem uel recta loqui? uel patienter consurgere? uerè, sed tamen indignanter & impatienter, Iob loquitur: iram enim Domini, nemo ferre potest, sed si irã abstulerit, & fauore nos respiciat, tunc constamus aduersus mortem, peccatũ & infernũ: deprecanda est igitur ira Dei, cum Dauide: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

CAP. X.

ABominatur anima mea, uitam meam, fortificabo de me querelam meam loquar de amaritudine animæ meæ, Dicam ad Deũ, nõ condemnes me indica mihi, propter quid cõtendas mecũ?

Placet ne tibi, ut calumnieris, & reprobes laborem manuum tuarum, & consilium impiorum clarifices?

Nunquid oculi carnei tibi sunt, an sicut uidet homo, tu uides?

An sicut dies hominis, dies tui? an tempora anni tui sunt, sicut dies uiri?

Quod quæras iniquitatem meam, & peccatum meum inuestiges.

Vt scias tu, qđ nõ impius sim, quũ nemo sit, qui possit (me) de manu tua eripere.

ABOMINATVR ANIMA &c.

Omnia amara erunt absq; Domino.

Consydera obsecro, quanta sit rerum humanarum uicissitudo, immò quàm graue sit iudiciũ Dei. Ille enim *Hiob, qui quondam omniũ orientalium ditissimus & honoratissimus erat, adde, qui non habeat similem in uniuersa terra, nunc uastidit suam ipsius uitam, & dies suos abominatur. Disce igitur ex hoc loco, omnia etiam alioqui iucunda nobis, sine* Deo *fautore, molesta & amara esse, ut & uita optabilis, ac iucunda est, sed tantisper, dum habeat* Dominum *fauore suo præsentem, quo recedente, & iram intentante, nihil unquã uita amarius contingere posset: quæ amaritudinẽ etiam* Ethnici *moti, dixerunt: optimum est, non nasci, proximum autem, si natus fueris, quàm primum mo-*

ri. In

ri. In timore igitur Domini, ambulandum est, ne se ipsum subtrahendo, omnia nobis bona subtrahat.

FORTIFICABO DE ME QVERELAM. Nam, ut supra testatus est Hiob, hanc solam reliquam habet consolationem, ut cõqueratur, ut miseriarum suarum catalogũ recitet: misera certe cõditio, si non alia, præter querelam, consolatio supersit.

DICAM AD DEVM, NON CONDEMNES, &c. In Hiob, impij & condemnati cordis curiositas, planè adumbratur, nam quum effugere afflictionem non possit, & iudicio graui prematur, uertit se ad Deũ, iudicij caussam importunissime postulando, quasi uero Deus, qui est iustissimus, uiuorum & mortuorum iudex, sententiæ suæ & operum rationem, homini, creaturæ deploratissimæ, dare cogatur, sic enim ait Hiob: indica mihi, quare mecum contendas, quare me tanto iudicio premas, nolo prorsus me condemnes, nisi prius indicaueris rationem, et malefactum, quare condemnandus sim: an non impie tuæst, rationem facti, à Deo tanquam iniusto, postula reised sic adficitur cor à Domino derelictũ, pius enim in Domino constans, etiamsi prima facie, operũ Dei rationem non intelligat, non tamen infideliter expostulat, nec hostiliter insultat, sed reuerenter quærit proinde quod quæritur, inuenitur, ut Psalm. 72. querutur, cur impij in labore hominum non sint, & cum

Impie postulatur ratio à Deo operũ suorum.

Pia inquisitio inuenit quod quærit.

hominibus non flagellentur, cum interim pij, peßime adfligantur? Quod igitur reuerenter quæsitum est, aperte reuelatur, sic enim ait: Deiecisti impios, dum alleuarentur, facti sunt in desolationem, subito defecerunt. Similiter & Hiere. cap. 12. pie quærit, quare uia impiorũ prosperetur, bene sit omnibus qui prævaricantur &c. Iam quod pie quæsierat, prompte inuenit, sequitur enim: Congrega eos quasi gregẽ ad uictimam, & sanctifica eos in diẽ occisionis, hoc est, impij saginantur, ad futurũ iudicium. Sic & Habacuc quærit: Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio, iustiorem se, et reperit quod uolebat: nam additur postea: quia tu ò Nebucadnezar, spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, id est, hac ratione, Deus impios sinit eleuari, ut profundius deijciat. Contra uero Hiob, ut non reuerenti pietate adflictionũ suarum rationem, quærit, sed potius indigniter expostulat, ita sine responsione relinquitur: proinde, uertit se ad blasphemias, ut sequitur.

PLACET NE TIBI VT CALVMNIERIS. Id est, Hoccine diuinæ iusticiæ opus est, calumniari insontem, & citra caussam, è sola animi libidine, innocentem opprimere? hæc ne diuinæ iusticiæ conueniunt, quod tam crudeliter & hostiliter disperdat me, non ex arbore aut saxo natũ, sed quasi opus manuum eius? nam uix, inter homines, artifex

rex tam importunus inuenitur, qui tanta crudelitate suum ipsius opus, quantumuis abiectum, tractet: & tu me, multis creaturis, nobiliorem tam inimiciter cõdemnas: nunquam uero existimauero, quod scribitur, te esse, Deum iudicium & iusticiam facientem, quando nihil minus quàm iustus iudex uidearis.

ET CONSILIVM IMPIORVM CLARIFICES. Psalm. 2. dicitur: Non Deus, uolens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus. Et rursus alibi: Quàm bonus Deus Israël, his qui recti sunt corde. Similiter in lege dicitur: Deus zelotes, ui sens iniquitatem patrum in filios, & faciens misericordiam, custodientibus mandata eius: sed in rebus humanis, longe aliter adcidit, quàm his sententijs decernatur: Iustus enim, ut Ecclesiastes ait, in sua iusticia perit: Et impius in sua malicia, multo uiuit tẽpore, ut uideatur, Deus non odiens, sed uolens iniquitatẽ, & non diligens, sed spernens iusticiam: unde & impij, usq; adeo indurantur & excæcantur, ut credant, sese in impietate sua, iustam habere caussam, pios uero iniustam, propterea, quod hi adfligantur, ipsis interim bene uiuentibus. Itaq; Hiob exprobrat Domino crudelitatem, ne dicam iniusticiam, quod adfligendo sepiũ & iustum, impiorum amicorũ opinionem promoueat, & sententiam eorum, tanquam ueriſsimam confirmet, augendo subinde adflictiones. q. d. Quis

crediderit, te iustum esse Deum, quod reprobando & abijciendo pios, à parte impiorum stes: diceris quidē iustorum adiutor, & iniquorum cōdemnator, sed ubi manet nunc rectum tuum iudiciū, quo sontes plectis, & iusticia, qua insontes absoluis? Porrò, non est minimum in rebus humanis, offendiculum, quod diuersius adcidat pijs & impijs, quàm Verbum Domini pronunciat. Sed hoc scandalum fide retundendū est, qua agnoscimus impios eleuari, & pios opprimi, ut hi altius erigantur, & illi crudelius opprimantur.

NVNQVID OCVLI CARNEI TIBI SVNT. Alio argumento à tortura ducto, probat Hiob crudelitatem Dei. Quid est, inquens, quod humano more me iudices, & tam solicite, tamq; adcurate, omnia intra me explores, si cubi inueneris in me impietatem, an ad iudicium tuū, eges testibus, exploratione, quæstione aut tortura, ut homines: nam cum hoīes carneos oculos habeant, nec mentē introspicere queant ut recte iudicent, testibus, aut si his carent, tortura, caussam explorant. Deus quum sit spiritualibus oculis præditus, renū & cordium probator, nihil iſti usmodi rerum eget. Expostulat igitur cor, in manibus suis, & iudicio Dei, relictum, cum Domino, cur sic ut homo, singula ueluti quæstionibus exploret? Videtur enim hoc stultum aut iniustum esse, quum antea norit, quid & quales intus, & in cute simus. Quemadmodum

modum iudex huius seculi, iniuste ageret, si quæstionibus, exploraret latronis homicidium, cuius antea conscius esset. Videmus & aliàs, Dominum diligentem causse exploratorem esse, priusquàm iudicet, quã quàm omnium rerum antea gnarus sit, ut Gen. 3. quærit: Adam ubi es? nonne comedisti de ligno &c. & 11. Descendit Dominus ut uideret ciuitatem &c. Similiter de Sodomitis: Descendam, aut & uidebo, utrũ clamorẽ opere cõpleuerint, qui uenit ad me. Quarũ rerum omniũ, ante conscius erat: cur igitur explorauit iustus, sapiens, & omniscius est. Proinde, non sua causa, factum explorat sed nostra, ut discamus, non precipitanter iudicare, nisi singula penitissime disquisierimus. In Hiob autem, ideo pro hominum more, omnia explorat, ut reddat eum sibijpsi cognitum: & ut per eum omnes homines discant, quanta sit iudicij diuini grauitas. Non enim solum facta, sed & cogitationes ac concupiscentias: nec concupiscentias solum, sed & minima oris uerba, iudicat, iuxta illud legis: Non concupiscas, & in Euangelio: De omni uerbo ocioso, reddenda est ratio.

Cur dominus iudicaturus ante exploret

Iudicium domini ducit in cognitionem sui.

AN SICVT DIES HOMINIS DIES.

Id est, an mutabilis es, ut homines mutantur, nũc ignorantes, paulopost scientes? quasi uero, nõ omnia scires, & interim mutareris: omnes, inquit, Psal. uelut uestimentum ueterascent, tu idem ipse permanes.

CVM NEMO SIT QVI POSSIT DE MANV &c. Id est, quid est, quod tam crudeli tortura peccatum meum explores? en habes me uictum, quando tu omniũ mearum rerũ, tam ante conscius fueris, et nemo sit te fortior, qui possit me de manu tua eripere. Quid igitur times, ne quid coram te abscondam, aut ne quo effugiam, coram Deo, cordium & renũ scrutatore? cælare nihil possum, & è manibus eius, qui est omnia in omnibus, omnia adimplens, effugere non licet. Proinde superuacaneum, ne dicam iniustum uidetur, quod tantis torturis me affligas.

Manus tuæ formauerunt me, & fecerunt me, & totum undiq; me deuoras.

Memento obsecro, quod ex luto feceris me, & ad puluerem reduces me.

Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti me.

Pelle & carne uestiisti me, ossibus & neruis cõpegisti me, uitam & beneficiũ fecisti mecum, & uisitatio tua custodit spiritum meum.

Et (licet) abscondas hæc in corde tuo, noui (tamen) quod memineris.

DIVERSA LECTIO.

Vbi uetus tralatio misericordiam legit, Hebræus habet

habet חסד quod proprie significat beneficium ex misericordia & pietate donatum.

MANVS TVAE FORMAVERVNT.

Antiobesi quadam probat Hiob, nimiam Dei crudelitatem, confert enim priora beneficia, beneuolenter à Domino præstita, cum præsenti adflictione, dicens, an me perdis opus manuum tuarum? cur igitur me feci sti formasti me manibus tuis: nunc autem, ecce, totũ me, undiq; consumis & deuoras, si non aliter me tractare uoluisses, optimum fuisset, non nasci. Animaduerte autem hoc loco, fidem Hiobis, etiam in medio iudicio, caput suum exerere, ut enim Christus Dominus noster, in medium infernum coniectus, clamat se derelictum, interim tamen confitens Deũ suum esse, ait enim DEVS MEVS, Vt quid me dereliquisti, et tu es qui extraxisti me de uentre, spes mea ab uberibus matris, in te proiectus sum ex utero. Ita Hiob omnibus malis obrutus, admirans quî possit Deus ante tam liberalis, nunc tam crudelis iudex esse: priora beneficia quæ nondum nato, & tam adulto, à Domino contigerunt, spiritu fidei recenset, nisi enim fidei scintilla in eo relicta esset, non potuisset, quæ enumerat beneficia agnoscere, neq; enim nouit impius se à manu dei factum, se ex luto creatũ, & in puluerem (nisi quantum reipsa sentiat) reuersum, nescit quàm mirabili opere, ossa & membra, in matris utero, compingan-

Priora beneficia fidem sustinent, ne labantur in adflictionibus.

tur? uidet quidem pellem, carnem, ossa, neruos, uiuã aliaq; corporis beneficia, sed unde sint, ignorat. Proinde, cũ sine fide, sine VERBO, hanc beneficiorũ nubem possideat, nihil prorsum proderunt, uel si sexcenties maiora sint, quàm pius quispiam possideat. Porrò, Verbum, è cuius fide, corporalia beneficia possidentur: habes Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: crescite & multiplicamini. Quod VERBVM, si quis crediderit, uidet se à manu Dei formatũ, uidet se à manu Dei, pelle & carne circundatũ, ossibus & neruis compactum, uidet uitam, & alia beneficia corporalia, è manu Dei donata esse. Rursus, ex Verbo quod est Gen. 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris, sentit spiritus fidei, hominis εὐδενίαν & abiectionem, quantumcũq; ex beneficijs ante recensitis, homo, ad contemplandã Dei beneficentiam, eleuatur, & ea in aduersis confidit, tantum ex hoc uerbo rursus deijcitur, & ne aliũ de se ipso sentiat, humiliatur, ut planè mortale hoc corpus, nunc pio nõ fiat moles, sed cõmodus præceptor, qui primo doceat liberalitatem Dei, dein humilitatẽ nostri, ut sciamus, quàm egregie munificus sit Deus, & quã extreme nos abiecti simus. Porrò, in hæc Dei beneficia, ratio hominis, oculorum suorũ aciem dirigere non potest, in solam enim naturam respicit: nam quum animaduertat natura, sic in omnibus hominibus fieri,

Ex infirmitate carnis nostræ, discenda humilitas.

bus fieri, qđ' principio semen sint, dein quod in utero matris, semen in hominis formã transeat, naturæ rerum, tanquã causſæ & authori adscribit: nos aliter, per Verbum Domini eruditi sumus, nõ enim à nobis quicq̃ causſæ, rerum naturæ, sed Domino nostro, qui est omnia in omnibus, adscribendũ est, quando natura nihil aliud sit, quàm diuinorũ operũ ORDO, quẽ Dominus pro sua uolũtate uertit & reuertit. Vt Deus, p ducit herbas, producit triticũ: qd igitur agit agricola, qui terra, quid sol? Deus solus omnia operatur, sed hoc ORDINE, hoc est, per agricolã, per terram & solem, ut natura operis, non causſa, sed ORDO sit. Quid natura.

MEMENTO OBSECRO QVOD EX.

Quod ante summatim & generatim dixit: manus tuæ formauerunt me, nunc ad locupletandã orationẽ, per partes diducit, dicens: ex luto me creasti, quasi lac me mulsisti, pelle & carne uestisti me. Iam, cum tanta mihi beneficia præstiteris, cur te nunc beneficiorum pœnitet? munificus eras, nunc longe alius adpareo, ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ?

ET AD PVLVEREM DEDVCES ME.

Hoc est, quid est, quod me miserũ, nouo miseriæ genere affligas? quasi uero non antea calamitosus sim, é puluere scilicet factus, & in puluerem reuersurus?

NONNE SICVT LAC MVLSISTI ME.

Descriptio carnalis generationis hominis, nam se

men humanũ, authore Aristotele, de generatione a
malium lib. 2. cap. 2. crassum est & album sicut la
præterea in utero matris, mirabiliter in membra
poris cõstituitur: uide Aristotelẽ lib. eodem cap. 4.

VISITATIO TVA CVSTODIT SPIR
TVM. Id est, uitam meam sustentas, non modo enim
per te initio uitam adcepi, sed nunc etiam tua uirtu
te in eadem conseruor: nam per Verbum, quo crea
mur, creati etiam conseruamur: per ipsum, ait Pau
lus, uiuimus, mouemur & sumus, huius progenies
sumus: & Christus: Pater meus, inquit, usq; hodie
operatur, & ego operor.

ET (LICET) HAEC ABSCONDAS IN
CORDE. Id est quanq̃ uidearis nunc me negligere,
noui tamẽ quod omnia cures & administres. Vox
est fidei, quæ perspicacitate sua, usq; ad abscondita
Dei penetrat: sunt enim opera Dei ab oculis hominũ
planè remota, & ratione impuestigabilia: derelinq̃t,
& nõ discedit, negligit, & eo ipso curat, obliuiscitur
& tamẽ meminit, mortificat, & tamẽ uiuificat. Pro
inde, fide opus erit, quæ sub derelictione, mansionẽ,
sub neglectu, curam: sub obliuione, memoriam, sub
mortificatione, uiuificationẽ cõprehẽdat. Porrò, tũc
dicitur Deus, se abscondere, aut nostri obliuisci, quũ
nos in adflictiones, iudicia, mortem, adeoq; infernũ
cõijcit, ac nullũ bonitatis suæ et misericordiæ sensum
reliquerit

Mirabilia opera Dei.

Deus abscondit se à nobis.

reliquerit, quod & alibi spiritus dormire uocat, Psa. 42. Exurge, quare obdormis Domine? quid? dormit ne Deus? non, sed nobis dormire uidetur, dum sinit nos in tribulationes collabi, spiritus aũt sub hoc somno, Dei uigilantiã uidet. Proin, ipse potius assurgit, ad precandum Deum, ut uigilantiam suam manifesto auxilio declaret, quanq̃ enim Dominus semper uigilet, non tamen semper uigiliam declarat. Aperte aũt hoc loco demonstratur, Hiobem non ita à Domino derelictum, & in iudicium coniectum, ut in æternum pereat, sed ut Deus glorificetur, dum omnis homo quantumuis iustus, mendax adparuerit.

Etiam si peccaueram custodiuisti me & (tamen) ab iniquitate mea, non finis me esse mundum.

Si impie egi, ue mihi, sin iustus fui, nõ leuare audeo caput meũ, impletus de spectione, & uidens adflictionem meam.

Et sicut intumescit leo, uenaris me, & conuersus, mirabiliter agis mecum.

Renouas testes tuos contra me, & multiplicas indignationẽ tuã aduersum me, cõmutationes & exercitum contra me.

ETIAM SI PECCAVERAM &c.

Antea exprobrauerat Hiob, Domino crudelitatẽ,

ex antitheſi beneficiorũ corporalium, nũc exprob
ei, non tam crudelitatẽ, quàm inconſtantiam, à be
cijs ſpiritualibus: nam peccantẽ cuſtodire, ne in p
catis pereat, & peccata remittere hoc demũ uer
Dei beneficiũ eſt, nunq̃ ſatis cõmendatum. Itaq;
ante quidẽ cum peccauerã, cuſtodiuiſti me miſeric
diter, pepercisti mihi, & remiſiſti impietatẽ pec
mei, purificãs cor meũ fide, nunc aũt ita me iudica
adfligis, quaſi nunq̃ peccata dimiſiſſes, & quaſi n
quã per fidem iuſtificatus eſſem, quî ergo cõuenit, c
miſericordiæ & iuſticiæ tuæ, ut remittas peccata, &
dem grauiſsime adfligas? Sed quare Deus poſt iuſtifi
cationem fidei, crucifigat pios, aliâs dictũ eſt, non u
puniat impietatẽ, iam fide abſorptã, ſed partim, ut fi
des probetur: partim, ut homo ſeipſum ex adflictio
ne agnoſcere diſcat: partim, ut Deus glorificetur.

SI IMPIE EGI, VAE MIHI &c.

Argumentum κεραάτινον, quod utroq; cornu pre
mit: ſiue, inquit, pius ſiue impius fuero, parum mihi
in iudicio profuerit: ſi enim impius fuero, ex lege &
ſententia Domini, iam dudum lata, maledictus ſum:
ita enim ſcribitur, maledictus qui non permanſerit in
omnibus uerbis legis huius &c. ſi uero iuſtus fuero,
non licebit mihi iuſticia conſidere, nec de ea gloriari:
tantis enim maledictionibus afficior, & tanta abiec
one conculcor, ut etiamſi iuſticiam quandam poſſi
a

dim, ea tamen fidere non possim, uides in iudicio Dō-
mini, omnia desperatissima esse.

SICVT INTVMESCIT LEO.

Leonem scribit Plinius, eius nobilitatis esse, quod quàmlibet magna canum, & uenantium ui urgente, non petat uirgulta aut syluas, sed in apertos cāpos cedat, ueluti absconsionem, turpitudinem deputans: preterea, quod spernens tela, diu se solo terrore tue-
tur, cogiturq; non tanquam periculo coactus, sed tā-
quam amentia iratus. Huic leonis terrori, Hiob furo-
rem Domini comparat, propterea quod sentiat eum nullare posse auerti, sed semper aperto Marte, se ag-
gredi, subinde magis atq; magis iram colligens, & quemadmodū leo à uenaticis canibus impetitus, con-
uersus in eos, atrociter ferocit: ita Dominus in Hio-
bem conuersus mirabiliter eum tractat, retractat, uo-
lut, reuolut, ut nulla sit reliqua effugij spes.

RENOVAS TESTES TVOS &c.

Si deus aduer-
sarius omnes
creaturæ ad-
uersantur.

Testes, cōmutationes & exercitus sunt, uel adfli-
ctiones nouiter subinde orietes, uel omnes creaturæ quæ in iudicio nos unà cum Domino adcusant, & cō-
tra nos testificantur: nam ut febricitanti omnia quā-
uis dulcia, amara sunt: sic condemnato, omnia, quā-
uis fauentia, cōtrarij testes uidentur: oēs enim creatu-
re ab affectu Domini iudicātis & affligētis pendēt, ita fit, ut semp nouæ afflictiōes ingraueſcāt, nec unq̄ respiratio cōtingat.

Quare de uulua eduxisti me (utinam
Periissem, & oculus non uidisset me.

Quasi non fuissem, essem, de uentr
ad sepulchrum abductus.

Nunq̃ ne paucitas dierꝫ meorꝫ cessabit
deponet a me ut corroborer paululum

Priusquam abeam, & non reuertar, ad
terram tenebrarum & umbrositatis.

Ad terram caliginosam, quasi caligo
umbrosa, ubi nulli ordines, & ubi clari-
tas sicut caligo.

QVARE DE VVLVA EDVXISTI &c.

Per fidē recte utimur creaturis.

Donum Dei eximiũ est, uita naturalis, sed ut alijs donis, ita & illo abutuntur, quotquot eã citra Verbũ et citra Deũ possident. Gentes Verbo carent, pinde utam & sine fide possident, et sine fide administrãt, cõiecti uero in iudiciũ, carẽt deo, sentiẽtes potius irã, quàm munificẽtiã Dei: proinde possident bona, pro ratione iræ hoc est, impatienter, indignabũde et blas sphemanter, ut in Hiob uides, quare, inquit, natus sum, cur in hanc lucẽ prodij? mallẽ me subito de ma tris uentre, ad sepulchrũ delatum esse, ut essem quasi nũq̃ fuissem. Ita & nos communiter dicere solemus: optarã me primo balneo, aquis obrutũ esse. Idẽ habet supra ca. 3. quare egressus ex utero, nõ statim perij?

NVN

NVNQVAM NE PAVCITAS &c.

Spes in tribulatione erigit & tenet.

Adflicto & omni auxilio destituto, omnis mora longa est, quare? Dominus est sola spes, & expectatio nostra, & mille anni apud eũ sunt, ut dies unus: quot quot igitur Dominũ fide possident, nulla mora et diuturnitate expectant, in tribulatione liberationis tempus, quãdo eũ possideant, qui est expectatio, & in quo nulla est diuturnitas, sed omnia unum momentũ. Iustus operatur pro sua ratione, in credentibus, ut exponent & momentaneũ existiment, quicquid mali in fide pertulerint: ablato aũt illo, qui est expectatio & momentũ, non erit, ut grato animo afflictiones sufferat, unde & Hiob ait, Nunq̃ ne cessabit paucitas dierum meorũ? id est, cur pauci mei dies, mihi tam diuturni manent, mallem uel hac hora, mortẽ oppetere.

NVNQVAM NE DEPONETVR.

Siquidem oĩa sunt prorsum desperata.

Est, an nũq̃ uel paululũ cessabit adflictio, ut dum taxãt semel, animo meo ante mortem recrearer? Vide quaeso miseram damnatorum desperationem, tam desperatae enim spei sunt, ut præ desperatione, non possident, totam redemptionem, sed duntaxat modicã animi refocillationem, pauco tempore duraturã, quæ tamen eis nõ contingit, ut Lucæ. 16. Dives damnatus non optat ut liberetur, sed solũ, ut Lazarus intingat extremũ digiti in aquam, & refrigeret linguã eius.

ita & Hiob petit, ut saltem pauco tempore ante mor-
tem, liceat sibi ab adflictione liberũ esse.

PRIVSQVAM ABEAM ET NON REVERTAR. *Id est, si non in totum me libere uolueris, da saltem ut resociller priusquàm moriar. Et est hoc loco egregia mortis descriptio, mors enim prima sua specie, nihil aliud est, quàm perpetuus occasus, unde neminem uidemus reuerti. Præterea mortis regio (sic enim mortem describit, quasi corporalis locus esset, ut Poëtæ de Plutõis regiõe fabulati sunt) terra est tenebrarum, umbris impleta: solam caliginem, pro claritate luminis habens, ubi nullus est ordo, sed omnia horrẽdis tenebris confusa: nam ut in tenebrosa caligine, nemo nouit quà sit eundum, quà progrediendum, et quocunq; te uerteris, pericula imminẽt: ita ĩ morte, nescis ad quem locũ progrediaris, in quo cõsistas, proinde, obruit te horror, formido, et desperatio. Adhæc, uidemus mortem, nullum habere ordinem, propterea quod nemini parcat, sed omnes simul in uniuersum rapit, talis adeo est mortis imago quantum ad extremam laruam attinet, et quemadmodum sese desperatis, & à Domino derelictis ingerit. Contra uero per Iesum Christum, Dominum nostrũ mors, adeo mortificata est, ut iam non sit perpetuus occasus, sed uitæ ianua: ita enim scribitur, Hose. xiii. O mors, ero mors tua, morsus tuus inferne. Præterea*

mor-

mors antea tenebricosa, nunc per Christum, aut Verbum Dei facta est lucida, et splendida: est enim Christus lux et uita, quem si ad mortẽ, adtuleris, dispellet omnes mortis tenebras, et uiam illuminat, ut sciamus quà sit eundum. Hinc abiecta desperatiõe, oritur gaudium & exultatio. Habet & mors suum ordinẽ per Christum: de alteris enim dicitur: mors sanctorum preciosa: de alteris, mors peccatorum pessima.

CAP. XI.

RESpondens Sophar Naamathites, dixit.

Nunquid multis uerbis non respondendum erit? nunquid uir loquax iustificabitur?

Soli tibi homines tacebunt, ut irrideas, & non confundaris?

Dicis, munda est doctrina mea, & purus sum in oculis tuis.

Vtinam quis daret, ut Deus loqueretur, & aperiret labia sua tecum.

Et adnunciaret tibi secreta sapientiæ, quod dupliciter maiora posset intẽtare, & tũc intelligeres, quod sit tibi Deꝰ, magis propitius, quam iniquitas tua ferat.

DIVERSA LECTIO.

Pro dupliciter maiora posset intentare, Hebræus habet כִּפְלַיִם לְתוּשִׁיָּה quod uarie trãsfertur propter illã dictionem תּוּשִׁיָּה quæ uariam habet significationem. Græcus ita legit, ὅτι δι πλοῦς ἔσται τῶν κατὰ σὲ id est duplex erit in his rebus quæ secundum te sunt: uetus tralatio sic habet, quod multiplex lex eius esset. Alij ita interpretantur (multis efficeretur) ut sit sensus, si tibi Deus adnunciaret secreta sententiæ suæ, multis efficeretur, ut intelligeres minora à te exigi, quã mereatur iniquitas tua, pro multis autem apud Hebræos est כִּפְלַיִם quod duplicia significat, & phrasi Hebræa, multa, ut Esaiæ 40. Suscepit de manu Domini duplicia, id est multam gratiam pro peccatis &c. Mea uero opinione, nõ incommode ita transfertur, utinam Deus adnunciaret, quod dupliciter maiora intentare posset &c.

NVNQVID MVLTIS VERBIS &c.

Adcedit tertius amicus Sophar Naamathites, prudentiæ suæ contra Hiob specimen facturus: principio exprobrat Hiobi multiloquiũ, sed quàm cãdide, ipse uiderit. Licet enim sermo Hiobis aliquãto uerbosior sit, ita tamen fert iudicij grauitas, quam si probe consyderaueris, pauciora pro rei magnitudine dicit ille, imo ges, usq; adeo nullus sermo tã longus est, qui ad uim explicare posset, grauẽ iudicij horrorẽ. In alijs aũt rebus non

bus non necessarijs multiloquũ esse, est stultiloquum esse: tantũ enim abest, ut in multiloquio sit prudentia ut stultitiæ non inuenias indicẽ magis propriũ. Præterea usq; adeo odit Deus multiloquium, ut nec orationem alioqui bonam, si multiloqua fuerit, suscipiat: & q̃ apud Ethnicos erudita breuiloquẽtia cõmẽdata fuerit, uel unus Homeri de Menelao uersiculus testatur τοῦ μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπὶ τοὶ οὐ πολλὸν ὁμαδος, id est non is multa quidẽ, uerum argutissimus, quippe pauciloquus.

AN VIR loquax IVSTIFICABITVR &c.

Quia in multiloquio non deerit peccatum, & nõ qui multa, sed qui uera dicit, benedicit.

SOLI TIBI HOMINES TACEBVNT.

Id est, tibi ne soli, loquendi authoritatẽ adrogas, putas ne, tua uerba Apollinis oracula esse, nec alijs licere te arguere, & mendacij conuincere.

Garrulus non uitat peccatũ Prouerb. 10.

DICIS MVNDA EST DOCTRINA &c.

Supra, in fine Capitis Sexti, dicit Hiob, se loquutissima, nec quenquàm posse mendacij se arguere, quod de ratione adflictionis intelligendum est, uera enim loquitur, & unà cum Dei testimonio sentit, dũ docet, se initio citra caussam adflictum. Nũc Sophar confert inter se blasphemias et doctrinã Hiobis: atq; ex blasphemijs consectaneũ putat, doctrinam etiam impiam esse, quî enim, inquit, conuenit, quod doceas

se insontem, à Deo percussum, & interim in Deum blasphemas, an ne munda et pura doctrina fuerit, tanta impietate fermentata? Tu uero sic habeto, munda est Hiobis doctrina, quoties innocentiam suam uindicat, & se citra caussam adflictum testatur, ea enim Euangelij ratio est, ut omnis per fidem iustificatus, innocenter patiatur, quicquid adflictionum adciderit.

Immundus uero sermo Hiobis est, quoties grauitate iudicij & furoris Domini impulsus in Deum, pro impiorũ atq; damnatorũ more furit atq; insanit: nec mirum, si interim impatientius loquatur, quum nemo sit, qui in inferno confiteatur & laudet Dominum.

VTINAM QVIS DARET VT DEVS &c Sophar, probaturus Hiobem iuste adflictum, ab occulto dei iudicio κρυπτοῦ uice optat ut aperiat Deus thesaurum sapientiæ suæ, et penetralia prudentiæ: quibus rebus manifeste declaratur, multo maiora esse peccata, quàm præsens adflictio, neq; tantũ suppliciorũ irrogari, quantũ meritũ sit, id quod admodum uerum est: si enim iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? non enim est in terra, qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Sed in adfligendo Dominus duplicem habet respectum: alterũ, ad peccata, ad ueterem Adam: alterum, ad fidem, ad nouũ hominem. Si respiciat peccata, minus semper adfligit, quàm meritum sit: & hoc respectu, iustissime fa-

Adflictio propter peccatũ aut probatio est.

ceret,

ceret, etiamsi totum orbem, in abyssum inferni detruderet: sin respiciat fidem, suam ipsius promissionem, fide possessam, aut nouum hominem in Christo renatum, quicquid infligit, non tanquam supplicium infligit, sed ut sit πειρατήριον, id est, tentatorium, & manifestatis suæ declarandæ officina.

Nunquid inuestigando Deum, inuenies, & perfecte omnipotentem reperies.

Altior est cœlo quid facies? profundior inferno, quomodo cognosces (eum?)

Longior terra, mensura eius, & latior mari,

Si (oia) subuerterit, aut constrinxerit, aut in unũ coniecerit, quis cõtradicet ei?

Ipse agnoscit uiros uanos, & uidit iniquitatem, & non intelliget?

Vir uanus superbit, & (ut) pullus onagri (sic) homo natus.

NVNQVID INVESTIGANDO DEVM &c. Ante reprehendit Sophar Hiobem, quod innocentiam suam, nimio multiloquio, & magis præfracte, quàm pie uindicet, quando nemo in conspectu Dei iustificetur, nũc illud ipsum probat ex occulto dei iudicio. q. d. noli te coram Deo innocentem iudicare, quia occulta sunt eius iudicia, nec quisquã ea penetra-

re potest, etiãsi nescias te impie egisse, neq; fueris
bi alicuius criminis conscius, agnoscit tamẽ Deus,
scõditorũ rimator. καρδιογνώστης Quis ergo
deat se aduersus Dei iudiciũ eleuare, & absond
iudicia eius se cognouisse gloriari? Vnde et Paul
clamat, O profunditatem diuitiarum sapientiæ &
gnitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius,
imperuestigabiles uiæ eius. Altior est cœlo, profund
or inferno, longior terra, latior mari, potentior oibu
creaturis, & si omnia conculcaret, & in nihilum re
digeret, neminem haberet adcusatorem, aut cõtradi
ctorem. Omnia enim sunt in manu sua posita. Iam u
maxime ratione humana, Deus comprehendi nõ pos
sit, nec iudicia eius occulta, penetrari queant, fidei ta
men in Christum omnia possibilia sunt: Deus enim
per sese imẽsus, factus est in Christo dimensus, ut pos
sit FIDE comprehendi, ut est Ephes. 3. Flecto ge
nua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ut ua
leatis adsequi, cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo
longitudo, profunditas & sublimitas, & ut fides De
um comprehendit, ita Deus libẽter sinit se fide capi
Cuius rei exemplar habes in Iacob, qui luctabatu
cũ Deo per fidem, usq; ad mane, & prævaluit, unde
cognomen sortitus ישראל hoc est uincens d
um, sic & Mose, Exodi. 32. cœperat Deum fide i
promissionem, adeoq; fortiter tenuerat ut diceret d
us dimit

us: dimitte me &c. Proinde, quod Sophar ait, Deum esse incomprehensibilem, intelligas lege, nam Euangelio fit, quantum satis est, comprehensibilis.

IPSE AGNOSCIT VIROS VANOS.

Hoc est, tanta præditus est Deus & scientia et prudentia, ut agnoscat nõ solũ externã hominis impuritatem, sed & internã uanitatẽ: nam etiamsi extrinsecus corã humano iudicio, iustus uidearis, non tamen corã Deo iustificaberis, qui nõ iuxta laruã externam sed internã impietatẽ iudicat: aliter uidet hõ, aliter deus, homo uidet quæ adparẽt, dominus autem intuetur cor, & pbat renes: proinde, ut maxime externis peccatis careas, semper tamen inuenit Deus in abscondito, quod iudicet, & digne punire possit.

VIR VANVS SVPERBIT.

Quasi diceret, quando ita se res habeat, quod Deus intelligat iniquitatem, etiam in penetralibus latentem: quis sanæ mentis, aduersus eius iudiciũ insurgeret, aut contra eum superbiret? sed quid plura? uani & inmidi hominis est, Deo insultare, & cristas aduersus eius iudiciũ erigere. Tacite autem mordet Sophar Hiobem, tanquam uanum & turgidũ hominem & generale gnoma, nõ tam Hiobis, quã uniuscuiusq; hominis præsumptuosam fiduciam, & audacem cordis humani temeritatem describit: nam ut indomitus onagri pullus, temere fertur in quæuis obuia, nec pos

Cor humanũ indomabile.

Cor humanũ nihil moderabile finit.

sit à licentia sua cohiberi, tanta est bestiæ feritas: nihil minus corde humano domabile est, fertur ea temere, in quæuis mala, inflatur, turgescit, spirat gentia (est enim cor fiduciæ sedes) superbit etiam uersus Deum, & nihil non licentia conatur, si hab næ remissæ ei fuerint, ut Gene. 11. Remissa erat quantulum cordi sua habena. Sed uide quid moliat ædificium cuius cacumen æd cœlũ pertingat. Remi sum erat frenum cordi Nebucadnezar, sed quid co tur? in cœlum, inquit, ascendam supra astra Dei, altabo solium meum. Quantam uero aliàs malorum lernam, cor gestet, si tradetur in sua desyderia, uid Ro. 1. & Matth. 15. Itaq; lex data est, ut sit pædago gus, & pullum onagri, hoc est, hominem eximiæ fe rum, coherceat: nã & non nihil hac caussa, crux pis imponitur, ut carnis ferocitatem comprimat.

Si tu direxisses cor tuum (ad Deum) & extendisses ad eum manus tuas,

Si iniquitatem, quæ est in manu tua, longe abiecisses, & non habitasset in tabernaculo tuo malignitas,

Tunc leuares faciem tuam sine macula, & esses firmus, nec timeres,

Similiter miseriæ obliuiscereris, sicut mare pertransit, ita (non) recordareris.

Et

Et de meridie surgeret uita, emicaret quasi mane.

Et confideres proposita spe, ac (ueluti) defossus, securus dormires,

Et quiesceres, nec esset qui exterreret, & contremiscerent faciem tuam multi.

Oculi aũt impiorũ deficiũt, effugiũ peribit eis, & spes eorũ, exuflatio animæ est

SI TV DIREXISSES &c. Potes hæc tanq̃ permesin ad resipiscentiã, & peccatorũ cõfessionẽ intelligere, ut sit sensus: utcunq; nunc adfligaris, hortor & admoneo te, resipiscas, agnoscas te iusta pati, dirigas cor tuum ad Deum, extendas manum tuã ad precandum Deum, abijcias impietatem operum tuorum, tunc enim purus et immaculatus coram Deo adparebis, firmus constabis, miseriæ obliuiscēris, omnia tibi bona adfluẽt: quod si aũt in impietate permanseris, peribis, ut impij, qui spe sua pudefiunt. Sed si legeris iuxta tralationem supra positam, reprehensio est, qua Sophar ostendit Hiobem iuste adflictum: Si pie, inquit, uixisses, uiueres nunc summa animi lætitia, & fruereris dei benedictiõe, nec obruissent te tanta mala: iam, quia te obruerunt tanta mala, impius igitur es. Videntur autem & Sophar, & reliqui amici Hiob, prorsus ignorare, quid sit, aut efficiat

Euangelion, & fides in promißionem Dei, ſic e
argumentãtur contra Hiobem, quaſi nullus unqu
poßit coram Deo, fide iuſtificari: proinde, conſe
neum putant, unumquenq; iuſte adfligi, quando
Tria ſpectantia ad pietatẽ lus à peccato immunis ſit. Porrò, hoc loco tria en
merat Sophar, ad pietatem ſpectantia. Primum,
dirigere cor ad Dominum, quod aliâs dicitur: co
uertimini ad me, & ego conuertor ad uos, uertit
enim cor, per infidelitatem ad terrena, & carnalia
rurſus, per fidem cõuertitur ad cœleſtia & æterna
Secundum eſt, extendere manum, hoc eſt, orare, ma
nuum enim extenſio, ſupplicum habitus eſt hæc au
tem externa manuum extenſio, aliud non eſt, quàm
pædagogia et puerilis diſciplina, ueræ orationi nihil
tribuens, nihil adimens: cæterũ uera manuũ extẽſio,
FIDES, eſt qua cordis manus porriguntur uſq; ad
cœlũ & faciem Dei. Tertiũ, eſt iniquitatem è manu,
& è tabernaculo noſtro eiicere: porrò, iniquitas ma
nus operum noſtrorũ, iniuſticia eſt, non eorum tan
tum, quæ p ſeſe mala ſunt, quæ & mundus damnat,
ſed quæ iuſta & bona ſunt, nã & ea iniqua ſunt, non
ex operãte Deo (operatur enim Deus in nobis omnia
bona opera, uelle, & perficere) ſed ex adpendice car
nis: hæc imq̃ iniquitas, de manu noſtra (id eſt, operi
bus) tollenda eſt, quomodo? FIDE. Sic enim Petrus
ait: Fide purificãtur corda, qua fide? Primum, de ex

leſtibus

lestibus bonis, si crediderís, per Christum tibi omnia æterna bona, gratis donata esse: nihil operaberis, ut merearis, nihil boni tibi adscribes, sed Domino tuo: in operibus tuis, non quæres quæ tua, sed quæ Dei sunt. Deinde, de terrenis bonis, si crediderís Deum nutritorem tuum, & patremfamilias, ac procuratorem esse, nõ quæris in negocijs tuis quæ tua sunt, sed quæ proximi, nec calumniaberis proximũ propter opes, propterea quod eas in Domino abũdantes, possideas. Quid igitur erit homini, dirigenti cor suum, extendenti manus suas ad Deum, & expurgãti opera sua ab iniquitate? leuare audet faciem suam coram Deo, sine macula, sine adcusatione: si enim cõscientia peccatum, aut Sathan nos adcusauerit, Deus est qui iustificat: Christus mortuus est & resurrexit, ut unà cum ipso resurgat pius, præterea firmus manet sine timore: habitant enim pij confidenter, scientes nullã creaturam posse sibi salutis suæ iacturam inferre, Rom. 8. Adhæc obluiscitur miseriæ, quæ citius aqua præterfluente fugit, ut est Esa. 65. Non audietur ultra uox clamoris & fletus, &c. Apocal. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors ultra non erit, neq; clamor neq; dolor. Hæc omnia in Ecclesia implentur, in qua per FIDEM abstergũntur lachrymæ, et abit dolor: dolet quidem corpus, sed interior homo de die in diem promouet.

Fœlicitas pij uiri.

ET DE MERIDIE SVRGERET &

Meridie, id est, tempore opportuno, clarissime & apertissime, Esa. 58. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.

MANE. Id est, cito, Esa. eodē: Erumpet quasi mane lumen tuū, & sanitas tua citius orietur. Describitur autem hoc loco benedictio, ut habes Deut. 28.

AC VELVTI DEFOSSVS.

Pius Verbū Domini habens, confidit, nihil timens aduersarias uirtutes, securus nō tā somno, quā morte

NEC ESSET, QVI EXTERRERET.

Similia habes Leuit. 26. Dormietis, & nō erit qui exterreat, & Soph. 3. Adcubabunt, & non erit qui exterreat.

ET CONTREMISCERENT FACIEM TVAM. Pius in Domino constans, omnibus aduersarijs & potestatibus, etiamnum in cœlestibus, formidabilis est, unde & Sathan, pios persequitur: nisi enim ei formidabiles essent, non persequeretur.

OCVLI AVTEM IMPIORVM

Antithesis est: pij benedicuntur in operibus manuum suarum, impij uero maledicuntur, nec consistunt dum iudicauerit eos Dominus, & spes eorum peribit propterea quod nō sit in Verbum domini, sed in suam ipsorū præsumptionē, directa, unde pulchre admodum spes impiorū hoc loco dicitur תפח נפש id est, animæ

animæ exuflatio, hoc eſt, ſpiraculum hominis uanum, quod Græcus ἀπόλαυν, id eſt, perditionem interpretatur, ut enim nihil poteſt hominis ſpiritus efficere, quàmuis ingentia ſpiret, proïjciens ampullas & ſeſquipedalia uerba: ita uana eſt impiorum ſpes, nõ conſtat, non perdurat. Porrò, ut hæc à Sophar, recte dicerentur (quibus tamen tacite Hiob mordetur, tanquam impius, propter adflictiones & maledictiones quas ſuſtinet) ita nondum conuincunt Hiobem, propter impietates, adflictũ eſſe, licet interim in iudicio appareat, id quod natura ſua eſt omnis homo, nempe impatiens, impius & blaſphemus.

CAP. XII.

RESpondens Hiob, dixit.

VEre ne uos (ſoli) eſtis homines, quibus cum morietur ſapientia?

Etiã mihi cor eſt, ſicut uobis, nec inferior uobis ſum, & cui hæc nõ ſunt cognita?

Qui deridetur a proximo ſuo, ut ego, inuocat Deum & exaudit eum, riſus eſt iuſtus & ſimplex.

Lampas contempta in cogitationibus diuitis, parata ad offendiculum pedis.

Prosperantẽ tabernacula prædonũ,& n
meritates tumultuantiũ aduersus Deũ
cũ ipse (omnia) dederit in manus eorũ.

VERE NE VOS ESTIS SOLI HOM
NES? Vt in rebus militaribus, corporis robur fi
reat prudenti & generoso animo, citius perdit qu
iuuat. Vnde & quidam dixit: exercitum ceruor
duce (qui est ueluti animus exercitus) leone, formid
biliorem esse, exercitu leonum, duce ceruo. Ita in re
bus spiritualibus, carnalis diuinæ legis & iusticiæ in
tellectus, citra prudentiam spiritus, plus obfuerit,
quàm profuerit: nam & amici Hiob, de iusticia diui
na, de benedictione piorum, & maledictione impio
rum, ut est Leuit. 26. & Deuter. 28. prudentissime dis
serunt, ita ut in eis propemodum nihil desyderes: sed
quando careant Euangelij & iusticiæ fidei sapientia,
uides, in quem errorem collabantur, non enim su
disputatione, in solum Hiobem iniurij sunt, sed in totã
fidei Euangelij, et sanctæ CRVCIS rationem: siqui
dem, quotquot Euangelio credunt, sanctificantur: cõ
sectaneum igitur fuerit, & peccata esse expiata, &
omnes calamitates, post sanctificationẽ remissionẽq
peccatorũ contingentes, sanctas esse. Amici uero, e
tione iusticiæ legis (quæ lex quanq eo tempore non
literis cõprehensa fuerat, habebatur tamen in men
conscripta, Ro. 2.) argumentantur, omnem adflic

omn

onem, impietatis pœnam esse. Quàm probe autem hæc cũ Euangelij (quod & Hiobis tempore fiut, sed nondum reuelatum) ratione conueniant, tu ipse iudicato, & supra aliquatenus ostensum est. Proinde, principio huius capitis, ridet Hiob, carnalem amicorum, uerius stulticiã, quàm prudentiã, dicens: scilicet uos soli estis illi prudentes uiri, quibus se sapientia captam dedit, & qui totã eam, ut ita loquar, deuoraturi alijs nec micã salis reliquistis, ut & prudẽtia unà uobiscũ mori cogatur: usq; adeo uos soli sapiẽtes, cæteroẽs stulti. quẽadmodũ et Paulus Corinthios ridet: Nos stulti, ait, uos prudentes: nos imbecilles, uos ualidi: nos cõtempti, uos clari. Porrò aũt, ridet interim spiritus carnales: interim ridet & caro, spirituales, sed non eodẽ animo: caro ridet fratrẽ è Αλαζονίᾳ, contemptu, arrogantia, præsumptione & elatione, quo enim fratrem uerbo ridet, corde eum cõtemnit ac despicit: qui uero fratrem despicit, Deũ despicit, ait enim: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: proinde carnis derisio, in Dei contumeliam uergit. Risus carnis.

Deridet & spiritus ex contemptu, non quidem fratres, sed arrogantiæ & præsumptionis, quæ in superbis existunt, ut Esaiæ decimoquarto: Qui te uiderint, inclinabunt se ad te dicentes, Nunquid iste est uir qui cõturbauit terram, qui concussit regna? &c. Vbi spiritus, maximo fastus & superbiæ contemptu, regem Risus spiritus

Babel ridet: & in Psal. 2. Qui habitat in cœlis, irri-
bit eos. Eodem spiritu Hiob ridet amicos suos, non
arrogantia, fratrum contemptu, aut sui ipsius elatio
sed ex contemptu fastus & arrogantiæ, qua ami
præter modum, quasi soli præ omnibus hominibus
pientes essent, efferebantur. Nihil enim in conspec
Spiritus sancti abominabilius, & magis fœtidum est,
fastu, φιλαυτίᾳ & arrogantia.

ETIAM MIHI COR EST &c.

Gloria carnis

Vt derisio mala est, si ex carne proficiscatur, et bo-
na, si ex Spiritu, ita duplex est gloriatio: mala, quæ
ex carne: bona, quæ ex Spiritu uenit. Carnis gloria-
tio, ex infidelitate Verbi, & uana fiducia in dona, ori
tur: ut Vides Matth. 7. Eiecimus dæmonia: et Apos-
li gloriantur Lucæ 10. Etiam dæmonia subijciuntur no
bis: sed audiunt, In hoc nolite gaudere, gaudete po-
tius, quod nomina uestra scripta sunt in cœlis. Gloria
tio spiritus, ex fide in Dominum, non ex confidentia
in dona, oritur, ut Psalm. 31. Gloriamini omnes rec-
corde: & qui gloriatur, in Domino glorietur. Porrò
carnis gloriatio, Domino honorē adimit. Spiritus ue
ro reddit. Gloriatur itaq; Hiob aduersus amicos suos,
non honorem Deo adimens, sed potius reddens eū,
quē glorioſuli amici, sustulerant, sibi adrogantes. Sic
& Paulus gloriatur aduersus pseudapostolos. 2. Cor.
3. In quocunq; audet aliquis, audeo & ego. Hæc, inq;

se per

se per insipientiam loqui (sordet enim propria laus) sapientia tamen spiritus, sic cogebat gloriari, ut impu rum os Pseudapostolorum obstrueret.

QVI DERIDETVR A PROXIMO SVO. Id est, uos amici propter adflictiones, quas fero me, uelut impium, & iusta caussa adflictum, ridetis, ac pre uobis contemnitis: ipsi risu & contemptu di gnissimi: proinde, audite Domini sententiam, quam iuste pro adflictis, contra fratrum cõtemptores. QVI RIDETVR A PROXIMO SVO, INVO CAT DEVM, ET EXAVDIT EVM, Hãc habes Deut. 15. Si unus de fratribus tuis ad paup tatem uenerit, non obdurabis cor tuum, ne cõtrahas manũ tuam &c. ne clamet cõtra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum: & Prouerb. 14. Qui calumnia tur pauperẽ, conuitium facit factori eius. Ergo ne cla mare liceat afflicto. contra adfligentes pro uindicta & quid est quod Christus ait: Benefacite maledicen tibus uobis: orate pro ijs, qui lædunt & insectantur uos? Respondeo: omnino pro persecutoribus, non tã doctrina, quam exemplo Christi, orandum est, sed clamorem hunc, quo deriſi male adfecti, & iniuste occisi, pro ultione ad Dominum clamant, non intel ligas esse, orationem derisorum & male adfectorum, sed Spiritus sancti in male adfectis habitãtis: pij enim sua agunt, & disciplinam à Domino traditã exequun

Dominus ulci scitur contem ptũ pauperũ

Spiritus uindictã clamat, pro pijs, ita ut orat.

tur, hoc est, pro persequutoribus erant: sed interim clamat spiritus gemitibus inenarrabilibus, uindictam, nam quēadmodū si ex fide eleemosynam pauperi impio, sed tamen egenti, largiaris, etiamsi nunq̄ pauper benefacti, erga Deū, precibus suis memineris, ipsa tamen eleemosyna clamat, ut est Ecclesiastici uigesimo nono: Conclude eleemosynā in sinu pauperis, & hæc (propter fidem è qua fluit) pro te exorabit, ab omni malo. Similiter & Deuteronomij uigesimo quarto, Si adceperis pignus à fratre tuo paupere, nō pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum ut dormiens in uestimento suo, benedicat tibi, & habeas iusticiā coram Domino Deo tuo. Quid si debitor impius fuerit, atq; etiam si pignus redditū sit potius creditori, ut fieri solet, in corde suo maledicat? Ipsum opus ex fide & charitate profectum, te benedicet, etiāsi debitor maledicat. Ita pius, semper orat pro persequutoribus, sed interim spiritus ultionem clamat ut est Apocal. 6. Vidi subter altare animas interfectorum, propter Dei Verbum, & propter testimonium quod habebant, & clamabant uoce magna dicentes: Vsquequo Domine, qui es sanctus & uerax, non iudicas, ac uindicas sanguinem nostrum, de ijs, qui habitant in terra? Testatur idem sanguis Abel, qui clamat à terra ad cœlum pro uindicta, non suo, sed Spiritus sancti ore. Sic clamat in omnibus prophetis, martyribus

bus, & pijs male tractatis, usq; ad futurum iudicij die. RISVS EST IVSTVS ET SIMPLEX.

Antitheſis eſt, qualibus ſcatet hic liber. Eſt enim ſententia, non miror quod ab amicis meis ridear, ſiquidem pro ueteri mundi huius conſuetudine, iuſti ridentur, prædones impij proſperantur. Prima antitheſis pars eſt, riſus ſunt coram mundo, iuſtus & innocens: quia ſapientia Dei, ſtultitia eſt coram hominibus, & pia rum opera, rationi ſtulta uidentur, ut 2. Samu. 16. ridetur Dauid, ludens ante Dominum à Michol: ſic deriſi ſunt Iudæi à Gentibus, quia ſtulta & inſipientia uidebantur, Iudæorum opera: ſic Paulus ad Athenienſes adpellens, audit: Quid ſibi uult ſpermologus iſte? Sic poſtea Chriſtiani ab Ethnicis deriſi ſunt quia uidebantur, ut Suetonius ſcribit, genus hominũ ſuperſtitionis nouæ & maleficæ. Suetonius in uita Neronis.

LAMPAS CONTEMPTA &c.

Primam Antitheſis partem, probat ſimilitudine pulcherrima, ut enim ſi quis lampadem noctu prælucentem, negligat aut contemnat, facile offendit pedẽ adlapidem: ita diuites, magnates, reges & tyranni, quales ſunt amici Hiob, præ ſe adflictos & abiectos in corde ſuo contẽnentes, colligunt eo contemptu ſibi ipſi iram, in æternam damnationem, nam adflictus, lampas dicitur, propterea, quod propter adflictionem, in conſpectu Dei luceat, & oculis eius pateat, Iuſti ridentur à potentioribus non ſine uinducta.

Esaiæ 66. Super quem respiciam, nisi super humilem & contritum spiritu. Et in Euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hanc lampada, in solis Dei oculis, non coram mundo lucentem, despiciunt diuites, hoc est, fastuosi & superbi. Ea igitur lampas parata est ad offendiculũ pedum eorũ, & excæcationem oculorũ eorum, ut enim Christus lux est, & salutis petra, humilibus in se credentibus, & excæcatio ac offensionis petra, contemptoribus, ita abiecti & humiles, lampas sunt coram Deo splendidissima, sed coram fastuosis huius mundi uiris, ad offendiculum pedum suorum posita, ita enim scribitur, Qui uos tangit, pupillam oculi mei tangit, & quod uni ex minimis meis facitis, mihi fecistis.

PROSPERANTVR TABERNACVLA.

Prædones prosperantur.

Id est, quanquam & impiorum bona, à Deo sint, is enim finit solem suum oriri super bonos & malos, aduersantur tamen Deo, nihilominus fœliciter uiuentes, & cunctis abundantes opibus. Secunda antithesis pars: porrò, prædones hoc loco, sunt tyranni seu impij, donis Dei abutentes, aut pios calumniãtes: omnia enim dona, ut sunt sapientia, sanitas, fortitudo, diuitiæ, potestas, effusa sunt in cõmunem utilitatem, ut sapientia, insipienti inseruiat: sanitas, infirmitati: fortitudo, imbecillitati: diuitiæ, egestati, sed ijs præcipue saginantur impij, ut enim filij huius seculi prudentiores,

tiores, ita & potẽtiores, ditiores, saniores, & fortiores filijs lucis sunt. Breuiter, tabernacula impiorũ, abundant omnibus ferè benedictionibus Dei, at possidẽt eas, & utuntur impij, uelut prædones non in eum usum, in quem collata sunt, sed pro sua libidine, abutuntur aduersus Dominũ & proximum, nam sic cõparatũ est, ut prudentia seruiat imprudentiæ, impietatem autem inuertit, & seruit prudentibus, per prudentiam, diuitibus, per diuitias, interim, egregie contemptor pauperè & insipiente. Loquitur aũt Hiob hoc loco de fœlicitate, quam Arabes prædones, qui armentum abegerant, in sua impietate habebant, & præ ea, suam infœlicitatem deplorat.

Iam obsecro, interroga bestias, & docebunt te, uolatile cœli & adnunciabit tibi.

Aut loquere terræ, & docebit te, & adnunciabunt tibi pisces maris.

Quis nõ agnosceret in omnibus istis, quod manus Domini fecerit ea?

Quod & in manu sua, sit anima oĩs uiuẽtis, & spiritus uniuersæ humanæ carnis.

IAM OBSECRO, INTERROGA.

Quod supra dixit, & se quoq; rerum peritiã habere, ac sibi etiã cognita esse, quæ disserũt amici, nũc prosequitur, ait enim, disseruistis ô amici, plæraq; de

sapientia & potentia Dei, quod omnia creat & cõser-
uat, quasi uero hæc mihi incognita essent, nam uobis
etiamnum tacentibus, docent me illud creaturæ, lo-
quuntur enim omnes creatorem, & clamant inenar-
rabili uoce, Deus me fecit, ut & Paulus ait, inuisibi-
lia Dei, cognoscũtur ex uisibilibus: et alibi, cœli enar-
rant gloriam Dei, & opera eius adnunciat firmamen-
tum. Interrogare autem hoc loco sumitur pro disqui-
rere, inuestigare, aut contemplare. Si quis igitur pro
be consyderet, bestiarum, uolatilium, & piscium na
turam, inueniet miram creatoris prudentiam. Ceruus
ut Physici scribunt, latratu canum audito, aura sem-
per sequunda fugit, ut uestigia cum ipsis abeant: ité,
dum cornua, statuto ueris tempore amiserint, maxi-
me inuia petunt, ne armis suis spoliati, iniuriæ obuiant
tium pateant. Quis bestiæ huius sagacitatem con-
templans, non ueluti præsentem creatoris sapienti-
am uideat? De Perdice scribit Plinius, quod si auceps
ad nidum eius cœperit adcedere, procurrit ad pedes
eius, prægraué aut delumbem sese simulans, subitoq;
in procursu, aut breui aliquo uolatu cadit, fracta aut
ala aut pedibus, aut procurrit uerum, iamiam præbé
surum effugiens, spe frustrans, donec in diuersum ab
ducat à nidis. Vide igitur, et in hoc animali sagacitatẽ
creatoris, tibi præsenter ob oculos positam. Quid de
piscibus dicam? uel unam remoram, quam Græci

Sapiẽtia Dei in cerua.

In perdice.

ἐχε-

ἐχινηΐδα uocant, consydera, est enim paruus admodum piscis, expes, quo carinis adhærente, naues quãuis ingẽtes, remoratur, inde etiam nomine imposito: quæ si quis in tam paruo animalculo conspexerit, nonne quamcunq; creatoris, potentiæ ac industriæ imaginem contemplabitur? proinde è naturis animaliũ, magis Dei inuisibilis, redditur uisibilis et manifesta.

QVOD ET IN MANV SVA &c.

Non enim solum Deus, omnia creauit, sed etiam omnia conseruat, fouet & sustentat, omnis seu bestiarum seu hominum spiritus, in manu sua situs est, sed nam propterea amici, sententia sua compotes erunt, quod deus neminẽ adfligit sine caussa, propterea qđ omnia creauerit, & conseruet? absit, nam potius dictum sequitur, quia enim omnia creauit & in manu sua habet: igitur eo magis licebit ei, unumquemuis, pro uoluntate sua tractare, etiam sine caussa meriti, quemadmodum figulus potestatem habet uasis sui, ad fangendi, uel reformandi.

An non auris probat, & guttur comedentis gustat?

In senioribus (pro uestra opinione) est sapientia, & in longæuis intelligentia.

(At ego dico) apud ipsum (Deũ) est sapientia, fortitudo, cõsiliũ, & intelligẽtia.

Ecce, si ipse destruxerit, nemo ædificat, si cōcluserit quempiam, nemo resoluit.

Ecce si continuerit aquas, omnia arescunt, & si emiserit eas, subuertūt terrā.

Apud ipsum est fortitudo & energia, ipsius est errans & seductor,

Ducit cōsiliarios (tanquam) prædam, & iudices stupidos facit.

Vincula regum dissoluit, & ligat cingulo lumbos eorū, ducit sacerdotes sicut prædam & fortes peruertit.

Auertit labium ueracium, & disciplinam senum aufert.

Effundit contemptū super principes & confœderationem fortium dissoluit.

Reuelat profunda de tenebris, & educit ad lumen abscondita.

Magnificat gētes, & rursum perdit eas, dilatat gentes & reponit eas.

Auertit cor principum populi terræ, & errare facit eos in uano, & in inuio.

Vt palpent tenebras & non lumen, & errare facit eos sicut ebrium.

ANNON AVRIS PROBAT &c.

Antea capite octauo, Bildad, patrū authoritatem

ad confirmandã ſuam ſententiam adlegauit, ait enim: interroga priorem generationem, & para te, ad inueſtigandum patres eorũ, ad quod nunc Hiob reſpondet, dicens ſe nolle alicuius, quantumuis ſancti patris ſententiis premi: eſt quidẽ maiorũ authoritas ſacro ſancta, & nequaq̃ naſo ſuſpendenda, ſententia tamen eorum, ad ſpiritus regulam exigi debet: proinde, egregia ſimilitudine docet, nõ cuiuis doctrinæ aut ſpiritui, credendũ eſſe, ſed nũ ex Deo ſint probanda, eſt enim doctrina, ueluti cibus: iam ut cibum non è facie externa probamus, ſed ſolo guſtu: ſæpe enim oculis uidetur ſapidus cibus qui inſipidus eſt, & contra, ita Verbum, aut ſententiam, non iudicaueris, è ſola eloquentiæ aut ſenectutis larua, ſed ex aure, hoc eſt, ſpiritus iudicio, & fidei regula (fides enim ex auditu eſt) ut loquitur Ioannes ait: probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint, nam Verbum non ideo bonũ & adceptabile eſt, quia eloquens aut ſenex dicat, ſed quia uerũ ſit: ueritas aũt eius, non exeloquẽtia aut ſenectute, ſed ex iudicio ſpiritus, qui è Verbo, non ratione humana iudicat, probatur, ait itaq; Hiob: ueſtra quidẽ ſententia ô amici, in ſenioribus eſt ſapientia, et in maioribus prudentia, qd' ut minime negauerim, ita non abſtulerim Deo noſtro ſuũ honorẽ: ſi enim ſeniores prudentes ſunt, nõ ex ſe aut humana ratione, ſed ex Deo prudentes ſunt. Proinde apud unũ & ſolum Dominũ, eſt ſapientia, fortitudo,

Locus, contra eos, qui ſunt gloriabũdi de patribus & concilijs.

In Deo ſapientia.

cõsilium, & intelligentia. Potest hic locus, prol
contra gloriabundos de patribus & Concilijs.

ECCE, SI IPSE DESTRVXIT, N
MO AEDIFICAT. Quod dixit, apud De
non apud senores, esse fortitudinem & sapientia
nunc probat, nam solius Dei, esse fortitudinẽ, uel
argumento cõstat, quod quæ Dominus destruit, nu
uiribus reædificari queunt, hoc est, decretũ Domi
nemo retractat, ut Hiericho destruebatur manu Do
ni, Iosue 6. maledictus ergo erat Ahiel, eam reædifi
cans. 2. Reg. 16. Demoliebatur templũ Hierosolym
tanũ, manus Domini, per Titum Ro. Imperatorem,
nullo igitur conatu fieri potuit, ut reædificaretur, cos
cessa etiamnũ Iudæis à Iuliano imperatore, reædifica
di potestate, ut habet historia Tripartita li. 6. ca. 43.

Iudiciũ Domini, irretractabile.

SI CONCLVSERIT QVEMPIAM.

Pharao includebatur in aquis maris rubri, nemo
erat qui liberabat: Saul includebatur in manus hosti
um Philistinorum, & non erat locus unde effugeret.
Omnes impij clauduntur in perditionem, & nusquã
patet exitus: omnes homines inclusi sunt in peccato
& nemo liberat nisi solus Dominus.

ECCE SI CONTINVERIT AQVAS.

Tempore Heliæ, continuit aquas tribus annis, &
omnia arefacta sunt: Noẽ temporibus effudit aquas
super terram, & omnia diluuio perierunt.

Apud

APVD IPSVM EST FORTITVDO.

Epiphonema, priores sententias concludens.

IPSIVS EST ERRANS ET SEDVCT.

Secundo, probat sapientiam, consilium & intelligentiam, solius Dei esse: solum enim Dei consilium, & sapientia, promouent: humana uero, à diuino confunduntur, nam qui errat aut decipit, diuino consilio, aut errat, aut decipit. 3. Reg. 22. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omniũ Prophetarum: & dixit Dominus, decipies & prævalebis: egredere, fac ita, Ezech. 14. Propheta quum errauerit, & loquutus fuerit uerbum: ego Dominus decepi Prophetam illũ. Sic 2. Thess. 2. Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Sed quare Dominus errare facit & decipere? causſa in promptu est, quia ponũt, inquit Propheta, idola in corde suo, & statuunt scandalum iniquitatis suæ, contra faciem suam: adeoq; ueritatem dilectionis non recipiunt,

Dominus errare facit.

Quare Dominus errare faciat.

DVCIT CONSILIARIOS &c.

Hoc est, diuino consilio, omnis humana sapientia & iudiciũ ruunt, pereunt, & ueluti præda deuastantur: atq; adeo corã Deo, humanum iudicium, citius insania fuerit, quàm prudentia. Vide consiliũ Ahitophelis 2. Reg. 17. Esa. 19. Sapientes cõsiliarij Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Item: Dominus miscuit

Sapientia Dei.

in medio eorum, ſpiritum uertiginis, & 1. Corint.
Perdam ſapientiam ſapientum. &c.

Fortitudo Dei. VINCVLA REGVM DISSOLVIT &c.

Pro uinculis, Hebræus habet מוסר *quod tr*
tio uetus baltheum uertit, ſed proprie ſignificat c
gationem aut tyrannidem, ut ſit ſententia: Domi
etiam hoc facto, declarat ſuam potentiam, quod ty
rannidem potentiſſimorum regũ ſubuertat, & pop
lum ſuum, de manu eorum liberans, coherceat. N
ta eſt hiſtoria de Pharaone, Goliad, Nebucadnez
Daniel 4. & 5. *Quid igitur? timendus eſt Domin*
ſapiens & fortis: adeoq; ex ipſo ſolo, non ex patri
bus, comparanda eſt fortitudo & ſapientia.

DVCIT SACERDOTES &c.

Deut. 21. *Ad uerbum ſacerdotum omne negotium*
pendet, & nolens obedire ſacerdotis imperio, ex de
creto iudicis morietur. Sed adijcitur: Si ſecundũ legem
Dei, non iuxta propria ſomnia iudicauerint: unde, ut
Dominus declaret ſuã ſolius eſſe ſapientiã, non ſacer
dotum: confundit interim eorũ conſilia, ac prudentiã
eorũ ſtultam reddit, ne perſonarũ laruis addicti, ſe
ducamur, Hiere. 5. *Stupor & mirabilia facta ſunt in*
terra: Prophetæ, prophetant mendacia, Sacerdotes
adplaudũt manibus ſuis, et populus meus dilexit talia.

AVERTIT LABIVM VERACIV-

Auferuntur uera prædicantes, & ſubordinantur

Pſeu-

Pseudoprophetæ, ut discamus ĩ timore, è solo Deo nõ hominibus pendêre: excitãtur enim Pseudoprophetæ, ut tentemur, num uere credamus Verbo Domini Deut. 13. Potes & hũc locũ sic intelligere, ut Dominus declaret nõ esse pẽdendũ ab ulla hois authoritate sed ab ipso solo, efficit, ut q uera prædicet, interim errent. Exẽplũ habes in Petro, q syncerus domini Apostolus fuit, sed de legis abrogatiõe, nõnihil à uero sco deberrabat, & propterea à Paulo reprehensibilis iudebatur. Docuerũt & patres scti, maiores nostri, pleraq; pia & Christiana, iterim tamẽ in errores aliquot utx excusabiles, lapsi sunt, ut doceat nos dominus ne authoritate hoim, sed solo Verbo cõfidamus.

Cur pseudoprophetæ & lapsus patrũ.

ET DISCIPLINAM SENVM

Id est, nec maiorũ constitutionibus, & seniorũ ordinationi, Dominus parcit, ut ex omni parte unam solam & stabilem ueritatem discamus. Ordinârunt primitiuæ Ecclesiæ, Episcopi οὐκ ἄνθ πνεύματος ueras pœnitẽdi formas, quas uides in Maiorum monumentis, nõ ut essent pro peccatis satisfactio: sola enim fides in Christum, peccata absorbet, non opus quantumuis sanctum, sed ut essent, partim probatio partim protestatio, qua resipiscentes suam fidem, coram tota ecclesia declararent. Cõstituerunt & aliâs in Ecclesia ceremonias, non usquequaq; impias, ut essent rudium disciplina: tam, quia sub Papistico re-

Canones pœnitentiales.

Ratio aboliti cultus, cũ humani, tum diuini.

gno, pœnitentiales formæ, pro uera satisfactione, & cæremoniæ, non pro disciplina, sed pro uero & legitimo Dei cultu, haberi cœpti sunt: proinde, iuste Dei iudicio, plærǽq; abolentur, ut discat mundus, quid sit ueritas in æternũ duratura. Porrò, quod magnum uidetur, Dominus nec suis externis cultibus se, per manus Patriarcharum & Mosi ordinatis, pepercit. Ordinata erat circuncisio, constitutũ sabbathum, uarij cultus diuini ordinati in Leuitico, constructum erat & templũ, sed hæc omnia ablata sunt, quia tempore Christi cœperant putari, ueritas et iusticia, quum nihil aliud fuerint, quã ueritatis umbra, & iusticiæ significationes.

Contemptus principum.

EFFVNDIT CONTEMPTVM &c.

Idem habes Psal. 106. & hanc sententiam probat seditiões populares, in quibus princeps ullius uestpullone ducitur. Iam ut principes à Domino contempti

Vana reddun tur fœdera à Domino.

biles redduntur, ita & consilio Dei, cõfœderatiões, & pacta eorum soluuntur, ut doceat omnes Gentes, se solum esse uenerandum principem, nec usquam firmum esse fœdus, nisi cum ipso ictum, ut Esa. 7. Confœderatio duorum regum, Israël & Syriæ, aduersus Dominum percussa, soluitur. Docet igitur iste locus, principes timorem domini, ut sciant honorem, quem habent in mundo, non esse ius hæreditariũ, sed donũ Domini. Iam non recitantur hæc, quia bene agat pri-

uatus

natus, principē deridens, aut fœdera pacis rumpēs: nam ut Paulus inquit, Principibus honorē debemus: et pax etiā sine fœderibus seruāda est. Sed malis, principes cōtemnētibus, & pacis fœdera frangētibus, deus utitur ueluti instrumēto, & ministris, ad declarandā maiestatē suā, quēadmodū aliâs utitur Sathana, q̄ tamen nō ꝓpterea bonus est, qd' dei sit instrumentū.

REVELAT PROFVNDA &c.

Vt ordine naturæ, Dominus de nocte diem educit & lucem de tenebris: ita in omnibus alijs rebus, nihil est occultū, quod non reuelabitur, nulla est iniquitas tam profunda, nullū scelus tam tectum, quod non manifestabitur, nisi per Christum expiatum fuerit.

MAGNIFICAT GENTES &c.

Exempla ubiq; obuia sunt: magnificatus erat initio mundus, sed diluuio rursus perijt, magnificatæ erant Gentes in terra Chanaan, sed ingressu Israēlis, denuō statæ, magnificatus est Israēl carnalis, super numerum arenæ maris, sed rursus in paucum numerum redactus est, idem adcidit omnibus mundi regnis.

DILATAT GEN. i. multiplicat et rursus minuit

AVERTIT COR PRINCIPVM &c.

Dominus puniturus impiū populū subijcit eū principibus stultis, pueris, aut tyrannis, ꝓpter impietatē enim et suam & populi, excæcantur, ut palpent in meridie, sicut solet cæcus palpare, Deuteron. 28. Malus Magistratus malo populo datur

Percutiet te Deus amentia &c. Psalm. 106. Errare facit eos in inuio, nō in uia. Esa. 19. Principes fecerit errare populū Aegypti in omni opere eorū, sicut errat ebrius & uomens. His omnibus discę è solo Deo fortitudinem, sapientiam & consilium petenda esse. Nam hæc dona, nō maioribus, nec ulli hominū statim ueluti hæreditario iure Dominus concessit, sed sibi solo retinuit, distribuens unicuiq; pro ut uult. Proinde, nunc senioribus aufert prudentiā, & largitur iunioribus: nūc iunioribus aufert fortitudinem, & dat senioribus: nunc cōtemptibilē reddit principem: nunc rursus honori eum restituit, ut nobis fidem faciat, se solū fortē, prudentē & sapientē esse.

CAP. XIII.

ECce omnia hæc uidit oculus meus, audiuit auris mea, & intellexit ea.

Aeque & ego quæ uos scitis, noui, nō uobis minor sum.

Veruntamen ego contra omnipotentē loquar, & arguere Deum desydero,

Vos uero compositores mendacii, & uani medici omnes estis.

Quis dabit, ut taceretis, & uiderenini sapientes?

LVS MEVS. Hoc est, nõ minus uobis cognita est mihi sapientia & fortitudo Dei: scio Deũ sapientẽ, scio fortem, scio iustum, nihilominus tamen aduersus Deũ loquar, et arguã eum, id est, deus reprehẽsibilis mihi uidetur, propterea, quod ĩmerito citra ullã impietatis notã adfixerit me. Quod uero putet Hiob, Deũ reprehẽsione dignum, grauitate iudicij extorquetur: certum, quod firmus confiteatur, se citra ipietatis culpam adflictũ, Euangelij confessio est, quo credẽs, sanctificatur. Proinde, si crucem suã nõ sanctam, sed peccati pœnam confiteretur, Euangelion abnegaret. Iudicio pressi arguere Deũ solent.

VOS VERO COMPOSITORES &c. Id est, nõ ego mentior, innocentiã meã fide paratam, adserendo: sed uos potius amici, falsa crimina iniciantes, & iusticiam Dei carnaliter interpretãtes. Primũ arguũtur amici mẽdaciorũ, quod ex ueris, falsa colligant, uera enĩ de iusticia et sapiẽtia dei loquuntur, sed falso & carnaliter ĩterpretãtur. Deĩn, arguũtur uanæ consolatiõis, & præposteræ nã quũ adcessissent ad consolandũ Hiobem, suis mẽdacijs & multiloquio, nouus fit morbus, ut habet cõmune puerbium: medicus loquax nouus ægroto morbus est.

QVIS DABIT VT TACERETIS. Id est, sapientes iudicaremini, si modo stultitiam uestram, sermone non prodoretis, Prouerb. 17. Stultus si tacuerit, sapiens reputatur. Scribit & Plutar-

chus περὶ ἐυθυμίας Megabysum Persen, cum in officinã Apellis aliquando conscendisset, loqui nescio quid, de arte pictoria cœpisse: huius ineptias non ferens Apelles, priusquàm, inquit, sermone te polleres, nonnullam de te opinionem dediſti, auro scilicet isto, cum purpura silentium honestantibus, nũc uero officinarij, etiamnum pueri, qui pigmenta mihi terunt, tua ista blateramenta rident.

Audite obsecro correctionem meam, & iudicia labiorum meorum animaduertite.

Nunquid pro Deo loquemini iniquũ, & pro eo pronunciabitis dolum?

Nunquid faciem eius respicietis, aut pro Deo contendetis?

Nunquid impune feretis, cum exploraverit uos? an sicut deluditur homo, deludetis ipsum?

Arguens, arguet uos, si in abscondito faciem (eius) respexeritis.

An non strepitus eius terrebit uos, & formido eius cadet supra uos?

Memoria uestra comparabitur cineri in lutum ceruices uestræ deiicientur.

AVD-

AVDITE OBSECRO Id est, animaduertite uos amici, summam causſæ meæ, et in quo uos reprehendam: non arguo, quod dominum iuſtum & ſapientem prædicetis, qs enim iſta, aut argueret, aut non commendaret? ſed hoc reprehēdo, quod in Deo fingatis carnalem quādam iuſticiam & ſapientiam: excuſatis Deum, ſed iniquitate & dolo, quaſi uero Deus ueritas, mendacijs egeat, ut confirmetur, & ſapientia eius hypocriſi excuſetur.

NVNQVID FACIEM EIVS?

Frequētes illæ interrogatiōes, uehementiæ & reprehenſioni adcommodatiſsimæ ſunt. Porro, faciem Dei reſpiciunt, quotquot carnaliter iudicant de ſapientia & iuſticia eius, ſeu propter ſapientiam & iuſticiam, mendaciter Deum excuſant: nam in lege præcipitur, ut in iudicio nō reſpiciamus perſonas, hoc eſt ut perſonam iudicio propoſitam, iudicemus iuxta potentiam, eloquentiam, prudentiam, diuitias, amicitiam, inimicitiam, benefacta, & malefacta eius impertinentia, ſed iuxta cauſſam, unde nec Deus perſonarum reſpector eſt, nec in electione, nec in iudicij exequutione. Electio eſt in Eſau & Iacob nondum natis quod ſi in hac electiōe perſonā reſpexiſſet, citius elegiſſet Eſau primogenitū, et maiorē, quā Iacob minorem: cauſſa aūt ſola reſpicitur, quæ eſt in electiōe uoluntas, ſeu beneplacitum Dei. Exequutio iudicij ſiue

Deus non reſpicit perſonam.

sententia decreta est: qui bene egerunt, ibunt in uitã æternam, qui uero male in ignem æternum: hic si per sonã respiceret, potius dixisset: qui diu, qui potenter, qui sapienter uixit: non autem refert, quàm diu potenter & sapienter, sed quàm bene uixeris. Iam uero ex psona humana, caussam hominis iudicare non licet, ita nec ex persona Dei, de caussa eius cum Hiob quicquam pronunciare oportet: nõ enim propterea Hiob, merito peccati punitur, quod Deus iustus et sapiens est: nam hæc est carnalis, de iusticia et sapiẽtia Dei cogitatio, & personæ respectus. Sic solemus de hominibus iudicare: hic iustus est & illum punit, ille igitur pœnã suis flagitijs meritus est. Proinde, ita potius de Deo philosophandum fuerit, ut confiteamur eum in uase misericordiæ, esse misericordem, qua donat fidem, peccata & impietates expurgantẽ, et coram suo etiamnum aspectu iustificantem. Sed præterquàm, q misericors sit, inuenitur & sapiens, & iustus & potens: quia sapiens est, igitur iustificatum, cruce & adflictione explorat, ut cognobile fiat opus eius, & in lucem producatur: sapientis enim est, lucem non uereri: qui male agit, inquit Christus, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera eius: q autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius quod per Deum facta sint. Sic Dominus operatus est in Hiobe fidem, patientiam, et

alia bona

alia bona, etiam priusquàm eum adflugeret: ne autẽ tanta bona, per Deum in Hiobe facta, obscura manerent, producta sunt ad lucem cruce, ut supra legis ca. 1. & vlam quia Dominus iustus est, igitur non sinit iustificatos, supra id quod possunt, tentari, est enim fidelis seruans q; promissi, quo suum auxilium oĩbus perseuerantibus pollicitus est. Quia uero et potẽs est nullus igitur creatura potest eum prohibere, quin seruet & præstet promissa, atq; hæc est Euãgelij de misericordia, sapientia, iusticia & potentia dei philosophia. Lex aliã habet rationẽ, misericordẽ deũ confitetur, sed bene agẽtibus: sapientem, quod, omnia sapienter creat: iustum, quod peccatores damnet: potentem, quod omnia deuastet & conculcet &c.

Euangelion philosophatur de Deo, & lex.

NVNQVID IMPVNE FERETIS.

Facile est iustum, sapientem & constantem uidẽ, ante conspectum Dei, nondum iudicantis, at relato iudicio, pereũt omnis humana sapiẽtia et cõstãtia Iobi & amici Hiob, uidentur sibi prudẽtissime de Deo sentire, sed iudicium explorabit, qualis sit eorum sententia, ait enim Dominus cap. ult. Non estis loquuti coram me rectum, sicut seruus meus Hiob.

AN NON STREPITVS EIVS TER.

Iudicium Dei, strepitus est & formido, quod conquiat omnes uires, & horrorem incutiat, est et Pro

phetis hoc peculiare, quod iudiciũ Dei futurum, stre pitu armatorum adumbrent.

MEMORIA VESTRA COMPARA BITVR. Hoc est, nunc uidemini recte de sapientia Dei sentire, sed iudicante domino, peribitis, & dele- bitur nomen uestrũ, unà cum prudentia uestra, est autem hæc impiorum sors, quod redeãt in cinerem, & in lutum, Domino suum iudicium reuelante, & quum de iustis dicatur, in memoria æterna erũt iusti ab auditione mala non timebunt, de impijs scribitur, perijt memoria eorum cum sonitu: & Psal. 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, uultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Iam de hominũ memoria nullus hic sermo, sed de memoria Dei: esse enim inme moria Dei, & coram Deo nõ collabi in cineres, hoc opus, hæc fœlicitas est: collabimur enim omnes co ram mundo, in lutum & cinerem, pij uero semper coram Domino uiuunt, ut Christus de abraham & Iacob pronunciat.

Memoria pij & impij.

IN LVTVM CERVICES VESTRAE DEIICIENTVR. Id est, adrogantia & superbia uestra peribit. Eadem loquutio est Psal. 7. Conculcet in terram uitam meam, & gloriam meam in puluere deducat.

Tacete

Tacete mihi, & ego loquar, ac nihil omittam.

Quare lacero carnem meam dentibus meis, & animam meam pono in manus meas?

Ecce occidet me, non expectabo, ue/runtamen uias meas coram facie sua ar/guam.

Nam ipse mihi ad salutem (erit) non enim ante ipsum hypocrita uenit.

Audite audiẽdo sermonem meum, & explanationem meam auribus uestris.

Ecce pronunciaui iudicii sententiam noui quod ego iustus sim.

Quis est qui contendet mecum? sed nunc tacebo & peribo.

DIVERSA LECTIO.

Vbi Hebræus habet הֵן יִקְטְלֵנִי לֹא אִיחָל Græcus legit ἐὰν με χρεώσῃ οὐ δυνάσῃ ἔτι καὶ ἴσχυσα id est, si me cõprehenderit potẽs, quã doquidem & cepit: nam pro אִיחָל Græcus interpretlegit, partim אֹרִיךְ id est, potens uel potero: partim à חוּל (i. cepit) deduxit. Vetus translatio habet, etiam si occiderit me, in ipso sperabo: sed interim ubi in hac tralatiõe manet לֹא? Proinde sic

ex Hebræo transferri debet, ecce occidet me, non expectabo, hoc est, tantus est dolor, ut præ oculis uideam mortẽ, præ doloris tamen magnitudine, expectare mortẽ non potero, donec uenerit: mallẽ hoc ipso momento perire, quàm tantos cruciatus ferre.

TACETE MIHI, ET EGO LOQVAR.

More suo Hiob digreditur, ad recensendã diuini iudicij grauitatem, dicens: animaduertite interim ò amici, dum recenseam animi mei sententiam. Quid mihi profuerit, ut maxime omnem moueam lapidẽ, & omnia tentem, cum tamen mortem mihi iminere uideã, nec liceat præ doloris grauitate, tardũ mortis aduentum expectare, omnis mora mihi lõga est, hoc unum meum est uotũ, ut maturet interitus, usq; adeo pressus, doleo. Porrò lacerare carnes dẽtibus, Lutheri interprete, est se ipsum adfligere, dolere, ingemiscere & corde angi: ponere aũt animam in manus, est uaria discrimina subire, multa tentare, & omnem mouere lapidem. Eandem loquutionẽ habes 1. Reg. 28. dixit Phitonissa ad Saul: posui animã meã in manu mea, id est, propter te subij uitæ periculũ: et Psal. 118. Anima mea in manibus meis semper, id est, semper periclitor, quia posuerunt peccatores laqueũ mihi. Vides aũt ex hoc loco, grauius esse iudicium, & horrorẽ mortis ferre, quã ipsam mortem, mori enim non est graue, propterea quod hoc ipsum in quouis,

Lacerare carnes, quid.

Animã in manum ponere, Hebraismus.

sine

siue præcedat morbus, siue non, ut in epilepticis, subi tanẽ est, ut etiam Ethnici disputant: audire uero in conscientia mortis iudiciũ (scilicet oportet te mori) hoc demum grauissimum est: hanc uocem nullus hominum extra desperationem audire potest, nisi dominus rursum dicat animæ nostræ: salus tua ego sum.

VERVNTAMEN VIAS MEAS CORAM FACIE. Vel tandem adparet, spem in Hioben non prorsus perijsse: nam in pijs iudicio Domini obnoxijs, sibi alternis succedunt, desperatio & spes, inducũ in desperatiõem cõijcit, ut agnoscamus uires nostras nullas esse, & perditionem é nobis: Verbum rursus in spem erigit. Quale Verbũ? promissio, quæ est Christus omniũ promissionũ ἄμὴν καὶ ναί. Vnde Hiob ait, arguam uias meas in conspectu Dei, agnoscam me peccatorem, et Dominus mihi salus erit, est enim promissio: Salus tua ego sum. Hypocritæ uero sua peccata non agnoscentes, sed sese iustificantes, diuinæ salutis expertes manent: nã bona Dei nõ communicantur saturis & fastidientibus, quales Hypocritæ sunt, q quiũ statuant propriam iusticiam, iustitiæ Dei non sunt capaces. Diuina aũt iusticia implẽtur, quotquot sunt cõtribulati spiritus, iusticiæ uacui peccatis pleni, & ueram iusticiam sitientes: super quem, ait Dominus, respicia, nisi super humilem & tremẽtem sermones meos? sed quî conuenit, quod

Hiob agnoscit peccata, & tamen iustus est.

nunc Hiob agnoscat & arguat peccata sua, coram mino: cum antea uel ad nauseã usq; innocentiã sua amicis inculcauerit, & immerito se adflictum praecauerit? Respondeo: Hiob hoc loco, non agit de adflictionũ ratione, aduersus amicorũ opinionẽ, sed de respectu diuino, & natura hominis: omnes enim homines natura sunt filij iræ, et nullus eorum in conspectu Dei iustificatur: sed rursus per fidem, omnes credentes, ex filijs iræ, fiunt filij gratiæ: & ex peccatoribus, iusti: ut idem homo, & peccator & iustus sit: peccator natura & iudicio Dei: iustus, fide, & misericordia Dei. Itaq; cum Hiob peccata sua cõfitetur? ad iudiciũ dei, coram quo nullus iustificatur, respicit, cum uero innocentiã suam adserit in falsa amicorum crimina, & fidem sanctificantem oculos dirigit.

ECCE PRONVNCIAVI IVDICII SENTENTIAM. Vide pugnantia, iam dixit se arguturum uias suas, in conspectu Dei: nunc uero de seipso, tanq̃ iustificato, sententiã fert. Sed quomodo conueniant, modo dictum est, nam unusquisq; per fidem renatus, est gemellus, carnalis & spiritualis. Adamicus et Christianus. Exterior & interior. Iam si Dominus respiciat iniquitates, carnem, Adamũ, è quo nati sumus nemo sustinebit eius iudiciũ: si uero respiciatur fides spiritualis, & internus homo, nulla est cõdemnatio, etiã coram Deo, his q̃ insiti sunt Domino Iesu Christo,

QVIS

QVIS EST QVI CONTENDET MECVM? Hoc est, ita irreprehensibiliter & corã Deo & corã mundo uixi, ut nemo me de peccato arguere possit: fides enim corã Deo iustificat, charitas coram mundo. Igitur, q̃ ex fide et charitate uixerit, neminẽ habet, nec i cœlo nec in terra, q̃ audeat reprehẽdere.

SED NVNC TACEBO &c.

Hoc est, quanquam recte, iuxta fidei & charitatis rationem uixerim, ut infra capite 22. nihil tamẽ mihi nunc innocentia mea prodest: cogor enim in tam horrendo Dei iudicio, tacere & pertre. O miseria, ô calamitas, ô angustia, ubi nec iustissima uita prodest. Est autem & hæc desperationis uox.

Veruntamen duo ne facias mecũ, tũc a facie tua non abscondam (me.)

Manum tuam a me longe fac, & horror tuus non terreat me.

Et uoca, tunc ego respondebo, uel loquar & responde tu.

VERVNTAMEN DVO NE FACIAS.

Redit Hiob parumper à desperatione, in spei uiã quæ est oratio: deprecatur enim duo, præ quibus nemo corã Deo cõstare potest, citra mediatorẽ: alterũ est, grauis adflictio: alterũ est, ira Dei, planè idem cũ eo quod Dauid ait, Psal. 6. Domine, ne in furore

tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me: nam si
us et homo, citra medium reconcilians cõmittunt
oportet ut homo præ diuino iudicio, pereat: quam
Deus sit immensus, sed homo dimensus: Deus summa
iusticia, homo summa iniquitas: Deus lux, homo te
bræ: quî aũt conueniunt iusticia & iniquitas, lux &
tenebræ? Proinde Domino adfligente, maior fit adfli
ctio, quã ut ferri possit, & eo irascente, grauior est
ira, quã ut sedari queat. Quod si uero, inter Deũ &
hominem, interueniat mediator, qui est Verbũ Dei,
Iesus Christus, tũc & adflictio sustineri, et ira sedari
potest. Igitur cũ Hiob hæc duo, adflictionẽ & irã de-
precatur, mediatorẽ & intercessorẽ precatur, nam
præsente mediatore, qualis est supra cap. 1. & 2. ibi
Hiob constantissimus & patientissimus est in omnibus
adflictionibus, non solum non indignans, uerumeti-
am benedicens Dominum. Ablato uero mediatore,
ut est cap. 3. quas adflictiones antea patientissime, cũ
benedictione Domini tulerat, eas postea fert indigna
bundo & blasphemo animo: usq; adeo optime inter
Deum & hominem conuenit, in grauissimis etiãnum
calamitatibus interueniente mediatore: rursus pessi-
me, eo ablato & ex oculis erepto.

Mediator inter Deum & hominẽ Verbũ Dei, Christus.

ET VOCA, TVNC EGO RESPON
DEBO. Hunc uersum pertinere ad priorem sentẽ
tiam, non ad sequentia, Græcus indicat, qui ita trãstu-
lit,

lit, εἶτα καλέσεις, ἐγὼ λέσοι ὑπακούσομαι, ἢ λαλήσεις ἐγὼ λέ σοι δώσω ἀπόκρισιν, id est, postea uocabis, & ego tibi obediam, aut loqueris, & ego tibi dabo responsionẽ: est aũt sensus, si rursus mihi placeas, & tram tuam, reddito mediatore, à me abstuleris, non est quod porrò, aut tuum colloquium horrescam, aut tu colloquentem me repellas, fiducia enim per Christum, & nos Deo colloquimur, & Deus nobis. Nam quod Deus nobis colloquatur, per Christum, Ioannes testatur, dicens: Nemo unquam uidit Deum, filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit: & alibi, Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Quod uero nos Deo colloquamur per Christum, scribit Paulus Ephes. 3. Habemus per eum audaciã & aditum ad Deũ, cum fiducia. Sed quid hæc ad Hiobem, cuius tempore Christus nondũ reuelatus erat? maxime omnium ad eũ pertinet: nam quanq; ab Adam, ad Augustum Cæsarem, Christus extrinsecus reuelatus non fuerit, semper tamen, ab origine mundi, manifestus fuit fidei: neq; unquam quis uel patriarcharum, uel prophetarum iustificatus est, aut in iudicio Dei constitit, nisi interueniente sanguine agni Christi, qui occisus est, à recens iacto orbis fundamento.

Christus semper fuit fidei manifestus.

Apoc. Agnus ab æterno cæsus.

Quãtæ mihi iniqtates & peccata sunt? scelera mea & peccata mea ostende mihi.

Quare faciem tuam abſcondis,& re
tas me inimicum tibi?

Quid eſt quod folium proiectũ terre
& ſtramen aridum perſequaris?

Qđ ſcribas mihi amaritudines, & de
ſtes me ꝓpter peccata adoleſcentiæ mea

Et ponas in neruo pedes meos,& cuſt
dias omnes ſemitas meas, ac ueſtigia p
dum meorum conſyderes.

Et ipſe ego (conſumor) ſicut putredo
computreſcit (&) ſicut ueſtimentũ quod
comeditur a tinea.

QVANTAE MIHI INIQVITATES &c.

Rurſus Hiob aduerſus Deum contendit, admiratus ſuper eius iudicio, quod citra culpam grauißime pios adfligat, quontã inquit non ſentio, nec dolorem meum minui, nec iram tuam ſedari: enarra mihi quæſo, quæ tanta ſint peccata, & ſcelera mea, propter quæ tam grauiter me crucies, & abſcondas faciem tuam: reputans me, quaſi impiũ & aduerſarium tuũ, quid cõmerui? quando nullius criminis mihi conſcius ſim, uelut enim foliũ fòràs proiectũ, ab hominibus conculcatũ, & quaſi ſtramen aridũ ſum, quid igitur tanta potẽtia, tantis machinis, me perſequeris? an forte cõputas peccata adoleſcentiæ meæ, & ut dicitur, ueterẽ iniuriam

Alt ſchuld rechen.

nimiã

uindicas? At Deus non est talis, qui inueterata peccata, pijs computet, est enim scriptum: Propicius ero peccatis eorũ, & iniquitates eorum non recordabor amplius. Iam qui non recordatur peccatorum, quomodo demum uindicaret? In iudicio uero, ablato mediatore, redeunt omnia peccata, tam adolescentiæ, quàm senectutis. Vnde & Dauid precatur, Psal. 24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Porrò dicitur Deus facie suã abscondere, quũ nec ex uultu orationes nostras, nec ullũ beneuolẽtiæ signũ exhibet, sed meras adflictiões et mortes ob oculos ponit

Recidiua fiũt peccata, iudicante domino

ET PONAS IN NERVO PEDEM. Id est, cum nihil sim, nisi putredo, uermis, & non homo, & consumar, ueluti uestimentum à tinea: miror itaq; cur ponas in neruo pedem meum, tantis adflictionibus & miserijs me obiectans? ut nusq; effugiendi uia pateat, & obserues omnes semitas, ac uestigia mea explorãs, uelut tormentis singula mea facta, dicto enim diuino nihil non est peruium, & omnia scrutatur, omnia explorat, ociosa etiam nũ uerba: tantum abest, ut non facta impia arguat. Qua aũt caussa nos qui putredo sumus, tam anxie et potenter iudicat Deus? Primum hac caussa, ut uel ex iudicio discamus, quanta cura in hominem respiciat, si enim multa solicitudine iudicat: quanto maiori, curat & custodit? Deinde, ut ex iudicio nobis ipsis cognobiles fiamus. Po-

Cur tam acriter iudicet Deus.

stremo, ut discamus timere, & solicite ambulare, c
Domino Deo nostro.

CAP. XIIII.

HOmo natus mulieris, paucorum di
rum est, & repletur inquietudine.

Sicut flos egreditur, & decidit, & fugi
sicut umbra, nec perdurat.

Veruntamen super talé aperis oculos
tuos, & ipsum adducis tecũ in iudicium.

Quis dabit purum, ex iis, qui omnes
polluti sunt?

Nõne breues dies eius, numerus men
sium eius, apud te est? terminum eius sta
tuisti, & non transibit?

Respice ab eo, ut interquiescat, donec
percurrerit, sicut mercenarius dies suos.

DIVERSA LECTIO.

Quod Hebræus habet רצה, *Græcus à* רצה *deduxit, quod significat, placuit: sic enim interpre*
tur ὡς ἂν δοκήσῃ σὺ ἐν ἐμοί, *id est, & cõplacentiam ha*
beat in uita: cõmodius autem sententiæ uidetur, si à רוץ *deducatur, qđ significat, cucurrit, ut sit sensus*
donec percurrerit, & transegerit uitam suam &c.

Hom

HOMO NATVS MVLIERIS &c.

Pergit Hiob, sicut in fine prioris capitis cœperat, grauitatem iudicij diuini, ex antitheſi quadam humanæ imbecillitatis, cum diuinæ maieſtatis potentia, nõ tam admirari, quàm arguere: mirum enim, imò deridiculum, & tantum non iniquum, in oculis noſtris uidetur, quanta potentia & uehementia, Dominus iudicet hominem, qui tamen nihil eſt, niſi folium marcidum, tamen aridũ, putredo, quaſi ueſtimentũ quod à tinea conſumitur, breui uiuens tempore, miſerijs undiq; repletus, mane flos, ueſperi fœnũ, uelut umbra fugax. Breuiter, homo eſt natus mulieris, hoc eſt, omnibus calamitatũ genere obrutus, & omnis mali lerna: nam quod ait, mulieris natus, uelut rationem dat, cur ita miſeri & calamitoſi ſimus, eſt enim Heuæ maledictio: multiplicabo ærumnas tuas, ſi conceperis, in dolore paries filios tuos. Iam mulier, non ſolum conceptu ipſo erumnoſa, partu calamitoſa eſt, ſed etiã in infantem calamitates ac ærumnas proijcit: ut enim ex carne, nõ niſi caro naſcitur, ita, quid aliud de ærumnoſa, quàm ærũnoſum fieret? Porrò, quibus miſerijs homo repletur, notus eſt, quã ut recenſeri debeat: neq; enim eſt uſpiam ulla hominum cõditio aut ſtatus, qui non ſuam crucẽ & calamitatem habeat: uſq; adeo omnia crucibus plena ſunt: & ut ſupra dixit, ut auis ad uolatũ, ita homo ad miſerias naſcitur: non igitur hoc

Homo ad calamitates naſcitur.

agendum ut crucem fugiamus, sed ut Christum adi piamus, in quo omnis crux facilime fertur.

PAVCORVM DIERVM EST &c.

Adcedit & hoc ad calamitatem humanam, quod breuissimo tempore uiuamus, nec tamen liceat interim sine calamitate & inquietudine uiuere.

SICVT FLOS EGREDITVR &c.

Hominis miseria, comparatione floris explicatur, neq; enim carnalis hoīm gloria & stabilitas, possent cuiquam rei adcōmodatius comparari, quàm flori & umbræ: flos enim mane speciosus, odoriferus, & uisu ualde delectabilis est, uesperi aūt flaccidus decidit: sic & homo, initio magnificus uidetur, statim aūt uel leui morbo, adcidēte, ueluti flos marcescit. Esa. 40. Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius, quasi flos agri, Psal. 102. Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, sic efflorebit. Dies autem nostros, umbræ cōparari, in scriptura frequentissimum est, 1. Chronicon. 29. Psal. 101. Psal. 143. Ecclesiastæ. 7. Sapien. 2.

VERVNTAMEN SVPER TALEM.

Altera antitheſis pars, hoc est, cum tam calamitosus sit homo, cur dignaris eum, tanta maiestatis tuæ potentia adoriri, citius tibi tam misera creatura, contemptui, quàm curæ esse deberet, an ne ideo tam exacte & diligenter hominem iudicas, ut sicubi in eo iustitiā inuenias. Sed heus tu quis potest esse mundus,

de immundo semine conceptus: inter impuros, purũ ne reperies? omnes enim homines à natiuitate immundi & impuri sunt, in peccatis concepit nos mater nostra Eam, cum nullus inter omnes homines, sanctus inueniatur, quis enim potest dicere, mundũ est cor meum? miratur, aut si mauis, indignatur Hiob, cur tam exacta diligentia, iudicium Domini, hominem explorethur uero exploratio, cedit in excellentem Dei gloriam: nam cũ exploret, etiã iustissimos, nec reperiat vllam uel scintillam iusticiæ, cognobile fit toti mundo, solum Deũ esse iustum & sanctum, & ab eo solo, omnem iusticiam, ac sanctitatem petendã esse: quasi Dominus in iudicio ita diceret, en ideo hominem iustũ iudico, & singula eius facta diligentius exploro, non quia perdere uelim, sed ut toti mundo manifestũ fiat, me solum esse iustum & sanctũ, & si quid sanctitatis in ipso homine fuerit, ex me esse, non ex homine.

Deus omniũ iusticiam iudicat, ut solus ipse sanctus agnoscatur.

NONNE BREVES DIES EIVS &c.

Hoc est, quid est quod hominem paucorum dierum, cuius uitæ tempus à te numeratum est, tam horrende adfligas? quin potius, cum sit breuis uitæ, & apud te numeratæ, permitte, ut interim hoc quantulocunq; tempore, animum suum gaudio refocillet. Loquitur aũt Hiob de se ipso, in tertia persona, ut declaret totum genus humanum, quantum ad miseriam spectat, eiusdem secum farinæ esse. Porrò, hoc loco edo-

Mors non accidit casu.

cemur, mortem nobis nunquam casu euenire: si enim capilli capitis nostri, abiectissima pars, numerati sunt, & statura corporis, sua mensura circumscripta est, quanto magis apud Deum, uitæ nostræ anni, dies, horæ, & momenta, certa ac definita sunt. Proinde, nunquàm accidit nobis mors, casu aut fortuna, sed certo & iam ante decreto consilio Dei, sunt enim uitæ nostræ, menses numerati, sunt constituti termini, qui nec anticipari, nec præteriri, possunt, ut & Christus ait Ioan. 11. nõne duodecim sunt horæ diei, id est, definitum unicuiq; est suum tempus, in quo, quàmdiu quis ambulauerit, nõ offendit. Sed quî fit, quod plerique casu mori uidentur, qui diutius uixissent, si casum aut periculũ euitassent? Consiliũ Dei certum est, & uitæ terminus definitus. Iam hoc Dei consiliũ, & certa apud eũ definitio, extrinsecus, coram mundo, non manifesta, sed laruis & uelamentis tecta adparent: sunt aũt definiti termini laruæ, morbus, paralysis, casus, gladius, & id genus adcidentia, sub quibus Dominus exequitur definiti termini uitæ nostræ consiliũ. Nec ab re factũ est, quod hoc diuinum mysteriũ, nobis partim reueletur, partim abscondatur: reuelatur, quod terminus uitæ nostræ, sit apud Deũ definitus, ut discamus in omnibus diuersis fidere: neq; quenquã timeamus, qui possit occidere corpus, sed eũ solum, qui potest occidere animam, & mittere in gehennam. Tegitur ue-

ro,

ro, quod nesciamus, quo tẽpore futurus sit terminus, aut qua larua & uelamento, Dominus definitũ terminum sit exequuturus, ut discamus Dominũ timere, solicite cũ Domino ambulare, & ut nõ tentemus eũ. Itaq; quod partim reuelatum sit, ad cõfidentiam pertinet, quod uero partim tectum sit, ad timorem, ne temeraria nostra audacia, tentemus Deum.

RESPICE, AB EO, VT INTERlieſ, noli tam grauiter me calamitosum adfligere: nonne antea satis miseriarum habeo, quod homo natus sim? Cessa obsecro, à iudicio, ut uel parũ intermiscam, & reſociller, donec transegero dies meos, & uernat statutus mihi terminus, quẽ ueluti mercenarius, expecto, q imitio laboris matutini, mox ad uesperã aspirat, ut è sudore et molestia laboris, liberetur: sic supra ca. 7. Sicut dies mercenarij, sic dies hominis. Porrò, his uerbis clam Hiob insinuat, se etiã hinc anẽ abiturire, cuiq; suum uitæ terminum esse statutũ: qd' alioqui impossibile esset tanta supplicia, tam horrenda iudicia sustinere, nisi certus uitæ terminus definitus esset, id quod exemplis adeo quotidianis notũ est: sepenumero enim, leuiter ictus moritur, cum cõtra, grauiter uulneratus, uires sanitatis recuperet.

Quoniam de arbore est spes, si succidatur & exterminetur, planta tamen nouella sua non cessabit.

Si senuerit in terra radix eius, & in pulue re moriatur stirps eius.

Ab irrigatione aquarũ germinabit, & faciet propaginem quasi plantata esset.

Sed uir moritur, opprimitur, & consumitur homo, & quomodo reuiuiscet.

Recedunt aquæ de mari, ac flumen exiccatur, ac arescit.

Sic est uir occumbens, non resurget amplius, donec præterierit cœlum, non euigilabit, & nõ excitabitur a somno suo.

QVONIAM DE ARBORE EST SPES.

Dissimilitudo est, qua Hiob plenius exprimit humanæ miseriæ conditionem: de arbore, inquit, spes est etiamsi amputetur, & succidatur: rursus tamen quotannis germinat: quod & si radix eius senuerit in terra, reuuenescit tamen ab irrigatione (quam Hebræus, sua phrasi odorem uocat) aquarum: nulla autem est hominum reuuenescentia, nec ulla est scientia, quæ ex demortuis hominibus, reuiuiscentes reddat, sed homo semel abscisus, mortuus & consumptus manet: hæc autem omnia dicuntur de homine citra Verbum, citra Christum existente, & iudicio Dei obiecto, nostra enim reuuenescentia & reuiuiscentia, est in regeneratione, ex aqua et spiritu. Habent nanq; Christiani

Reuuenescentia piorum.

ani balneum, quo si quis lotus fuerit, ex sene fit iuuenis, ex mortuo uiuus, & in æternum uiuus manens: hoc autem balneum, est baptismus, lauacrum regenerationis, per Verbum, fide adceptum.

RECEDVNT AQVAE DE MARI.

Mare intelligas, aquarũ congregationẽ, uel lacũ. Porrò, ut antea, dissimilitudine quadã, ab arbore sumpta, exposuit Hiob, humanã cõditionẽ, nunc tandẽ ex pressa similitudine: nã quẽadmodũ è lacu aut flumine, aquæ euanescunt, donec effluat tota, et lacus exiccetur, ac arescat: ita & homo, mox ut natus est, in mortẽ effluit, neq; aliud mortis initiũ est, q̃ uitæ exordiũ. Itaq; quo propinquior uitæ fuerit, eo ꝓpinquior morti est, & quũ occubuerit, nõ resurgit, donec cœlũ & terra transierint. Respicit aũt iste locus ad futurã resurrectionem. Primũ, quod dicat hominẽ nõ resurrecturũ, donec cœlũ transierit: ergo resurget, uel tandẽ in ultimo die, in quo omnia mutabuntur, & corruptibilitas induet incorruptionem. Deinde, quod mortem somnum uocet, somnus enim, etiamsi diuturnus fuerit, tamen in excitationem directus est. Vnde & mors somnus dicitur, quia in resurrectionem respicit. Resurrectionis locus.

Quis dabit, ut in inferno abscõdas me? et pregas me, donec cõuertat̃ ira tua, & constituas mihi statutũ, ut recorderis mei.

Si mortuus fuerit uir, nunquid reui-

uiscet? omnibus diebus militiæ meæ
pecto, donec ueniat immutatio mea.

Voces (me) & ego respondebo tibi,
opus manuum tuarum concupiscas.

Quoniã nunc gressus meos numerasti
(sed) non aduertas super peccatũ meum.

Obsignatũ est uelut in fasciculo scelus
meum, & cõposuisti iniquitatem meam.

Et tamen mons cadens defluit, ac pe-
tra recedit de loco suo.

Lapides contunduntur aquis, demer-
git collectio eius puluerem terræ, sed ex-
pectationem uiri disperdis.

Euertis eum in perpetuum, ut pereat,
cõmutando faciem eius proiicis eum.

Si glorificati fuerint filii eius ignorat,
aut contemptibiles fuerint, nescit illud.

Attamẽ, donec carne circũdatus fuerit
dolet, & dũ anima eius cũ ipso est, luget.

QVIS DABIT VT IN INFERNO.

Quanq̃ in inferno nemo sit, qui confiteatur Deo, et laudet opus eius, non cõmittit tamen spiritus, quin congemiscat, & clamare faciat pios, etiam in mediis inferni ignibus, unde & Hiob in infernum conjectus

&

& interim blasphemans, ac irascens iudicijs Dei, nõ cessat pio spiritus clamore, et desyderio, Deum interpellare, ut auxilietur: sustineo iam, inquiens, inferni tormenta: utinam igitur defenderes & absconderes me, donec pertransiret furor tuus: & ô utinam, certũ mihi terminũ statueres, quo mei uelles recordari, id est, liberare. Emicat & hoc loco nonnulla spei scintilla, quamuis in medio inferni igne Hiob ardeat.

SI MORTVVS FVERIT VIR NVNQVID. In inferno nihil ob oculos ponitur, nisi æternus & perditio. Vbi igitur manet resurrectionis spes? impossibile enim est morte obiecta, in resurrectionẽ oculos intendere. Adhæc, rationi nihil magis ridiculũ est, resurrectione: itaq; Hiob, cum nihil nisi mortem uideat, dubitat, num possibile sit hominem reuiuiscere: certe, homini iuxta rationem iudicanti, et mortem uidenti, nihil minus possibile uidetur. Qui uero Verbũ habent & Christũ, ij sciunt quod Christus resurrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui obdormierunt: & quum sit per hominem mors, etiam per hominem resurrectio est: atq; adeo, ut in natis, uita mortis initium: ita in renatis mors uitæ initium est.

OMNIBVS DIEBVS MILITIAE MEAE Cum nihil habeam auxiliorũ præsentium, hoc solum mihi relictũ est ut expectẽ, donec uenias in auxilium, donec uocaueris me è tenebris mortis; ut non pe

Expectatio sustinet pios, donec impetrẽt q̃d̃ sperant,

nitus repellatur, & abijciatur opus manuũ tuarũ.
Est aũt expectatio, ultima in iudicio Domini anchora, ut Esaias 30. ait: In silẽtio & spe erit fortitudo uestra, & Iosaphat 2. Chron. 20. In nobis non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere: Sed quia ignoremus, quid agere debeamus, hoc solũ relictum nobis est, ut oculos nostros dirigamus ad te. Ita in iudicio Domini, quando nusquã euadendi uobis uia patet, hoc solum relinquitur nobis, ut fide expectemus, Psal. 26. Expecta Dominum, uiriliter age, Habac. 2. Si morã fecerit, expecta eũ. Nisi malueris דלי פתי pro exterminatione potius, quàm immutatione interpretari, tunc sensus est: omni momento expecto, quando me totũ exterminaturus sis: usq; adeo adfligor, ut dolores porrò sustinere nequeã, expectabo tamen, ut me uoces, & præsens adero: ac rursum me, qui sum opus manuũ tuarum, in pristinum statum restituas.

QVONIAM NVNC GRESSVS MEOS NVMERASTI. Omnino inqt mihi expectandũ est, nã quantũ ad præsentẽ sensum attinet, nihil uideo nisi iudiciũ & peccatum: dinumerasti gressus meos, hoc est, dijudicasti omnia opera mea, & scelera mea, ueluti fasciculo quodam colligasti, obsignasti q; : non tamen in finẽ respicies peccata, sed ut iudicio cœperis, finies tamẽ misericordia. In impijs diuersum fit, in quibus incipit Deus misericordia, & desinit iudicio.

El

ET TAMEN MONS CADENS DEFLV IT. Dissimilitudo est, qua inter se se cõmittuntur creatura & mors, seu pœna mortis. Omnes creaturæ mutantur: mons quamuis fastus defluit, & ignitandem consumetur: petræ abeunt, & dissiliũt saxa: ab aquis deuoluuntur, contunduntur, seu ut Græcus habet λίθους, id est, excauantur. Similiter puluis terræ, in undatione aquarũ, perit: breuiter, oĩs creatura abit, & mutatur: sola mors, seu mortis pœna, nec recedit, nec mutatur: et frustra expectat, qui mortis finẽ expectat, frustra sperat, qui mortis pœnã finiendam spera, sunt enim per sese mortis pœnæ æternæ, sed per Christum IESVM, fiunt pijs momentaneæ. Æternæ mortis pœnæ.

SED EXPECTATIONEM VIRI DISPERDIS. Altera dissimilitudinis pars, id est, quan quã omnia pessum eant, & subinde mutentur: supplicium tamen utri condemnati, qualis ego nunc sum, nõ cessat, nec expectationis suæ compos fit. Sic enim uidetur homini in iudicium inferni coniecto.

EVERTIS EVM IN PERPETVVM. Id est, nulla est spes homini, mortu adiudicato: abit, euersus iudicio Dei, in perpetuũ infernum: nec relinquitur ei post mortem, ulla suorum cura, aut solicitudo: siue enim agant splendide, siue contemptibiliter, filij eius superstites, nec sentit, nec meminit, ut & Eccle. 2. conqueritur, se ignorare, an hæres sapiens,

an stultus futurus sit: nam usq; adeo miser est hom
ut quàmdiu in hac uita, carnem & animam possid
nihil ei expectandũ fuerit, quàm dolor, adflictio
uniuersum calamitatis chaos: post uitã uero aliud
habet, quã perpetuũ interitũ, in quo nescit, quid p
se agant filij eius, quis sit humanæ conditionis stat
nam si saltem hæc sciret, esset forte, uel leue solaciũ
Breuiter, in uita, oĩs miseria, post mortẽ perpetuus
teritus. O nos miseros, quis est liberator noster? Gr
tias agimus Deo, per Iesum Christum, cuius sanguin
uindicati sumus à perpetuo interitu, & cuius cruc
omnis nostra miseria, in benedictionem uersa est.

CAP. XV.

REspondens Eliphas Themanites, dixit.

Num sapientis est loqui tumidæ & im
plere uentis uentrem suum?

Arguis uerbis inutilibus, & sermoni
bus nihil profuturis.

Propterea quod abiecisti timorem, &
detraxisti querelis, ipsi Deo.

Sic docuit iniquitas tua, os tuum, &
elegisti linguam astutorum.

Con

Condemnabit te os tuum,& non ego, labia tua respondebunt tibi

Nunquid primus homo natus es, & ante colles conceptus es?

Nunquid arcanum Dei audiuisti, & diminuetur præ te sapientia?

Quid cognouisti quod ignoramus? quid intellexisti quod nescimus?

Et canus & senex inter nos sunt, multo patribus tuis uetustiores,

NVM SAPIENTIS EST LOQVI.

In priori oratione, Hiob præter recensionem, grauitatis iudicij diuini, ad quã more suo, extra caussam ferunt, docuit adflictiones, non merito peccati, sibi obuenisse, se enim esse coram Deo, fide iustificatũ: proinde quæcunq; adciderint, innocẽti adcidisse, adeoq; expectare futurã liberationem: utcunq; præsens adflictio maior sit, quã ut citra desperationem ferri possit. Eliphas, hæc audiens pro carnis prudentia, calumniatur, tanq; uentosa, inutilia, & blasphema uerba: partim quod audeat Hiob se iustũ profiteri: partim quod inter tãtas blasphemias, audeat salutẽ sperare, dicẽs: an ne decet sapientem, qualem te fingis, sic uentosa, insania & futilia loqui? Est enim uentrem replere uẽtis, insania concipere secum, & uana effutire.

PROPTEREA QVOD ABIECISTI

De impijs scriptũ est, Psal. 13. Nõ est timor dei ante oculos eorum, neq; ullu magis honorem deo adimũt quàm impij hypocritæ, suis uiribus confidentes. Sic ut est uetus Adami consuetudo, à se in alium culpam transferre: ita Eliphas, hoc ipsum in Hiobe calumniatur, cuius ipsemet obnoxius est: ait enim, timorem Dei non esse in Hiobe, ac Deum suo honore destitui, propterea, qđ dixerit se adflictiones citra peccatorũ merita pati, ac iustificatũ esse in cõspectu Dei. Atqui prima facie hæc uerissima adparent, nisi iudicio spiritus, inter ipsa discernas: qui enim seipsum iustificat, blasphemat Dei iusticiã, quam sibi adrogat: sed aliter pij se iustificant, aliter impij. Pij iustificant se in Deo per fidem, quemadmodũ & fortes, & prudentes & confidentes, in Deo se esse iactant, sicut scriptũ est: qui gloriatur, in Domino glorietur: impij uero, iustificant se in se ipsis, per opera, id quod est summa in Deum blasphemia. Proinde, Hiob adferens suã innocentiã, nihil detrahit deo, nec timoris Dei expers est, sed id quod Dei est munus, palàm profitetur.

Iusticiam suã probe iactãt pij.

SIC DOCVIT INIQVITAS OSTVVM

Sentẽcia Euangelica: ex abundantia cordis, os loquitur, & ex uerbis tuis cõdemnaberis: est enim sermo tuus, qđ tã impia ore crepes, satis indicat te esse impietate plenũ, & ex uerbis oris tui, impium iudicaberis.

NVN

NVNQVID PRIMVS HOMO NAT.

Quod Iudæi Christo obiecium, dicentes, quinquaginta annos nõdum habes, & Abraham uidisti? hoc est, adolescens propemodum es, & tactas Abrahamum te uidisse. Ita Eliphas Hiobi obiecit, tu ne inquiens, primus homo, et ante omnes colles natus es? tu ne es ille senex, & antiquus dierum? qui omnẽ sapientiam cognoueris, ac ut ita loquar, deuoraueris? quis unquam, te uel consilium uel sapientiam Dei docuisset, quando sis propemodũ adolescens, & hesternus sint dies tui? NOS sumus illi præclari uiri, qui scimus & intelligimus Dei consilium ac prudẽtiam, ut cuiq; ipsum tactes, iter nos sunt canes, lapsus sum dicere uolebã, cani, præsbyteri & seniores, q prudẽtiam etate collegerunt: patres habemus, de quorũ sanctitate & prudentia gloriamur. Sic Iudæi tactãt Moisen suum, dicentes: nos Mosi discipuli sumus. Sic papistæ iactant doctores suos & concilia: hæc enim natura, prudentiæ carnalis est, quod cõclusa uerbi diuinam maiestate, ad patres insyncerite r intellectos adpellet: nec inter doctrinas, sed personas docentes discernat, & doctrinam ac Verbum ex persona Apostoli, non personam ex Verbo & doctrina iudicet. Adhæc autem Hiob supra respondit, solam prudentiam apud Deum & in Verbo Dei esse: cæterũ omnes homines, seu senes seu iuuenes, errare posse: cõprehendit enim

Solent patres iactare, qui Verbum contemnunt.

Dominus sapientes in sapientia sua, & prudentes consilijs suis: solus ergo Deus est, in cuius Verbo sapientia & consilium quærenda sunt.

Nunquid tam contemptæ reputantur a te consolationes Dei? sed uerbum absconditum tecum est,

Quid adrogat sibi cor tuum, & quid innuunt oculi tui?

Quoniam couuertis aduersus Deum spiritum tuum, & educis de ore tuo sermonem (contra Deum)

Quid est uir quod mundus esset, & qui iustificaretur natus mulieris?

Ecce inter sanctos suos nullus fidelis est, & cœli non sunt mundi in oculis eius.

Quanto minus uir qui est abominatio & fœtor, bibés sicut aquas iniquitatem?

NVNQVID TAM CONTEMPTAE

Non solum audes ô Hiob, te in conspectu Dei iustificare, sed adhuc addis aliam temeritatē, speras enim in Deum, confidis te posse ab eo quem tot modis blasphemas & dehonestas, salutem consequi: an consolationes eius, tam contēptibiles iudicas, ut proijcias eas ante blasphematores? Deus peccatores non exaudit, et eos cōsolaretur? Iustus sis oportet, & peccata tua confitearis

Grauis tentatio, q. Deus peccatores contemnat.

confitearis coram Deo, si salutem ab eo sperare uoluerit. Est autem hæc grauissima tentatio, è carnis prudentia nata, qua suspicamur, ne dicam desperamus, nos nõ exaudiri, & consolationem non esse à Domino expectandã, propterea quod peccatores simus, & quod multipliciter Deũ offenderimus. In hũc etiã modum, Christus mulierẽ chananæã tentabat, ut probaret fidem eius, dicens: non est bonũ sumere panẽ filiorum, & dare canibus, hoc est, canis es, non pertinent ad te beneficia filijs promissa: ita & nobis, quotiens uel benedictiões iustorũ, uel precũ energias audimus, in mẽtis aurem susurratur peccatores, hæc ad te non pertinent, sed ad iustos, ad sanctos, nescio quos. Itaq; oportet ut probe in hac tentatiõe firmemus cor nostrum, Verbo promissionum, confitentes propter peccata nostra, nihil nos meritos esse, quàm dereictionem & perditionẽ, propter promissionẽ aũt & fidem, Dei bona, nostra esse. Quod enim audeamus sperare, gloriari & confidere super Dominum, non est nostræ iusticiæ, nec nostrarum uirium, sed misericordiæ Dei, et promissionum suarum: adeoq; consolationum Dei indigni sumus quidem, sed tamen indigi: Deus aũt non respicit, auxiliando & consolando, dignitatem, sed necessitatem & indigentiam.

Fides dignos facit oratores

SED VERBVM ABSCONDITVM TEGV M. דבר non tam Verbum, quàm factum, aut

rem, more Hebræo, significat, et est hoc loco ironi
q. d. forte latet in te adhuc, abscondita aliqua res, a
iusticia, quam non profers, id quod tamen impossibi
mihi uidetur: nam si uel mica iusticiæ in te esset, nun
maxime omnium produceres, neq; tam blasphema
elata & superba, aduersus Deum proferres: quid po
nis in cœlum os tuum? Cur inflaris tanto arrogantiæ
tumore, aduersus Deum, ut cordis cõtumacia, ex ocu
lis etiamnum tuis emicet? Quid calumniaris Deũ,
quod te citra meritum adfligat? quid te corã Deo iu
stificas? nam hoc pessime habet hypocritas, cum au
dierint eos, qui gloriãtur, in Domino bene sperare:
Zelus hypocritarum. zelo enim diuinæ iusticiæ uidentur affici, cũ infectã
tur pios, in Domino gloriantes: sed zelus eorum non
est secundum scientiam, propterea quod uim Euange
lij iustificantis & iusticiam ignorant.

QVID EST VIR, QVOD MVNDVS
Tu ne iustus es coram Deo, quando nec sancti Dei
irreprehensibiles, nec cœli mundi sint in conspectu
eius? quanto minus homo, abominatio & fœtor, qui
lis tu es? Verissima hæc sunt, nemo in se mundus, pu
rus & iustus est, sed in Deo per fidem, omnis mundi
cia, puritas, & iustificatio possidetur: mundi estis, in
quit Christus, per sermonem quem dixi uobis: & Pe
trus, fide purificantur corda: & Paulus. Iustificati ex
fide, pacem habemus &c. Porrò, quod dicitur.

BIBEN

BIBENS INIQVITATEM SICVT &c.
Hebraismus est, quod nos possumus dicere, impletus iniquitate.

Explanabo tibi, audi me, & quod uidi, enumerabo.

Quid sapientes adnunciarint, & non abscondita fuerint a patribus eorum.

Ipsis solis data est terra, & non transiuit alienus in medio eorum.

Omnibus diebus impius conturbatur, & numerus annorum absconditus est, tyranno.

Vox terroris in auribus eius est, in pace prædator obruit eum

Non credit se reuersurum a tenebris, & uidet coram se gladium.

Si uerterit se ad panem quærendum, agnoscit quod parata sit in manu sua dies tenebrarum.

Exterrent eum tribulatio & angustia, superant eum, sicut rex imminens cum exercitu.

Quia extendit contra Deum manum suã, & cõtra omnipotentẽ roboratus est.

Currit contra ipsum collo incurui cer uico, scuto suo.

Quoniam operuit faciem suam adip
sua, & fecit rugam in latere.

DIVERSA LECTIO.

Vbi uetus trálatio habet, DE LATERIBVS EIVS ARVINA DEPENDET, *Hebr. ut legit* ויעש פימה עלי כסל .*i. fecit labia aut rugam in lumbis, quod Græcus ita interpretatur.* καὶ ἐποίησε πλεισόμιον ἐπὶ ἰσχυ μηρίων *id est, fecit capistrũ super femora; nam arrogantiũ & superbe resistentium, hæc facies est, quod proijciant, ut dicitur, ampullas, & inflent ambas buccas, ut præ tumore (qui hoc loco adeps dicitur) oculi ferè abscondantur, & ut in bene pinguibus, lumbi uel sesqpedè extãt: ita impij, arrogãtia inflatissima, deo repugnãt. Proindeq; ut bene Lutherus, Paraphrasi quasi explicauit) hunc habet sensum: impius fastuose, pertinaciter & arroganter, cum summo contemptu, Deo resistit.*

EXPLANABO TIBI, AVDI ME, ET QVOD, *&c.* Eodem quo alij amici argumento, etiam Eliphaz, ex impiorum maledictione, probare conatur Hiobem esse impium: tale autem est quod dicit: impij maledicuntur, iudicio Dei terrentur, nunq; securi sunt: habent uitam suam ante oculos pendentem, desperant: breuiter, omnibus malis obruuntur. Iam quum Hiob, eadem maledictiõe afficiatur (desperat enim, & planè iudiciũ impij sustinet) oportet igi

tur eum

tur eum impium esse. Porrò ne uideatur nugas agere, patres sanctos, sapiẽtes, et à Domino benedictos, credat: nã quod ait, ipsis solis (scilicet, sanctis patribus) data est terra, similis est loquutio, cũ ea, quæ est Esa. 52. Induere uestimẽtis gloriæ tuæ Hierusalem, ciuitas sancti, quia nõ adijciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus, hoc est, benedicta eris & à sordibus aliena. Sic et hoc loco terra data est solis patribus, hoc est, patres sunt benedicti, sancti & mũdi, inter quos nullus alienus et impurus connumeratur. Quæ uero sequũtur, de impiorũ maledictiõe, siue patres, siue filij docuerint, certe uera sunt, dabimus patres sic docuisse, non tamen dabimus sic intellexisse, quẽadmodũ Eliphas deprauat, et ad Hiob ĩsontẽ torquet, quãuis enim impiorũ iudicia sustineat, nõ tamẽ ideò impius iudicandus est, propterea quod, omnes suæ afflictiones, ex fide iustificato, acciderint.

OMNIBVS DIEBVS IMPIVS CONTVRBATVR. Plærasq; sententias hic positas lex repetit, Leuit. 26. Deuter. 28. Nam, quum ut aliquando ait, Hiob ante legem scriptam fuerit, nõ potuerũ amici testimõia ex lege citare, sed ê patrũ authoritate, quorũ tpe quamuis lex non erat scripta, erat tamẽ mẽti eorũ patefacta, Rom. 1. Proinde, eandem hoc loco, patrũ citatio, authoritatẽ habet, quã apud nos legis scriptæ sentẽcia, si modo utrinq; synceriter

& cum Euangelij intellectu fiat, nunquam enim u
patres, nec lex recte, in sententijs suis intelligũt
nisi expositione Euangelij, quod est legis reuelatio
Porrò aliâs de impijs scribitur: uia impiorum pros
ratur, bene est omnibus qui præuaricãtur, & iniqu
agunt: item, à fructu frumenti uini & olei sui, multo
plicati sunt. Iam si impij prosperantur, & prævalẽ
gladio suo aduersus pios, quomodo hoc loco dicũtu
conturbari, & gladium metuere? Ante iudicium Do
mini, prospera impijs adcidunt, securissime habitant,
& ut Esa. inquit: Percusserunt fœdus cum morte, &
pactum fecerũt cum inferno, existimantes flagellum
mundans, cum uenerit, mox trans siturum: at postquã
Dominus iudicauerit, eueniunt eis omnia, quæ hic nu
merantur, Sic Hierem. 44. fatentur impij, se nulla re
eguisse, dum adhuc sacrificarent reginæ cœli, postq̃
autem cessauerint, se queruntur cõsumptos esse: hoc
est, ante iudicium uidentur mali, belle ualere, sed eo
reuelato, tum uero incipit labor et dolor &c. Est au
tem hoc loco Hebræum uerbũ מתחולל quod à
partu descendens, significantius exprimit impiorum
anxietatem: nam quemadmodum mulieres pregnan
tes, partui propinquæ, subito dolore corripiuntur,
longe aliud cogitantes: ita impij, citato iudicio obru
untur, quasi oscitantes, Esaiæ 13. Torsiones & dolo
res tenebunt: quasi parturientes dolebunt. Hiere.

Per Euangelion intelligitur Lex.

Tribulatio adprehẽdit nos, dolores ut parturientem. Huc facit & Græcus interpres, qui ita hunc locum trãstulit πᾶς ὁ βίος ἀσεβοῦς ἐν φοντίδι id est, omnis uita impij, in cura est, nihil enim aut curiosius aut desperatius est uita impiorũ: cuius rei uel unum exemplũ præbet Dionysius ille impius tyrannus, qui tanto timoris cruciatu angebatur, ut cultros metuens tonsorius, candenti carbone, sibi adureret capillum: & apud nostros Chain, ut est Gen. 4.

ET NVMERVS ANNORVM ABSCONDITVS &c. Impiũ hoc loco, Eliphas tyrannum uocat, tacite perstringens Hiobem, quod tyrannum egerit, quando adhuc prosperiori fortuna uiuebat, et est sensus: numerus annorũ absconditus est tyranno, id est, impius iudicante Domino, semper timet, semper formidat, nihil certi de uita sua sciẽs, Deuter. 28. Erit uita tua quasi pendens ante te, timebis die ac nocte, manè dices mihi, quis mihi dabit uesperum? Contra hũc numerus annorum, pio reuelatus est, non absconditus, quia securus in Domino uiuit, expectans semper manum Domini uocantis, ut quando uenerit à nuptijs, inueniat eum paratum & uigilantem.

Tyrannorũ metus mors.

Pius securus, quasi sciat uitæ numerum

VOX TERRORIS IN AVRIBVS &c. Sic Deut. 28. Terrebit eos sonitus folij uolantis, & ita fugient quasi gladiũ: tanto enim terrore corripiuntur impij, ut in pace etiamnũ, prædatorẽ timeãt,

nec unq̃ adduci poßunt, ut credant se reuerßuros à tenebris, id eßt, poßse ab infœlicitate liberari, desperant enim, gladiũ ob oculos poßitum imaginantes, etiamßi longe abfuerit, hoc eßt quod Moße dicit. Erit uita tua pendens ante te, cadẽt nullo perßequẽte, & corruẽt singuli ßuper fratres ßuos, quaßi bella fugientes. Tale iudicium habes in Midianitis Iudic. 7. & in Syris 4. Reg. 7. Græci uocãt πανικὸν quãdo exercitus ßpiritu ßubitaneo timore, nullo adhuc hoßte uißo, terretur.

Stupẽdus metus impiorũ.

SI VERTERIT SE AD PANEM.

Tenebræ, communi phraßi, pro maledictione & infœlicitate ßumuntur. Eßt autem huius uerßus sentẽtia: impius omnia ex infidelitate & desperatiõe agit, quærit uictum, non quia credat se à Domino nutriri, ßed quod timeat egeßtatẽ, nec credit ßua negocia à domino benedici, ßed pro desperatorũ more, oĩa benedicta, maledicta exiſtimat: adhæc tanta tribulatio & anguſtia eum corripiunt, perinde ac truculẽtißimus hoßtis, cum ingenti exercitu eum perßequeretur, & iam iam capiti ßuo immineret. Sed quare tam grãde iudicium impium obruit? Sequitur.

Tenebræ maledictio.

Impius omnia agit ex desperatione.

QVIA EXTENDIT CONTRA DEVM MANVM SVAM. Deus potentißimus & fortißimus eßt, adeoq; in ßuis Decretis durißimus, à quibus auelli nequit: impij autem ßua impotenti potentia, & inualida manu, diuinæ fortitudini occurrentes, ac re-

Impij frußra reßißtũt Deo.

sistentes, quid aliud faciunt, quàm quod suas ipsorum uires frangant? quemadmodũ si acuto ligno, durum ferrum, contundere coneris, citius lignũ in obtusitatem contundes, quàm ferrum diffindas. Proinde, recto uiuendo, impij manum contra Deum leuãtes, persequendo populum, & Verbum suum, cadunt & in desperationem cõijciuntur. Describitur autem hoc loco, pulchre admodum impiorum conatus, solẽt enim extentis omnibus uiribus suis, erecto collo, ualido impetu, arrogantia incuruiceruica, atq; adeo, ut ipsis uidetur, infringibili potẽtia, suos conatus adornare. Sed in medijs conatibus uires eorũ frangũtur, ut Sancherib contigisse uides 4. Reg. 19. Nos igitur hoc iudicio docemur, ut non æmulemur malignantes, nec zelemus iniquitatem facientes, quoniam tanquã fœnum uelociter euanescent: dein, ut uidentes non tã per Verbum Domini, quàm per exempla, impiorum casum, in timore Domini ambulemus.

QVONIAM OPERVIT FACIEM SVAM ADIPE &c. Id est, impius tumet, inflatur superbit aduersus Deum, & pertinaciter ei resistit, quãquam interim uideatur se suis operibus, obsequium Deo præstare, ut habes in Saule, q sacrificijs ex Amalech reseruatis, existimabat se deo facturũ rem gratissimã, sed eo ipso opere adrogãter resistebat Verbo Domini. Porrò quod dicitur: FECIT RVGAM

Impius resistit Deo, etiã si colere eum uideatur.

INLATERE, *hanc sententiam habet: inflatus impius aduersus* Dominum: *nam* פימה *rugas esse scribunt in cute iuxta lumbos natã, propter ventris pinguedinem: uetus tralatio, aruinam habet. Igitur homo quispiam pinguedine crassus, & aqualiculum habens sesquipede extantem, magnũ loci spatium occupat, obesos et marcidos præ se proturbãs: ita impius, in tantũ inflatus est, ut etiam conetur præ pinguedine, hoc est, adrogantia sua, Deum è cœlo profligare, ut uides in Nebucadnezar, Esa. 14.*

Et habitabit in ciuitatibus desolatis, in domibus desertis, quæ minant ruinam.

Non ditabitur, & non augebitur substantia eius, & nõ extendetur ad terram perfectio impiorum.

Non effugiet (impius) a tenebris, germen eius exarescet a flamma, & auferetur spiritu oris sui.

Non credet uano errore deceptus, quã inanis futura sit amaritudo eius.

Tempore non suo finem habebit, & ramus eius non uirescet.

Rapietur sicut uua immatura uineæ, & proiicietur sicut oliuæ flos.

Consilium hypocritæ derelictum erit,

& igni

& ignis deuorabit tabernacula dona accipientis.

Cõcipit dolorem & parit iniquitatem, & uenter eorum præparat dolum.

ET HABITABIT IN CIVITATIB.

Pergit Eliphas in recensendo, maledictionũ impiorum catalogo: impius ait, habitabit in ciuitatibus desolatis, hoc est, maledictus erit, nusquam habebit tutum locum, etiamsi munitissima quæq; occupauerit, Deute. 28. Destruentur muri tui firmi, in quibus fiduciam habebas. Nã quando Dominus ab impijs recessit, nihil munitionis relinquitur: ut in deuastatiõe Hierusalem, à TITO imperatore facta. Erat ea urbs inexpugnabilis, teste etiamnum ipso hoste, sed quia Dominus abierat, abijt & murorum firmitudo, uide Iosephum de bello Iudaico.

Nihil satis tutum impijs.

NON DITABITVR, NEC AVGEBITVR &c. Quid ergo de impijs Hiere. ait cap. 12. Via impiorum prosperatur, plantasti eos & radicem miserunt in terra, proficiunt & faciunt fructũ? Hieremias de euentu ante iudicium, Eliphas uero & lex de ipso iudicio loquuntur. Itaq; ditantur impij, quia extrinsecus coram hominibus benedicti adparẽt: non ditantur, nec augetur substantia eorum, quia intrinsecus in cõspectu Dei maledicti sunt, quæ maledictio tandem magno ipsorum malo reuelabitur.

ET NON EXTENDETVR AD TERRAM. Idest, impijs nunq̃ est satis opum, nullã perfecte posident, quia citra fidem posident, atq; tur quidẽ opes malis artibus quæsitæ, sed perit & fructus earum, abest benedictio, non enim co sola, sed fidelis usus benedictio est.

NON EFFVGIET A TENEBRIS. Impius semp & oĩa timet. Tenebræ, calamitates sunt. Porrò non est gens qu magis timeat calamitates, mortes, & infernũ, quàm impiorum turba, nec quisquã citius ijs obruitur, quod enim impius timet, hoc adcidet ei, usq; adeo uerum est, quod communiter dici solet: non est Christianus qui timet sathanam aut infernum, Dominus enim so lus timendus est, nec timor calamitatum à calamitat liberabit, sed solus timor Domini.

GERMEN EIVS EXARESCET Hoc est, benedictio impiorum uertetur in maledi ctionem, & sicut arborum ramu igne exuruntur, & uento, qui spiritus dei dicitur, dissipantur: ita omnes impiorũ benedictiones, iudicio Domini, & spiritu oris eius pereunt, ut Saul ramos extendebat, & elec tus domini uidebatur, sed flãma exussit ramos eius, & spiritu oris Domini, subito cecidit.

NON CREDET VANO ERRORE DECEPTVS. Duplex sententia: sic deceptus e impius, ut nõ credat, peiorẽ futurã esse amaritudi

su

ſuæconditionem, æſtimans ſeſe perpetuo fœliciter uiturũ: uel quod nõ credat amaritudinem ſuam fruſtræ meam eſſe, & timorem ſuũ eſſe falſum, ſic enim de impio ſcriptũ eſt: fugiet nullo perſequente, nã impietas confirmata, adeo excæcat, ut falſiſſima, credat ueriſſima, & quemadmodũ patiens uertiginem, omnia putat circũuerti et circumgyrari, ita impius, iudicio Domini cõprehenſus, omnia ſibi formidoloſa fingit.

TEMPORE NON SVO, FINEM HABEBIT. *Eandem ſententiam habes Pſal. 54. Doloſi non dimidiabunt dies ſuos, & Prouer. 10. Timor Domini prorogat uitam, & anni impiorum breues ſunt: ideo aũt impij non dimidiant dies ſuos, quia mors eos ſẽp imparatos inuenit, hæc enĩ uena, nobis ab Adã a gnata ẽ, ut nullã arborẽ ad ſuſpẽdiũ aptã, inuenire poſſimus, neq; unq̃ caro mortẽ eligit, niſi preſſa iudicio.*

Impios non dimidiare dies ſuos.

ET RAMVS EIVS NON VIRESCET. *Ramũ intellige, uel arboreũ, uel progeniem, uel proſapiã impij: nã propter impiũ parentem maledictũ ſuũ filij, nõ inſontes, ſed paternæ impietatis hæredes.*

RAPIETVR SICVT VVA IMMATVRA. *Id eſt, impius ante tempus, priuſquàm aliquid tale ſuſpicetur, perit: omnes autem pij, ad maturitatẽ perueniunt, hoc eſt, moriuntur parati.*

CONCILIVM HYPOCRITAE DERELICTVM. *Vt hypocritæ, ſolos ſe ſanctos & iuſtos*

Soli ſibi iuſti hypocritæ.

existimant, quẽuis præ sua sanctitate contemnent
ita soli derelinquentur in æterna damnatiõe: pij ue
in cõmuni iudicio se cõprehensos agnoscũt, quod e
oẽs peccauerunt, omnis homo mendax: proinde libe
rantur. Porrò, dona adcipiens, hoc loco, generalite

Hypocritæ iudicia corrumpunt.

pro quouis impio hypocrita adcipitur: ut enim iudi
ces, donis permoti, iudicium peruertunt, & iniustam
causſam iustificant: ita hypocritæ impia, pia iudicã-
CONCIPIT DOLOREM, ET PARIT INIQVITATEM. Eadẽ habes Psal. 7. Impiorũ conatus & cõceptus sunt dolor, opus corũ est labor, & totũ factũ iniustũ & impiũ est, id qd' uel uno exẽplo manifestũ fit, quãtæ enim fiunt solicitudinis, tot modos et formas Confitendi & Missandi, excogitare, qd uero ex hoc conceptu aliud, quàm iniquitas prodijt? ET VENTER EORVM PRAEPARAT DOLVM. Id est, cogitatio impiorũ, dolus & hypocrisis est, non ueritas. His omnibus, Eliphaz Hiobem mordet, tanq̃ impiũ hypocritã, propterea quod enumeratis iam calamitatibus, quæ sunt impiorum supplicia, obrutus sit: sed longe aberrat, malis enim bona, & bonis mala eueniunt, donec Dominus generali suo iudicio, omnia nunc incomposita, disponat. Nos aũt, quum audierimus tot impiorũ maledictiones futuras, discamus Dominum timere, & uolũtati eius obsequi, ne partem nostram ponat cum hypocritis.

Caput

CAP. XVI.

RESpondit Hiob, dicens,
Audiui talia multa, consolatores onerosi, omnes uos estis.

Quando est finis uerborum uentosorum, aut quid molestum est tibi, quod respondeas?

Etiam ego, sicut uos loqui possem, uti nitesset anima uestra loco animæ meæ, componerem super uos sermones, & cōmouerem super uos, caput meum.

Roborarē uos ore meo, & motu labiorū meorū auerterem (a uobis dolorem.)

Etiā si loquar, nō auertit dolor meus, & si cessauero, non tamen a me recedit.

DIVERSA LECTIO.

In Hebræo pro, molestū est tibi, ponitur יִמְרִיצֵר *quod* מָרַץ *descēdit, & significat uiolare, alterius uerba peruertere, aut inique iterpretari, sensus igitur est: quid est, quod tanta diligentia, uos amici mihi respondeatis, quando nō meminerim, me uerba uestra deprauasse, aut in malam partem interpretatum esse?*

AVDIVI TALIA MVLTA &c.

His duobus capitibus, Hiob idem agit, quod ſu
per, recenſet enim miram & inſuſtentabilem diui
iudicij grauitatem, interim ſuam innocentiã teſtatu
aduerſus falſas amicorum calumnias, ait enim in ſu
huius capitis, hæc patior, quàmuis nulla ſit iniqu
tas in manibus meis, et oratio mea munda, ſed quom
do hæc intelligenda ſint, ſatis ſupra inculcatũ eſt. E
uidentur quidem amici & Hiob, prima facie in hac
cauſſa nõ longe inter ſe diſtare, propterea quod Hiob
ſe innocentẽ adſerat, ſed fide, & amici, neminem iuſti
ficatum eſſe, coram Deo contendant, ſed iudicio. Vtra
pars bene ſentit, pius enim fide iuſtificatur, ut Hiob di
ſputat, et nemo coram Dei iudicio, citra mediatorẽ, iu
ſtus eſt, ut amici adſerunt, ſed ſi rem penitius introſpi
cias, tantũ in hac cauſſa diſtant, quantũ lex & Euan
gelion, hoc eſt, Νὶς ἀ πασῶν, amici enĩ legis par
tes agunt, quæ omnes ſub peccatum cõcludit, nullam
interim Euangelij iuſtificantis cognitionem habẽtes.
Hiob uero, agit Euangelij partes, quo credentes, iuſti
ficantur, etiam ſi prius per legem peccatis ſordidati
ſint, admiſcens in cauſſa, præſentis adflictionis hor
rorem, ut agnoſcamus quàm graue ſit, Deũ iudicem
citra mediatorem ferre. Iam, quando amici, nullam ha
bent Euangelij cognitionem, & ex peruerſo legis in
telle&tu (quàmuis interim ueriſſimas ſententias pro

Status controuerſiæ, amicorũ & Hiobis.

ducunt

ducunt) in Hiobem inuehuntur, proinde, non iniu-
rio, Hiob uerba eorum uentosa & inania uocat: nam
& Dominus infra capit. 42. suomet iudicio testatur,
amicos non recte loquutos esse.

CONSOLATORES ONEROSI.

Nam amicorum propositum, in diuersum cecidit:
adesserant, ut consolarentur, & dolorem, amico col
loquio alleuiarent, sed ecce, onerãt et grauant, uerba
enim eorum uentosa, plus mordacitatis, quàm conso-
lationis habent: uestra inquit, consolatio, molesta mi-
hi est, non tam hoc nomine, quod me calumniamini,
quàm quod ueras diuinæ legis sententias, citra fidei co
gnitionem, producitis & deprauatis: possem & ego
multa ac præclara, de sapientia & iustitia Dei, iacta
re & coadceruare: sed quid ea prodessent, si interim
uero causse scopo aberrarem?

VTINAM ESSET ANIMA VESTRA.

Recte ille dixit: omnes quum ualemus, recte con
solamur egrotis damus, unde & Hiob ait: nunc quidem
dicitis amicis secure licet me consolari, imò potius me
lacessitis parum adficit uos, quod tantos sustineam cru
ciatus: si eodem, quo ego, dolore affecti essetis, nõ
deessent mihi sermones arte compositi, quibus uos cõ
solarer, quando in ea palæstra, nõ parũ exercitus sim
ut supra cap. 4. Eliphaz ait: uacillantes confirmaue-
runt sermones tui. Et infra. 29. Oculus eram cæco, &

pes claudo: & si pateremini, quod ego, esset & mihi non difficile, uos ludere, & caput meum mouere. hoc est, dolores uestros irridere & subsannare: nam mouere caput, irridentium, & illudentium habitus est, Hiere. 18. Omnis qui præterierit, obstupescet, & mouebit caput suum, & Threnorum 2. Mouerunt capita sua, super filios Hierusalem, &c.

ROBORAREM VOS ORE MEO.

Scirem & ego uos, si eodem comprehensi essetis iudicio, ad patientiam hortari, & consolatorijs uerbis dolorem mitigare: sed, ut nec ego, uos iudicio obrutos, patientes reddere possem, nec efficere, ut consolationē admitteretis: ita nunc omnia uestra uerba, coram me ad consolationem producta, inania sunt, nihil apud me efficiunt, manet semper eadem adflictio, manet idem dolor: Breuiter, nunc omnis consolatio, mihi sonus est sine mente: Iudicium enim Domini grauius est, quàm ut possit uerbis humanis expelli, aut sedari, nam si Deus in corde dixerit: Morieris, aut, Damnaberis, num conquiescet cor? si rex, si potens, si diues, si propria iusticia, si sanctulus quispiā, si amicus, si parens, si filius, si uxor adcesserit, iubens te bono animo esse, & se omnia sua promittere, ut liberaris, non reor, sedabitur. Vox hæc morieris, subindè in conscientia reclamabit: quis igitur compescet tantum iudicij tumultū, in corde, non potest compesci, si eius

Iudicium mortis.

si eiusdem iudicis uerbo, qui, ut prius lege damnabat, ita rursus Euangelij Verbo credentes, uiuificat. Proin de in tanta iudicij diuini moleſtia, omnia humana uerba inania & onerosa sunt, tantũ abeſt, ut cõsolentur, solum Domini Verbũ, hominem protectũ restaurat.

ETIAM SI LOQVAR, NON AVERTITVR, &c. *Etiam si loquar, nihil mihi proderit, non solatur me sermo, non solatur me silentium, ô mi frater qui, hæc est diuini iudicij conditio, ut quocũq; diuerteris inter homines, inter opera, in uniuerso mundo, siue loquaris, siue taceas, semper dolor præsens sit, semperq; moleſtus: neq; enim fieri potest, ut quietus reddaris, quiete Euangelij carens, & solo legis tumultu obrutus: quemadmodum si cui spina planta infixa fuerit, quocunq; ierit, spinam calcat: ita iudicio legis tactus, quocunq; diuerterit, maledictionem & horrorem calcat ac sentit.*

Porro nunc defatigas me, deuastas (ô Deus) omne fulcimentum meum.

Et rugasti me, ut testimonium esset, & insurgit contra me abnegator meus, contra me respondet.

Ira eius dilaniat (me) & odiens me fremit super me dentibus suis, aduersarius meus exacuit oculos suos in me.

Aperuerunt super me ora eorum, ob probrio percussérunt genas meas, simul super me exaciati sunt.

Conclusit me Deus apud iniquum, & in manus impiorum deduxit me.

Prosper eram, sed contriuit me, adprehendit ceruicem meam, & confregit me, erexit me sibi in scopon.

Circumdederunt me sagittarii eius, dilacerauit renes meos, & non pepercit, effudit in terram fel meum.

Percussit me, percussione super percussionem, irruit super me quasi gigas.

DIVERSA LECTIO.

Quod ait, DEVASTAS, *&* RVGASTI, *in secunda persona: & postea,* INSVRGIT: RESPONDET *&c. in tertia persona, est mutatio personæ, nihil in sententia mutans: id quod admodùm frequens est in scriptura.*

PORRO NVNC DEFATIGAS *&c.*

Iudicante Domino, ois humana spes corruit.

Quem dolorem hic Hiob enarrat, maior est, quàm ut uerbis comprehendi, grauior, quàm ut ferri, molestior, quàm ut credi possit: nemo enim intelligit tudicij diuini grauitatẽ, nisi qui senserit: nec leuiter hominem comprehendit, sed concutit omnes uires humanas,

uus, ut Epistola ad Hebræos habet: Sermo (iudicium) Domini, uiuus est & efficax, penetrantior quouis gladio anciputi, pertingens usq; ad diuisionem animæ & spiritus, cõpagumq; & medullarum. Sic & Hiere. 23 Verba (iudicium) mea sunt quasi ignis, & malleus cõterens petras. Eadem caussa, Dominus in lege dicitur ignis consumens, quod iudicando oĩa deuastet ac concalcet. Porrò interioris in homine iudicij, exteriores regnorũ & urbiũ deuastationes, exẽpla sunt: ut enim uastante Domino, Hierusalem, adeoq; tota Israëlis regio, funditus deuastata est, et nihil sani in ea relictum, ita hoiem iudicans, omnia in eo concutit & deuorat.

ET RVGASTI ME. Sic Psal. 6. Inueteraui inter oẽs inimicos meos: nõ enim annis senectutis tantum rugarum contrahitur, quantũ iudicio Domini, ergo Hiob ait, uel rugæ meæ, aut canicies capillorum meorum, testimonia sunt, quod grauissime adfligar, non tam corpore, quàm animo. Mundus stultos existimat, cũ tales de sua miseria cõquerentes, audierit, quando interim non uideat, externã aut corporalem ægritudinẽ, sunt enim, qui iudicio Domini corripiuntur, intus in corde et in conscientia, manente corpore sano, sed hæc iudicij ægritudo, tanto grauior est, quanto latentior, & tectus magis æstuat ignis.

ET INSVRGIT CONTRA ME &c. Hypotiposi quadam sub oculos subijcit tyrannidẽ

adfligentis Dei, ut nõ tam gesta res, quàm nunc ge-
Deus adfligẽs uideatur. Abnegatorem aũt suum, Deũ uocat, propa-
abnegator. rea quod pridem benefecerit, nunc uero pessime af-
gat, ira sua dilaniat, et dentibus suis fremat, cuius ocu-
li præ furore ardeãt, et ex toto ore eius, crudelitas em-
cet, sic enĩ adparet deus his, quos iudicat et derelinq

CONTRA ME RESPONDET.

Quod supra dixit: Renouas testes contra me, nam etiamsi nulla sit creatura, quæ nos in iudicio adcuset, Deus tamen, tam mirabilis iudex est, ut non solum iudicem, sed & adcusatorem & testem agat, id quod in iudicijs humanis ualde iniquum reputatur.

ADVERSARIVS MEVS EXACVIT.

Aduersarium suum uocat Hiob, non amicos solũ, sed omnem creaturam, quæ resistit, Domino resistẽte, adcusat, Domino adcusante: Damnat, Domino dãnante. Aut si malueris, ipsum Deum aduersarium intelligas, cuius oculi in Hiobem ardent, qui unà cum oĩbus suis creaturis, aduersus Hiobem, contendit, nam quoties Dominus nos iudicauerit, habet testes, nostræ nequitiæ, creaturas: testantur cœlum & dies, quod sæpe nos peccantes uiderint: testantur noctes & tenebræ nostrorum facinorum conscię: testatur terra, quæ peccantes nos sustinuit: testatur aër, quem nostris nõ solum conuiciatorijs, maledicis, & uirulentis uerbis, sed etiam factis turpissimis infecimus. Aduersarius igi-

tur

tur Deus est, aduersariæ sunt & omnes creaturæ, Domino suo iudicanti subseruientes.

IRA EIVS DILANIAT.

Pulchre sub metaphora, tratæ bestiæ, iram Domini describit: quid enim crudelius est urso, aut leone, fremente, dilaniante, & toruum aspiciente? Ita nihil intolerabilius excogitari potest, ira Domini, quæ si ecsurget, omnes humanas uires dilaniat, & ueluti in furibunda bestia, dentibus fremit, oculos exacuit, & aspectus eius plane mortifer est: uisus eius, uisus basilisci est, qui uidendo dicitur interimere hominem, ut est 2. Thess. 1. Luent impij pœnam, interitũ æternum, à facie Domini, & à facie fortitudinis eius. Ira Domini.

APERVERVNT SVPER ME ORA EORVM. Qui sunt illi aduersarij, aperientes ora, percutiẽtes genas &c. At otiosum erit hoc quærere, quando Domino aduersante & percutiẽte, omnis creatura aduersetur, & percutiat: proinde Iob inquit, non solum Deus, nec solum amici mei, sed tota rerum machina, mihi aduersatur, me ludit, me subsannat, & illicat probrose genas meas, adeoq; pessima quæq; minatur. Ita & Domino percutiente Christum filium suum, percutiebant & deridebant eum omnes proximi eius, dicentes: Alios saluos fecit, sed seipsum non potest saluum facere: si est filius Dei uiui, descendat nunc de cruce. Est autem aperire os hoc loco, extre- Aperire os super adflictum exatiari.

ma pericula minitari, ut est Psal. 21. Adperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Exacerbari uero, est uoluptate propter proximi incommodum affici: hinc exatiantur mali, si pij adfligantur: exacerbabuntur rursus omnes creaturæ in iudicio Domini, propter impiorum perditionem, ut Esaias ait: Erumpent ad satietatem uisionis omni carni.

CONCLVSIT ME DEVS &c.

Id est, tradidit me in potestatẽ iniquorũ. Est aũt hoc in iudicio Domini grauissimũ, quod aduersarijs uideatur fauere, & à parte eorũ stare, consilia, conatusq; ipsorũ, cõtra nos psperando. Neq; quisq; est, qui possit in hac tentatiõe pdurare, nisi pbe Verbo Domini munitus: sic & Christus cõqueritur Psal. 21. Circũdederunt me canes multi, consiliũ malignantiũ obsedit me.

PROSPER ERAM, SED CONTRIVIT &c. Vt nos prouerbiali facie dicimus: quondã eramus Troes, & fortes Mulesij: ita & Hiob ait, quondam eram fœlix, nunc omnibus malis obruor: cernix mea, uirtus & potentia mea, nunc mihi fracta est, & erectus sum in scopum (quod est signum in quem balistarij collimant & intendunt) hoc est, omnibus periculis expositus sum. Sic Psal. 37. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Nõ solũ aũt derelictus à Domino, oĩm aduersitatũ scopus est, sed oportet quẽuis Christianũ, ex pfessione sua, adsti-

adflictionũ scopon esse: abrenunciamus enim per fidẽ in baptismo, & mundo & Sathanæ: nihilominus tamen uicturi aliquandiu, in mundi & Sathanæ regno. Proinde, eiaculantur in nos, tanq̃ hostes suos et aduersarios, ōia sua tela, ut Christus ait: In mundo adflictionẽ habebitis: & Petrus, Circũit diabolus, quasi leo rugiens, quærens quẽ deuoret. Iam, si quis Christo, tanquã scuto munitus fuerit, tela, aut retunduntur, aut in sagittantem retorquentur, id quod in Christo capite factũ est, mundus enim, mors & Sathan, in ipsum telaverquebant, sed quia erat Verbũ & filius Dei in aduersariorum capita retorquebat, ut per Prophetam inquit: Ero mors tua ô mors, morsus tuus inferne.

DISSECVIT RENES MEOS &c.

Tolerabile forte esset iudiciũ Domini, si exteriora tantaxat membra concuteret, sed eneruat ōia, etiam ima interiora, renes dissecans, & fel disijciẽs, ueluti si quis aquã in terrã dispergat, breuiter, plagã plagæ addit, subinde grauius atq; grauius adfligens, adeoq; duplicato ictu, ōia concutit, ut nõ hominis, sed gigantis aut tyranni impetũ sustinere te credas, ut enim Deus misericordia sua, omnia membra, etiam capillos custodit, ita ira sua omnia conturbat, Psal. 72. Amaricatũ est cor meum, & renes mei confossi sunt.

Saccum consui super cutem meam, & deposui in puluerem cornu meum.

Facies meæ intumuerunt præ fletu, & in palpebra mea umbrositas est.

Quamuis nulla iniquitas in manibus meis sit, & oratio mea munda

Terra ne operias sanguinem meum, & non sit locus clamoris mei.

Etiam num ecce in cœlo testis meus est, & conscius meus in excelsis,

Derident me pxoximi mei, ad Deum stillat oculus meus.

Si liceret iudicio contendere uiro cum Deo, sicut homini cum proximo suo.

Sed annorum numerus uenit, & semita qua non reuertar, abeo.

SACCVM CONSVI SVPER CVTEM.

Sensus iræ diuinæ & iudicij eius, immutat omnem ornatũ nostrum, sordidat nobis omnia preciosa uestimenta, usq; adeo, ut saccus optetur et cinis, quæ quondam erant pœnitentiæ symbola & contritionis: nunc cum Christiani, per omnem uitam pœnitere debeant, ac de peccatis dolere, semper sacco non exteriori, sed interiori uestiantur, & cinere aspergantur, hoc est, meminerint se puluerulentos & lutosos, nec posse de puluere excitari, & pro sacco, uestimentis gloriæ indui, nisi misericordia Dei. Quantum igitur Christianorum

Christianorũ uita & pœnitentia.

norũ tempore, ad ciuilitatem admet, ueſtiamur patrio more, quantũ aũt ad religionem, ueſtiamur ſemper ſacco, quia pœnitendũ eſt, & ſemper ueſtimẽtis glorioſis, quia Chriſtus nunc glorificatus eſt, Eſa. 52. Cõſurge, excutere de puluere, induere ueſtimẽtis gloriæ tuæ Iam, quũ iudiciũ Domini, nihil ob oculos ponat quàm mortẽ, peccata, & infernũ, recte Hiob, abiectis glorioſis ueſtimentis, adſuit cuti ſuæ ſaccum, ut ipſo habitu declaret iudicij horrorẽ. Cornu aũt communi ſcripturæ tropo, pro regno, potentia & maieſtate ſumitur, uel quod beſtiarũ potentia, cornua ſint, uel quod reges oleo è cornu ſumpto, inungebantur. 1. Reg. 16. Imple cornu tuũ oleo &c. Hiob igitur ait, ſe cornu ſuum, in puluerem depoſuiſſe, hoc eſt, abieciſſe regnũ, honorem, et omnia quondam magnifica: nam per iram Domini, potentia fit nobis impotẽtia, regnum fit nauſea, & honor, abominatio.

Cornu in ſcripturis pro regno.

Per iram Domini, fiũt nobis omnia incommoda.

FACIES MEAE INTVMVERVNT.

Sic Pſal. 6. Laboraui in gemitu meo, laui per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis, lectum meum rigaui, turbatus eſt à furore oculus meus, Pſal. 37. Lumen oculorum meorum, non eſt mecum &c. Facile autem intelliges, quantus hic ſit dolor, ſi conſideraueris nihil Hiobi, omnibuſq; à Domino derelicto, propoſitum eſſe, niſi præſentaneam mortem & infernum, erepta omni ſpe, ac fiducia.

Mortis horror.

QVAMVIS NVLLA INIQVITA

Hæc omnia inquit, patior insons iustus & in
cens, quod si meritus essem, nihil conquererer: pœ
stipendium peccati mors est. Iam, quanq̃ peccata m
hi per fidem ablata sunt, & nulla sit iniquitas in m
nibus meis, propter fidem: præterea munda sit o
tio mea, quia ex fide profecta, nihilominus tamẽ, m
tis horrore, perinde atq; nunquàm liberatus essem,
obruor. Hæc autem est fidei tentatio grauissima, se
potius probatio, quod mors occisa sit, maneat tamen
& infernus extinctus, ardeat tamen, & Verbo præd
catur remissio peccatorum, ac uita æterna: sed ecce,
subito oriuntur, mors, & infernus, peccati author
menta: quare? ut manentibus his rebus, & tamen de
uictis, declaretur potentia Christi, maius enim est, inf
micum armatum, quàm inermem prosternere, relicta
autem sunt morti infernoq; sua arma, sed obtusa &
ad quemuis ictum cedentia, si modo quis Verbo, tan
luti gladio, in fide pugnet.

Fides habet apertũ hostẽ, carnis sensum contra quem pugnat.

Tentatio.

TERRA NE OPPERIAS SANGVINEM

MEVM. Operitur sanguis à terra, quum tacet, &
non clamat uindictam. Hiob itaq;, prosopopœia, ad
loquitur terram, ne opperiat sanguinem suum, & nõ
abscondat clamorẽ, hoc est, si nihil aliud, saltem hoc
concedatur, ut conquerar, ut clamem, aliud enim so
latium, mihi relictũ esse non uideo, ut supra cap. xv

Sãguinẽ opperiri à terra.

Dimit

Dimittam supra me querelã meam, loquar in amaritudine animæ meæ &c. Hæc omnia emphasin suam habent, qua magnitudo doloris ingens significatur.

ETIAM NVNC ECCE IN CŒLO &c.

Hoc est, Deum testor, me innocentem & integrũ esse Haberi illud testimonium supra cap. 1. Dixit Dominus ad Sathan, nũquid animaduertisti ad seruum meum Hiob, quod non sit ei similis in terra? &c. Iustus Hiob.

DERIDENT ME PROXIMI MEI.

Qui consolationi mihi esse deberent, rident me, Psal. 37. Amici mei & proximi mei, aduersum me steterunt, & adproximauerunt. Est aũt hoc impiorũ iudicium, Deute. 28. Eris in prouerbiũ & fabulã omni populo: sed & illo pij obruuntur, ut probentur.

AD DEVM STILLAT OCVLVS.

Rideant me sanè amici mei, at ego ad Dominũ spiro & clamo, à Domino uindictam expecto, aut enim mihi uindictã &, ego retribuã. Prophetis hoc familiare est, quod consolẽtur Israëlitas à uicinis derisos, eosdẽque molestia affectos, ex uindicta domini, & quamuis spiritus, impijs ultionẽ minatur, nõ hoc uult, ut nos ulciscamur, sed ut relinquamus Domino ultionem, qui eam suo tempore redditurus est. Vindicta domini.

SI LICERET IVDICIO CONTEND.

Aposiopesis est, iratis & irritatis admodũ familiaris: deficit aũt (superarẽ iudicio) uel simile quid-

dam, ut sit sensus: non tantus horror me inuasisset, mihi liceret, Deum in ius uocare, quemadmodum solent homines, inter se controuersias agere, sic enim non timerem caussæ meæ, propterea quod iustus (sit ex fide) innocens & integer fuerim: at cum Deo mihi negocium est, qui solus est potens, cuius potentiæ & maiestati, omnes creaturæ cedũt, omnino igitur succumbendum est quodcunq; tentauero.

SED ANNORVM NVMERVS &c.

Effugiũ sperarem, si cum homine mihi caussa esset, nũc Deus negociũ facessit: proinde nulla fuga liberabor, sed ut uideo, numerus annorum uitæ meæ finitus est, uenit tempus statutũ: ut supra dixit: terminũ posuisti, qui præteriri non poterit: omnino mihi quãuis immerito, moriendũ est. Porrò mors hoc loco, semita dicitur, quâ nõ reuertimur: auferenim uerbũ uel Christũ, mors perpetuus interitus uidetur: adde Verbum aut Christũ, mors resurrectionis initium erit.

Mors non est reuersibilis semita.

CAP. XVII.

SPiritus meus corruptus est, dies mei, cõcisi sunt, sepulchra mihi (supsunt)

Etiam si nullæ sycophantiæ mecum sint, in amaritudinibus tamen habitat oculus meus.

Ag-

Age, etiam si supponatur fideiussor pro me, coram te, quis est, qui pro me stipulabitur?

SPIRITVS MEVS CORRVPTVS &c.

Rationem reddit Hiob, quare de uita desperauerit, quia inquit, uideo omnes uires meas defecisse, spiritus qui est halitus humanus, & quo uita corporea constat, corruptus est, dies uitæ meæ finiti sunt: proinde nulla nisi sepulchri spes, remanet, quod nos uernaculo loquendi modo dicimus: optimum mihi est, frigida terra, quod ut uulgare est, ita quoq; ueriss imũ: nam quid aliud est, homo de multere natus, quàm calamitatis mancipium & blasphemiarum lerna? et ut maxime per Christum renatus sit, circumfert tamẽ semper carnẽ, peccatis, blasphemijsq; Dei obnoxiã: dominatur quidem in renato spiritus carni, nõ tamen prorsus in Hac uita rebellio eius extinguitur, sentiũt enim sancti, usq; adeo rebellantem carnẽ, ut clamẽt, nos miseros, quis liberabit nos á corpore isto, morti obnoxios? Ab hac re non abludit Thracum, Trausorumq; mos, qui in lucem æditos, lachrymis prosequũtur, mortuos cõuiuijs ac tripudijs: atq; hæc quidẽ cõsuetudo, si uitæ humanæ incõmoda respexeris, nunq; satis commendari potest, non abhorrens admodum á

Sepulchra lætabor.

Christianorũ placitis, quos Paul. docet, Nolo, inquiens, uos ignorare de dormientibus, ne doleatis quemadmodum & cæteri non habentes spem.

ETIAM SI NVLLAE MECVM SYC. &c.

Eadem sententia cũ ea quæ est in priori capi. dicens: quàmuis nulla iniqtas sit in manibus meis &c. mordicus enim tenet Hiob, suã innocentiam, quã in fide posßidebat, quanquàm omnis homo in seipsum descendens, malorum Iliada reperiat.

AGE, ETIAMSI SVPPONATVR.

Id est, ut maxime mihi à te concessum fuerit fideiussorem, & caußæ patronũ substituere, neminẽ tamen ex omnibus creaturis inuenio, qui caussam meã in humeros suos recipiat, et pro me fideiubeat, unus enim est fideiussor, unus intercessor, Dominus Iesus Christus, qui, si ex oculis fidei nostræ subductus fuerit, neminẽ habemus, qui pro nobis stipuletur, nec ulla alia crearura est, quæ constet in iudicio Dei, etiamsi cupidißime pro nobis stipulari uellet. Hãc sententiã uetus translatio sic legit (libera me, et pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cõtra me) quæ ut maxime ab Hebræa ueritate distat, non tamen impia est, nec

Fideiussor Christus,

πρὸς δουύσας exposita, habet enĩ hũc sensum, nũc quidẽ importunus & incõstans uideor, propterea q; Dominus à me recesserit, & grauiores sunt adflictiones, quã ut ferri posßint: sed age, libera me ò Domine

respice

respice me rursus tua misericordia, sicut nũc iudicio, tunc uel multo grauiora feram, si enim Dominus mecum, quis contra me? si Dominus protector meus fuerit, nõ timebo quid faciat mihi, uel homo, uel Sathã.

Cor eorum abscondisti ab intelligentia, propterea non exaltabis eos.

Prædam adnunciat amicis, sed oculi filiorum eius deficient.

COR EORVM ABSCOND. &c.

Adflictorum hic mos est, quod nullo ordine, sed pro doloris dictatu loquantur. Ita & Hiob, ante conquestus de iudicij grauitate nũc aduersarios suos amicos perstringit, dicens: ò Domine, abscondisti cor eorum ab intelligentia, uidentes enim supplicij mei gratiam, iudicãt me impium, & merito à te adfligi, cum tamen nullum unquam circumuenerim, & uere iustificatus sim fide: nec intelligunt amici sapientiam tuam, qua pios adflictionibus uisitas, non ut delicta in eis punias, sed ut fidem eorum probes, propterea non exaltabis eos, confunditur enim sapientia carnalis, in conspectu Dei: perdam, inquit, sapiẽtiam sapientum, & prudentiam astutorum dissipabo.

PRAEDAM ADNVNCIAT &c.

Id est, impius pollicetur magnifica, gloriatur de bonis suis, sapientia, potentia & diuitijs: ostẽtat ea amicis suis ueluti prædam, suo Marte partam, sed recto

Vana impiorum pollicitatio.

domini iudicio, et ipse in necessitate nihil exhibet: filij eius in egestate & imprudentia uitam transigũt: hæc enim est mutatio dextræ excelsi, qui aufert à seruo iniquo talentum, & tradit ei qui habet decem talenta: hoc iudiciũ uides in Saule, q prædam adnunciauit amicis suis, ꝓmittens sibi et hæredibus suis regnũ Israëlis, et cõtra Verbũ Dei ꝓsequens Dauida: pinde turpiter mortuus est, et filij eius regno orbati sunt.

Posuit me ad prouerbium populoꝝ, & abominatio coram ipsis sum.

Caligauit ab indignatione (Dei) oculus meus, & membra mea uniuersa sunt sicut umbra.

Stupebunt recti super hoc, & innocens aduersus hypocritam insurget.

Et tenebit iustus uiam suam, & purus manibus roborabitur fortitudine.

Veruntamen omnes (ad me) conuertimini, & uenite, & non inueniam, inter uos sapientem.

POSVIT ME AD PROVERBIVM &c.

Non frustra amici mei augurantur, me non immerito adfligi: uidetur enim dominus eorum sententiam adiuuare, quando me iudicio impiorũ uisitet, sic enim scribitur deut. 28. Eritis ī parabolã cũctis gẽtibus: ita & ego nũc sum uulgi fabula, & prouerbiũ oĩm iudẽ

stiam me, atq; adeo coram hoïbus sum תִּפְתֹּת quod Graecus interpretatur γέλως, id est, risus. Vertus autem significat ignē infernalē, aut locū mortuis deputatū, hoc est, abominationē: abominātur enī me quot quot adcesserint, & diffugiūt, perinde ac Sathan, ut dicitur, crucē, tāto enim furore me adfligit Dominus, ut pre adflictione caligarint καὶ ἀπεπώρωνται oculi mei, & uniuersa mea membra, facta sint ueluti umbra, quid inanius & tenuius umbra? sic membris meis pre furore Domini, nihil est tenuius.

STVPEBVNT RECTI SVPER HOC.

Quod Dominus tam crudeliter adfligat iustos, stupent pij, & admirantur, ut habes Hiere. 12. Habacuc 1 & Psal. 72. Non quia iniquum iudicent Dominum, sed quod inscrutabilia eius iudicia admirentur & adorent. Iam quanquàm externa facie uideantur pij & innocētes, iuste ac merito adfligi, propterea quod nō uiuant moribus mundi, nunquam tamen cedūt hypocritis, ut deficiant à pietate, & impietatem hypocritarum commendent: sed mordicus tenent uiam bonam, quam ex uerbo didicerunt, & citius stabiliuntur in fide per crucem, quàm quod retrocedant: unde & Tertullianus ait: Exquisitior crudelitas gētium, aduersus Christianos, illecebra est, magis sectæ, plures efficimur, quoties metimur à uobis, semen est sanguis Christianorū. Ita & hoc loco, quo magis impij calumniam

tur, Hiobem iusta pati, eo fortius in recto fidei iudicio perdurant. Parũ retulisset si se omnia mala meruisse fassus esset, sed magni refert in fidei confessione permanere, quæ est adflictionem non merito contigisse.

VERVNTAMEN OMNES (AD ME)

Agite uos sapientes uiri, uenite uel turmatim ad me, nullus tamen inter uos, tam sapiens uel potens reperitur, qui me possit ab hac fide dimouere: omnino perdurabo in asserenda innocentia mea, propterea quod fide purificatus sim: nõ igitur timebo, quot, quãti, quàm sapientes & eruditi, mihi resistant: ita & Christus pollicetur, Ego dabo, inquiens, uobis os & sapientiam, cui non poterũt resistere omnes aduersarij. Hanc sententiam sic reddidit Græcus, δεῦτε λὰ, οὐ γὰ θεύσομαι ἐν ὑμῖν ἀληθές *hoc est, agite, huc uenite, nõ enim inuenio inter uos uerũ. Omnes scilicet estis mendaces, omnes imprudentes, alioqui enim uerius & prudẽtius causſam uestrã tractaretis.*

Dies mei transierũt, cogitationes meæ dissolutæ sunt, adsumentes cor meum.

Noctem ad diem posuerunt, & lumen propinquum a facie tenebrarum (absorptum est).

Si expectauero (nihilominus) infernus domus mea est, in tenebris straui lectum meum.

Corruptionem

Corruptionem uocaui patrem meũ & matrem meam, & sororẽ meam uermẽ.

Et ubi nunc præstolatio mea? & præstolationem meam quis respiciet?

Adinfernum descendet, adeoq; simul in puluere quiescet.

DIES MEI TRANSIERVNT &c.

Redit Hiob ad recensendam iudicij grauitatem: & explicat, quid iudicium mortis operetur, nam cum cõscientia hãc uocẽ MORIERIS, siue DIES TVI TRANSIERVNT ET FINITI SVNT, Iudicij mortis auferet, mox labascunt genua, dissoluuntur cogitatio mala. nes, cor ab inquietudine abrodutur, uires euanescũt, adeoq; omnis ordo turbatur, nox in diẽ uertitur, dies in noctẽ: turbata enim cõscientia, mortis iudicio, quo cunq; diuerterit, turbã inuenit: quemadmodũ si quis tristicia affectus ĩcedat, quocunq; ierit, tristiciã repit: ita qui turbã secum circunfert, ubi ordinem & quietem inueniret? nox qeti sacra est, dies uero laboribus. Iam qui mortis horrore correptus est, nec in quiete noctis quiescit, nec in opere diei satagit, sed in nocte diem, in die noctem desyderat: breuiter, conturbato corde, omnia conturbantur. In his autem turbis, quo confugiendum est, ut liberemur? ad Dominũ, qui est, propinquissima omnium tribulatorũ anchora: iuxta Promissio. enim est Dominus his, q tribulato sunt corde: & cor

contritum & humiliatum Deus nõ despicies. Vbi uerõ Dominus inuenitur? aut quomodo ad eum peruenitur? Inuenitur in promissiõe, quæ est Christus Iesus, & peruenitur ad eum fide. Habens igitur promissionem, in eius fide perdura, et expecta donec Dominus sensum ac spiritum promissionis aperiat, ut Propheta ait. Si moram fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Sed ad hæc, quid Hiob dicit, audi quod sequitur.

Spiritus.

SI EXPECTAVERO &c.

Quid prodest, inquit, expectatio, quando ob oculos uideo positum infernum? etiamsi diu expecta uero, in tenebris tamen inferni cubile meum stratum est, hoc est, perij quocunq; me uertero, et uana est expectatio mea, nam solo mortis iudicio proposito, qs uitam uidere posset? ablato cœlo, quis aliud præter infernum expectaret? extincto lumine, non manent nisi tenebræ.

CORRVPTIONEM VOCAVI &c.

Nihil nobis agnatius patre, matre et fratribus, pinde ut Hiob declaret, quàm planè obnoxius sit corruptiont, patrem eam & matrem uocat, uermem autem cõsumentem, sororem suam. Multi gloriantur de generis nobilitate, & longa prosapiæ suæ stemmata numerant, sed hoc loco pulchre Hiob, generis humani nobilitatem adumbrat: parentes enim nostri sunt pul-

Nihil homini magis agnatũ atq; corruptio.

uis, pu-

puluis, putredo et corruptio: soror nostra est uermis, quid igitur gloriamur?

VBI NVNC EST PRAESTOLATIO.

Id est: quia putredo & corruptio parẽtes mei sunt, frustra expecto liberationem: spe mea cõfundor, neq; enim aspiam uideo, qui possit expectationi meæ satisfacere, proinde nihil aliud reliquum est, quã ut mox in profundum infernum, unà cum expectatione mea deiiciar, & ad perditionem meam deducar. Porrò hæc Hiobis desperatio, in nostram doctrinam descripta est, ut discamus, primum iudicium mortis, nemi nem posse ferre, citra Deum patrem: Deim, ut aperto testimonio cognoscamus solum dominũ esse bonum, omnem autem hominem mendacem: neq; est, ut nobis sanctorum infirmitate et casu blãdiamur, sunt enĩ proposita, non in temerariam nostri excusationem, sed in doctrinam fidei & timoris Dei, & ut hinc, nostrum ipsorum morbum agnoscamus, agnoscentes autem morbum, remedia quæramus.

CAP. XVIII.

RESpondens Bildad Suites, dicens.
Quando ponetis finem sermoni? intelligatis, & postea loquamur?

Quare reputamur sicut bestia, sorde
scimus in oculis uestris?

Dilanians animam suam in ira sua,
nunquid propter te derelinquetur terra,
& transferetur saxum de loco suo?

QVANDO PONETIS FINEM &c.

Synecdochicos cum uno Hiob, quasi cum pluribus loquitur Bildad, id quod admodũ frequens est in familiaribus colloquijs: monet aũt Hiobem, ut nõ sit plus æquo loquatior, aut si omnino loqui uelit, prius colligat secum, quid dicendũ sit, ne lingua à uero aberret. Bona paræneſis, sed in Hiobem malitiose torta, propterea quod Hiob prudentißime, & è fidei intelligentia, de sua innocentia loquatur. Porrò uidetur natura nobis ipso linguæ situ significasse, prius esse cogitandum, & intra corruminandũ qd' loqui uelis, linguã enim lõge à corde sepositi, præterea osseo muro eam concluſit, ut primo interuallũ inter linguã & cor intercederet: dein lingua dẽtibus ueluti excubijs interclusa, nõ mox erũperet ī uocẽ, nisi ante à corde docta

Parcius, & è meditato loquendum.

QVARE REPVTAMVR SICVT &c.

Quia supra, eos oneroſos consolatores, & uerba eorum uentoſa uocauit, præterea dixit se inter eos nullum sapientem aut ueracem inuenire, peßime autem habet hypocriſin, si contemnatur.

DILANIANS ANIMAM SVAM.

Contempti

Contemptu quodã, tertiã personam pro secunda usurpat, q.d. Insanis ne? quid ita furis? in quem stomacharis? dilaniabis ne animã tuam? quid clamas?

NVNQVID PROPTER TE &c.

Hoc est, etiam si te ruperis, animam tuam dilaniaueris, & teipsum occideris, non tamen ꝓpter te unũ derelinquetur & euacuabitur terra, & transferetur secundũ de loco suo, id est propter te Deus non mutabit cõmunem & familiarẽ operationis suæ ordinẽ, solet enim Deus impios adfligere: proinde hũc ordinem, ꝓpter te unũ non mutabit, sed perget subinde & te & omnes impios adfligat. Est aũt hæc non mediocris fidei tentatio, quod existimemus nos, non tanti respectus esse apud Deum, ut mutet nostri causa, cõmunes casus & ordinem suum propositũ: ordo Dei est, quod cibemur pane, Israelitæ igitur, sine pane in desertum ducti, nõne apud se tẽtati sunt, in hũc modum? Deus forte propter nos, non mutabit consuetudinem suam familiarem: ordo Dei est, quicunq; non permanserit in lege, maledictus est. Num igitur Deus, unius aut alterius caussa, hunc ordinem perueriet? maxime, si modo quis habeat Verbum promissionis. Constitutum erat, diluuio omnibus pereundum esse, sed ex hoc liberatus est Noha, quia credidit: ita & legis sententia, propter pios inuertitur, quia habent Euangelion.

Fides tẽtatur quoties præter cõmunem naturæ ordinem ꝓperãdũ.

Sed lux impii extinguet, & non splendebit scintilla ignis eius.

Lumen tenebræ sunt in tabernaculo suo, & lucerna eius super ipsum extinguet.

Coartabũtur gressus diuitiarum eius, & destituet eum consilium suum.

Quoniam missus est in rete pedibus suis, & super rete ambulat.

Tenebitur in planta laqueo, fortificabitur super eum sitiens.

Absconditus est in terra laqueus eius, & decipula eius super semitam.

Vndiq; terrebunt eum subitæ turbationes, & dispergent eum pedibus suis.

SED LVX IMPII EXTING. &c.

Ab hoc loco usq; ad finem huius capitis, enumerat Bildad impiorũ iudicia, & maledictiones, quibus Hiobem impium probare conatur, quãdo uideat eum illis affectum: propter te, inquiens, non inuertetur ordo diuinus, qui est, impios adfligi: hæ autem impij maledictiõẽs sunt, quod lux eius extinguatur, & scintilla ignis eius non splendeat, Dominus enim et Verbum eius, uera sunt lux & splendor, ut Dauid ait: *Dominus illuminatio mea, & alibi: Verbum tuum,*

lucerna

lucerna pedibus meis est. Vtroq; carent impij, dicentes, in corde suo, non est Deus.

LVMEN TENEBRAE SVNT &c.

Hoc est, in tabernaculis impiorum, pro lumine, tenebræ habitãt, ut Mose inquit, percutiet te Dominus amentia, cæcitate, & furore mentis, ut palpes in meridie, sicut solet cæcus in tenebris &c.

COARTABVNTVR GRESSVS &c.

Hoc est, diuitiæ impij non augentur, nec consilia eius succedunt: maledicitur enim tam in opibus, quã in consilijs, propterea quod laqueo infidelitatis uinctus sit: nam, quum solus Dominus, uerus diuitiarum thesaurus, & solum Verbum eius, consilium sit, ijs contemptis, quid superesset, nisi extrema paupertas & imprudentia? Hanc sententiam ita uertit Grecus, Σφόδρα σμικρὸν ἐλάχιστοι τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, id est, uenentur, uel accipiant infimi substantiã eius.

Impius infidelitate captus, maledicitur.

TENEBITVR IN PLANTA LAQVEO

Dominus est uera libertas, quæ adquiritur per Christum per fidem: si enim filius, inquit Christus, uos liberauerit, uere liberi estis: tam quum impius contemnat hãc libertatem, ducitur captiuus, & exponitur omnibus sitientibus, id est, tyrãnis, qui in alienas opes, ueluti lupi rapaces, inhiant. Est & pius expositus tyrannorũ direptioni, imò totius mundi odio, sed longe alia ratiõe, impius enim, ante iudicium floret,

in iudicio uero à tyrannis diripitur, ligatur & per-
tur, hoc est, lupus lupum deuorat, ut uides in reg
Aegypti, & in rege Babylonis, Hier. 46. & 50. Pr
uero ante iudiciũ diripitur, & omnibus malis adfic
tur, in iudicio uero, perditis tyrannis, liberatur

ABSCONDITVS EST IN TER. &c.

Auibus abſconduntur in terra, in ſemitis decipul
& laquei, ineſcãtur prætered, ut eſcis allectæ, ſeipſ
imprudenter in laqueos cõijciant: ſic impij, ineſcan-
tur diuitijs, uoluptatibus, bonis, ut uocãt, diebus, ſe
ante faciẽ illorũ ãbſconditæ ſunt decipulæ, quibus im
prudentes, & longe aliud cogitantes, decipiuntur.

VNDIQVE TERREBVNT EVM &c.

Solus enim dominus eſt cõfidentia & fortitudo,
ſolum Verbum eius eſt uia: relicto itaq; Domino &
Verbo, nihil ſupereſt, niſi turbatio & error.

Erit fames opulentia eius, & calamitas parata erit ad latus eius.

Deuorabit fortitudinem cutis eius, de uorabit fortitudinẽ eiꝰ princeps mortis.

Diſſoluetur a tabernaculo ſuo fiducia eius, & deducet ad regem formidinum.

Habitabit in tabernaculo eius nihil, di ſpergetur ſuper tabernaculũ ſuũ ſulphur.

Subtus

Subtus radices eius exarescent, desuper autem concidetur messis eius.

Memoria eius peribit de terra, ut nec nomen ipsi supererit in platea.

Propellent eũ de lumine ad tenebras, & de orbe concutient eum.

Non erit ei filius nec nepos in populo suo, nec superstes de congregatione sua.

Super diem eius stupebunt posteri, & priores adprehendentur pauore.

Certe hæ sunt habitationes iniqui, & iste est locus ignorantis Deum.

DIVERSA LECTIO.

Pro (fortitudinem (Hebræus habet גבריו, id est, membra, fortitudines: uel ut translatio uetus habet, brachia, ut sit sensus: mors consumet omnia impiorũ membra, adeoq; omnem eorũ fortitudinem. Vbi Hebræus habet בכור, LVTHERVS interpretatus est principem: uetus translatio, primogenita, hoc est, horrenda, à morte primogenitorũ in Aegypto. Græcus, τὰ ὡραῖα, id est, speciosa, ut sit sensus: quæ sunt speciosa impij, ea deuorabit mors, sed Lutheri interpretatio magis propria est.

ERIT FAMES OPVLENTIA EIVS.

Nam Dominus, solus est plenitudo & fœlicitas,

quo cõtempto, nihil remanet nisi fames & calamitas. Nam & fames, aliâs, Deut. 28. inter impiorũ maledictiones enumeratur. Est aũt hæc eadem loquutio, qua nos cõmuniter utimur, dicentes, de extremo quodam paupere, huius diuitiæ sunt paupertas, significantes eum nihil aliud, quàm paupertatem possidere.

Maledictiones impij.

DEVORABIT FORTITVDINEM. Princeps mortis, hoc est, fortitudo tyrannis, & potentia mortis æternæ, obruet impium, deuorabit fortitudinem cutis eius, hoc est, consumet omnes impij uirtutes: adhæc, formidinũ rex, hoc est, terroris & formidinis potentia, deturbabit eum ab omni fiducia, ut conijciatur in perpetuũ horrorem: Timebis inquit Mose, die ac nocte, & non credes uitæ tuæ: nec solũ ipse impius peribit, sed & omnia eius bona maledicentur, in tabernaculo suo nihil remanebit, omnia aũt unà cũ tabernaculo sulphure consumentur: uides hoc iudiciũ, ut esset exemplar, impletũ in Sodoma & Gomorha. Sed nec his cõtenta perditio, adprehendit etiã omnem fructum, & messis prouentum, iuxta illud, maledictũ erit horreũ tuum, maledictus eris in agro. MEMORIA EIVS PERIBIT DE TERRA. Impij non solum re, sed & nomine pereunt: nam quum florentibus adhuc eorũ rebus, soli ipsi uulgi sermo erant, post iudicium, nomen quoq; eorum deletur. Contra, in memoria æterna erit iustus: qui enim in

in librum uitæ inscriptus est, is nunquam excidit è me moria Dei, adeoq; omnium creaturarum: nam si creatura ingemiscant nobiscũ, & parturiant usq; in illũ diem, quanto magis nostri memineriũt: impij uero, pro turbabuntur in tenebras exteriores, de lumine, in perpetuas obscuritates: de orbe, in æternum interitum. Nomen peribit.

NON ERIT EI FILIVS &c. Florent impij opibus, & numerosa prole ante iudicium, iudicante autem Domino, diffluunt opes, proles perit, aut saltem nullus nominis in terra manet, id quod in Saule, & in Semeta, Hiere. 28. uelut in exemplari impletum est. Contra adcidit in Dauide, cuius prosapiæ regnũ perpetuum, promissum & datum est.

SVPER DIEM EIVS &c. Qui est iudicij eternam impij tam repentino & horrendo casu pereunt, at nõ tam admirationi, quàm pauori sint omnibus maioribus et minoribus, posteris et prioribus, ut Esa. de Babylone scribit: q te uiderint, ad te inclinabũtur, & Hierem. 50. Omnis qui transibit per Babylonem stupebit & sibilabit super uniuersis plagis eius.

CERTE HAE SVNT HABITAT.

Id est, Sic adcidet impiorum tabernaculis, adeoq; omnibus eorum rebus: iam quum Hiobi sic adciderit, concludit igitur Bildad, Hiobem esse impium & merito adflictũ. Porrò quod spiritus sanctus toties uel ad fastidium usq; in hoc libro, proponit impiorũ

Impiorũ iudicia exempla sunt pijs.

iudiciũ, non sine cõsilio fit, scilicet, ut moneat, ne prosperitatibus impiorũ moueamur, scientes iudiciũ cepti eorũ imminere quàm citissime: ut habes in hanc pulcherrimũ Psal. 72. Quàm bonus Deus his qui recto sunt corde: quanquã enim amici, ferè hæc iudicia in Hiobem torqueant imprudenter: sunt tamẽ interim ueris simæ sententiæ in nostram doctrinam scriptæ.

CAP. XIX.

RESpondens Hiob, dixit.

VSquequo adfligetis animam meam, & obtundetis me sermonibus?

Iam denis uicibus ignominia affeciſtis me, & nõ erubescitis cõdemnantes me.

Quod si uere errauero, mecum habitabit error meus,

Sed uere super me eleuamini, & arguitis me ad obprobrium meum.

VSQVEQVO ADFLIGETIS &c.

Vide obsecro, quid sit in homine, à Domino derelicto: is enim Hiob, qui supra manu Domini innixus, grato animo sustinuerat direptiones bonorũ, mortes liberorũ, grauissimas corporis plagas, nunc nõ potest uel durusculum amicorũ uerbum ferre. Non erat quidem

dem Hiobi conniuendũ, ad falsas amicorũ calumnias, quibus carnaliter Det iusticiam excusabant: nõ tamen licebat, ideo amaro & indignabundo animo, in amicos inuehi. Atq; adeo hic liber, uel hoc nomine longe omnium nobis cõmendatissimus sit, quod doceat maximam scientiã, quæ est seipsum agnoscere: in Hiobe enim monẽ præ oculis uidẽte, discimus, quid sit homo à Deo derelictus. Quousq;, inquit Hiob, molesti estis mihi? quousq; obtunditis me sermonibus uestris? tam enim ignominia afficior, irrideor et condemnor denis uicibus, id est, plusquàm satis & sufficienter: nam de nouus numerus, consumationis numerus est. Nos agnoscamus in Hiobe

QVOD SI VERE ERRAVERO, MECVM HABIT. Id est, si errauero, quid ad uos? mihi errauero, citra uestrum dispendium, nam & in hac parte, amici peccant, quod importunitate, imò conuicijs, & quod aiunt, crimibus, in suam sententiã Reprehensio sine calumnia sit.

Fidem trahere conãtur, etiãsi enim recte sentirent de Hiobis adflictiõe (id quod longe abest) nõ tamen pium esset, importunis cõuitijs, male adflictũ tractare. Idem habes Rom. 14. Tu quis es qui iudicas de alieno famulo? proprio Domino stat aut cadit: nam etiam apud Ethnicos celebris est sententia: Omnis reprehẽsio, debet uacare contumelia.

SED VERE SVPER ME ELEVAMINI. Id est, scio me non errare, uos potius erratis,

qui inflati scientia citra Euangelij cognitionẽ & ueritatẽ, ac carnali uestra de Deo opinione turgidi, me uelati ex alto despicitis, et uirulẽtia in me debachamini.

Agnoscite uel nunc quod Deus inique egit contra me, & retiaculo suo me circundedit.

Ecce (etiamsi) clamauero, non tamen exaudior, etiamsi uociferatus fuero, non tamen est iudicium.

Semitam meam circunsepsit, ut non pertransire liceat, & super semitas meas tenebras posuit.

Gloria mea desuper spoliauit (me) & detraxit coronam capitis mei.

Dilaniauit me undiq; ut pereã, & euulsit quasi lignum, expectationem meam.

Et iratus est super me furor eius, & reputat me sibi, quasi hostes suos.

Simul uenerunt, accincti eius, & strauerunt sibi super me uiam, & castrametati sunt circuncirca tabernaculum meum.

Fratres meos a me elongauit (Deus) & noti mei, etiam alienati sunt a me.

Dereliquerunt (me) propinqui mei, & noti mei obliti sunt mei.

Inqui-

Inquilini domus meæ & ancillæ meæ, sicut alienum reputant me, peregrinus sum in oculis eorum.

Seruum meum uoco, & non respondet, ore meo deprecor illum.

Halitum meum horret uxor mea, & supplex sum filiis uteri mei.

Etiam iniqui spernunt me (si) adsurrexero (ipsis) loquuntur contra me.

Abominant me oēs uiri secretarii mei, & quos dilexi, conuersi sunt contra me.

AGNOSCITE VEL NVNC &c.

Multæ sunt promissiones, quibus obligat Deus se, precibus eorum, qui tribulato sunt corde, affuturum, iuxta conscientia iudicio obiecta, in tribulatione ad Deum clamans, nec uoti compos facta, adcusat Deū iniustitiæ, & insimulat eum mendacij. Ecce, inquit Iob, uel hinc cognobile fit, Deum iniuste me adfligere, siquidem clamo ad eum, non tamen exaudior: nemo est qui afficiatur mea iniuria, nemo est qui iudicet causam meam. Est autem pulcherrime hoc loco, cordis à Domino derelicti cogitatio, descripta: quid enim aliud cogitaret obiecta morte, subtracto omni auxilio quàm Deum iniustum esse, qui primum peccata abstulerit, nihilominus tamen peccati authoramentū, mor

tem persoluat. Dein pollicitus sit, se laborantibus affuturum: iam uero non solum non affici, sed potius delectari nostris malis, uideatur. In tantis igitur, et tam atrocibus inferni flammis, in solũ Christũ respiciendũ est, qui per omnia fratribus similis factus est, et tentatus, ut posset & ijs qui tentãtur, succurrere. Porrò potes & hæc mitius interpretari, si inique, pro sine causa exponas: fatetur enim ipse Deus se Hiobẽ sine causa adflixisse. Sed certum est cor morti adiudicatum, nõ posse aliter de Deo quàm de tyranno & carnifice sentire: proinde prior sententia cõmodior uidetur.

Per Christum liberatio.

ET RETIACVLO SVO. Id est, iudicio suo, nulla iusta, & æqua caussa me comprehendit.

SEMITAM MEAM CIRCVMSEPSIT. Hoc est, nusquam uideo auxilium, omnem uiam euadendi præcluſit mihi Deus, omnia aduersantur mihi: si ad cœlum respexero, sol & luna retrahunt lumen suum: si ad terram, uideo eam etiam nunc hiscere ut me deglutiat: si ad amicos, conuiciantur: si ad alios homines, contemnunt & irrident me, quocunq; me uertero, tenebras et infœlicitatẽ uideo. Domino enim aduersante, omnia aduersantur: Domino præcludente, euadendi uiam, omnia obstant.

Vt in iudicio Domini, omnia sint desperata.

GLORIA MEA DESVPER SPOLIAVIT. Deus enim iudicio suo spoliat nos: primum, omni gloria, imperio, maiestate & honore, nihil reliquum

Omnia derelinquunt iudicãte Domino

quum spei relinquens, sed uelut putridũ lignum nos abijciés. Dein obijcit nobis tanq̃ hostibus iuratissimis, ira & furorem suũ. Postremo oẽs creaturas, perinde ac auxiliares copias, nobis inimicas reddit, ut sequtur.

SIMVL VENERVNT ACCINCTI &c.

Hoc est, omnium ludibrio & libidini expositus sum, usq; adeo, ut uix dignum me pedum suorum scabellum reputent. Accinctus autem & castrametantes Graecus exponit τὰ πειρατήρια, id est, tentationes sibi inde adorientes.

FRATRES MEOS A ME &c.

Amplificatione quadam, Hiob docet, nihil grauius esse iudicio Domini, propterea quod, eo, nõ solũ spoliemur omni gloria & maiestate, sed etiam per illud alienantur à nobis fratres nostri, ecce enim, inquit Hiob, fratres mei, à me recesserunt, dereliquerunt me propinqui mei, obliti sunt mei cognati & amici: forte & hoc tolerabile esset, si domus nostrae, inquilini, & ancillae, me obseruarent, ac ut Dominũ suum agnoscerent, sed & isti uelut alienum me reputant, & in oculis ancillarum, quasi peregrinus estimor: seruus meus, seu uocauero, seu rogauero eum, nõ respondet mihi, sed potius contemnit me: haec omnia adhuc boni consulerem, si in uxore aliquid solatij superesset, sed & ipsa usq; adeo me abominatur, ut halitum meũ exhorreat. Quid de liberis dicam? aut enim non super-

sunt, aut si supersunt, non iam paterna authoritate quidpiam præcipere audeo, sed rogare & obsecrare cogor, si quid impetratum uoluero: in summa, omnia aduersantur et abominantur me. Cõsydera nunc quãta crux sit à sua propria familia despici & rideri.

ETIAM INIQVI SPERNVNT ME &c.

Hoc est, non solum contemnunt me noti, propinqui, serui, ancillæ, uxor & liberi, sed etiam impij & uiles, ac inglorij me rident: quos etiãsi honorifice tractauero, conuitiantur tamen mihi, & præ se tanquã melioribus, me ueluti abiectissimum, spernunt: præterea, qui quondam erant mihi à secretis, quibus cum omnia consilia communicabam, hi usq; adeo me non agnoscunt, ut pœnituerit eos familiaruatis, quam mecũ habuerunt. Quorsum hæc enumerantur? ut discamus, solicite cũ Deo ambulare, et curare per respiscẽtiam, ut Dominus sit nobis per fidẽ amicus, hoc enim fauente, oĩa fauent, hoc inimico, omnia sunt inimica.

Pelli meæ & carni meæ adhæret os meum, ut (uix) tegam cute dentes meos.

Miseremini mei, miseremini mei, uos amici mei, quia manus Dei tetigit me.

Quare persequimini me sicut Deus, & a carne mea non saturamini?

Quis dabit nunc, ut scribantur sermones

mei?

mei? quis dabit, ut in libro insculpantur.

Stylo ferreo & plumbeo, ad æternitatem, in saxo incidantur.

Et ego noui (quod) redemptor meus uiuit, & nouissime de puluere excitabit.

Et postea de pelle mea circundabuntur ista, & de carne mea uidebo Deum.

Quem ego uidebo mihi, & oculi mei conspicient, & non alium, consumpti sunt renes mei in sinu meo.

Quã dicitis, quõ persequemur eum, & radicem uerbi inueniemus cõtra ipsum.

Expauescite uos a gladio, quoniam ultor iniquitatum, gladius est, ideo agnoscatis potentiam.

PELLI MEAE, ET CARNI MEAE. *Adcedit & hoc ad grauitatẽ iudicij, quod non solũ conscientiã adfligat, sed cõsumat omnes etiã corporis uires, & exugat omnem carnis florem, usq; adeo, ut fere per cutem uiscera spectari possint, & ossa sub in carnis extent arida lumbis, sic Psal. 35. Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & nõ est sanitas in carne mea.*

MISEREMINI MEI &c. *Iste locus non ad mortuos in purgatorio, ut fingitur, clamantes pertinet, sed ad uiuos, ut discant in nullum hominẽ, quan-*

Locus falso de purgatorio intellectus

tumcunq; amicum, confidere. Porrò, aliud est confidere in hominem, aliud de homine bona sperare: alterum prohibet fides, alterũ docet charitas: de omnibus enim hominibus bene præsumendũ & sperandũ est, at in nullũ confidendũ, nec in amicissimos, propterea quod Domino recedente, recedunt non solum amici, sed & oẽs creaturæ: unde clamat Hiob ad amicos, ut uel ipsi misereantur, q. d. uideat totus mundus, nusq; esse tutam uitam, nusq; securũ asylum esse; non dico apud inimicos, uerũ etiam apud amicos, nam & ipsi me persequuntur, sicut Deus me persequitur, & experior sanè re ipsa, Domino persequente, omnia quãtumcunq; amicissima, inimica fieri. Sic & Dauid inquit, qui iuxta me erant, de longe steterunt.

QVARE PERSEQVIMINI &c. Id est, uestrum esset me consolari & dolorem uerbis beneuolis mitigare: sed, ut uideo, colluditis omnes cũ Deo, quandoquidẽ enim Deus me adflixit, existimatis uobis nũc licere, mihi aduersari: nam hoc mundi ingenium est, quod benedicat, quem extrinsecus Deus benedicit, & maledicat, quem extrinsecus Deus maledicit.

ET A CARNE MEA NON &c. Id est, quàmdiu conuitijs me laceratis? nam saturari carne, est mordere clanculũ, detrahere & calumniari: calumnia enim & detractio absentis, perinde est, ac carnis humanæ dilaniatio: hic enim, absentem de fur-

Calũniatores carniuoræ, sunt fratrum.

to cæ-

to calumnians, ore suo brachiũ demordet, alius de ad ulterio quempiã falso traducens, uel pedem uel aures abrodut, & unusquisq; adcumbentiũ, ut ex cibo proposito, ita & homine absente, per calumnias præsentes, suam partẽ aufert, ut cõuiuæ iam non solũ panuores, sed & hominuoræ dici possint: in Scythia dicuntur esse ἀνθρωπόφαγοι, humana carne uescentes: quasi dispersi essent in totũ orbem? non minus enim calumniatores, homines deuorant, quàm Scythæ.

QVIS DABIT VT SCRIBANTVR &c.

Optat Hiob, ut sermones sui immortales sint, & in longũ euum durent, hoc enim est stylo ferreo insculpi, & exarari plumbo, ut est Hiere. 17. Peccatum Iuda, stylo ferreo scriptum est, & aliàs leges dicuntur in æs incidi, ut immortales maneant & firmæ. Ita & Hiob, optat suorum sermonum immortalitatem: primũ, ut sint testimoniũ doloris sui, & horrendi Dei iudicij: dein, ut posteri habeant, quod iudicent inter ipsum & amicos eius, quasi diceret: ideo opto meos sermones æternos, ut & posteri uideant, me iustam habuisse caussam, aduersus iniquas amicorum calumnias: postremo, ut exemplo eius discamus, in medijs, etiamnum inferni flammis, in futuram resurrectionem & liberationem respicere, ut sequitur.

ET EGO NOVI (QVOD) REDEMPTOR. Cæterum, quod ex Hebræo legitur, in saxo

Hugonis lapsus.

incidantur, uetus translatio habet: uel celte sculpatur in silice. Super quem locum, Carrensis adnotat Celtes, inquiens, instrumentũ est, quo literæ uel imagines sculpantur in silice. Vide quæso, mi lector, qui insulse tractent diuinam scripturã, qui literarũ ignari sunt, neq; enim uel celte instrumentũ est, neq; in Hebræo reperitur, nisi forte pro לעד, interpretari uoluerit (uel certe, pro quo falso celte legitur) sed electio (ad æternitatem) significat, non (certe)

ET EGO NOVI, QVOD REDEMPTOR &c. Clarissima fidei confessio, adeoq; hoc loco manifestum fit, quæ sit ueræ fidei ratio, nempe, credere uitam in morte: credere cœlum in inferno, credere Deum redemptorem in ira & iudicio, ut recte Apostolus, quisquis fuerit, ad Hebræos dicat: Fides est rerum sperandarum substantia, argumentum non adparentium: in Hiobe enim, nihil minus uidetur, quàm uita & resurrectio, sed potius infernus sentitur, nouit tamen, inquit, redemptorem meum uiuere, utcunq; nunc uideatur dormire, & irasci: scio tamen, & fide prospicio, sub hac ira, ingentem fauorẽ sub hoc damnatore, redemptorem. Rursum notabis hoc loco, quemadmodum desperatio & spes, impio, sibi inuicem succedant.

ET NOVISSIME DE PVLVERE EXCITABIT. Etiam si morior, uideo tamen resurrectio-

ctionem, quam qui uidet, non moritur. Habes hic articulum fidei nostræ, carnis resurrectionem, unicũ piorum solatium, in omni aduersitate. Resurrectio uentura.

ET POSTEA PELLE MEA &c.

Hæc, quæ modo gesto membra circumsecent, & circundabuntur mea pelle: quemadmodũ enim quod, seminatur, non uiuificatur, nisi prius mortuum fuerit: ita nos, postquàm mortui sumus per resurrectionem: rursus uiuificabimur, excitandi tuba, & uoce archangeli, quæ sunt uerbum Domini: nam ut nos Verbum Domini è nihilo creauit, ita ex putrefactione suscitabimur. Si est carnis resurrectio, cur Apostolus inquit: Caro & sanguis, regnum Dei non possidebunt? et hoc scrupo ipse liberat, dicens, oportet corruptibile hoc, induere incorruptibilitatẽ, et mortale hoc, induere immortalitatẽ, caro enim mortalis, & carnalis effectus, regnum Dei non possident, sed caro immortalitate induta. Verbum, nec archangeli.

QVEM EGO VIDEO MIHI &c.

Hoc est, is solum est asylum & refugium meum, in hunc solius manum respiciam, omnes enim alij me dereliquerunt, is non derelinquet me in finem.

CONSVMPTI SVNT RENES MEI.

Nunc, inquit, nihil tale quod credo, sentio, omnia sunt aduersa, omnia adcidunt diuersa, credo carnis resurrectionem, & uideo interim consumi renes meos,

in medio corporis mei: quandoquidē non inuenia pr
oculis meis, nisi aduersarios: & qui fuerunt mih
quondam amicissimi, ij nunc quærunt, ut persequa
tur, ut perdant me, ac insidiantur, si quo pacto, inu
niant calumniandi ansam (quam hoc loco, radicem
uerbi uocat) Psalm. 9. Sedet in insidijs, ut interf
ciat innocentem.

EXPAVESCITE VOS A GLADIO

Gladius ultor

Nunc promouet impius uester conatus ô amici,
sed futurus est gladius, futurum iudicium: est enim
gladius, id est iudicium Dei, iniquitatum ultor. Idem
locus cum eo, qui est Ioannis quinto. Veniet hora, in
qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem
eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectio
nem uitæ, qui uero mala egerunt, in resurrectionem
condemnationis. Sic & Hiob ait: ego futuram resur
rectionem uitæ spero, uobis autem amicis, nisi resi
pueritis, expectandum est iudicium, & resurrectio
in condemnationem, qua obruentur impij, & qua
Deus puniet iniquos.

IDEO AGNOSCATIS POTENTIAM.

Pro potentia Hebræus habet שדין, id est, de-
uastatio, uastitas, & est sensus: agnoscite quæso,
nunc seuerum Dei iudicium, quo potenter omnia de
uastat, & resipiscite, ne unà cum impijs pereatis in
æternum.

Cap.

CAP. XX.

REspondens Sophar, Naemathites dixit.

(Vt respondeam) ad hoc cogitatiões meæ cogunt me, & propterea festinatio mihi est.

Eruditionẽ cõfusiõis meæ audiã, & spiritus intelligẽtiæ meæ respõdebit pro me.

An non hoc nouisti, semper a conditione hominis, super terram.

Quod exultatio impiorũ breuis sit, & lætitia hypocritæ usq; ad pũctũ (duret)

Si ascenderit usq; ad cœlũ eleuatio eius, & caput eius nubem tetigerit,

Quasi stercus in finem peribit, uidentes eum, dicent ubi est?

Sicut somnium auolabit, & non inuenient eum, & recedet sicut uisio noctis.

Oculus qui uiderat eum non adiiciet (ut eum porro uideat) & non ultra adspiciet eum locus eius.

Filii eius current mendici, & manus eius reddent dolorem ei.

Ossa eius implebuntur adolescentiis suis, & cum ipso in puluere dormient.

VT RESPONDEAM AD HOC COGITAT. &c. In prioribus capitibus, Hiob suam innocentiam, partim quasi gloriabundus (ita enim amicis uidebatur) tactauit: partim cõsolatus est seipsum spe futuræ resurrectiõis: proinde Sophar, falso suspicans gloriationem Hiobis esse impiam, nequit se cõtinere quin respõdeat: iuraret enī uel sancte Hiobis unam esse gloriationem et fiduciã, propterea quod haberet oculos, in solam legem defixos, qua oës hoies peccatores constituuntur: nescíens interim quanta sit Euangelij, è quo Hiob innocentiã suã adserebat, energia, itaq; ait: quãdo tãto fastu gloriteris de innocentia tua, & adhuc audeas sperare à Deo redemptionẽ, q tamen nullum respicit, nisi sua peccata agnoscentẽ: cõtinere me nõ possum, quin respondeã, adeoq; huc cogit me animus meus, qui erumpere gestit, me etiã nolente: proinde festinatione quadã interrumpo sermonem tuũ, quanq̃ enim alioqui inciuile sit, alterius sermonem interrumpere, facile tamen á prudẽtibus ueniam impetrauero, si consyderent iniquitatem gloriationum tuarũ, molestiorem esse quàm ut ferri possit: porrò de ijs quæ loquuturus sum, audiant animo non ingrato, si quis aliter me docere possit, & in sermonibus meis me confundere: nouí tamen neminem esse, qui

quí me reprehendere queat: quæ enim loquor, non in
huc nata sunt, sed proficiscuntur è spiritu intelligen
tiæ, aut ueritatis, quæ sua statim simplicitate comẽta Argumentũ
se defendit, & pro se respondet. Est autem huius ca- huius capitis.
pitis argumentum, impijs mala adeidunt, impiorum
pars & hæreditas, perditio est.

AN NON HOC NOVISTI &c.

Quid gloriaris de innocentia tua? quid superbis
aduersus Deum ò Hiob, omniũ deploratißime? an
nescis à cõdito orbe, hanc fuisse impiorũ fortunã et iu
dicũ, quod gloriatio eorũ uana fuerit, & lætitia hy-
pocritæ uix ad momentũ durauerit? Quod uero tu im
pius & hypocrita, uel hinc cõijci potest, qa adflu-
gens impiorũ iudicio, & iterum te ipsum iustificas ac
iustificãdum, id quod ppriũ est hypocritarũ. Porrò
Sophar usq; ad finẽ capitis uerißimas pfert sentẽtias:
sed ero errat, quod eas falso in Hiobẽ torquet, pinde ac
Hiob ppter impietatẽ adflugeretur, & ex hypocrisi
non ex fide Euangelij, suam innocentiam adfereret.

QVOD EXVLTATIO IMPIORVM.

Huius sententiæ exemplũ habes in Goliad. 1. Sam. 17.

SI ASCENDERIT VSQVE AD &c.

Hanc gnomen probant Nebucadnezar, Esa. 14.
& princeps Tyri, Ezech. 28. eo quod dicit Dominus:
Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum &c.
Ideirco ego adducam super te alienos.

VIDENTES EVM DICENT &c.

Sic Psal. 36. Impium uidi elevatum, sicut cedros Libani, transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

SICVT SOMNIVM AVOL. &c. Vanissimis rebus comparatur impiorum cõditio, somnio scilicet, & uisionibus nocturnis: quæ dum uidentur, apparent aliquid esse, sed euigilante somniatore, nihil remanet, ut est Esa. 29. Sicut somniat esuriẽs et comedit, sitiens & bibit, cum autem fuerit expergefactus, uacua est anima eius: sic erit multitudo gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.

FILII EIVS CVRRENT &c. Omnes homines studẽt ut filijs suis opes corradant, ne post se mendicos relinquant: hac autem sententia docemur, unde mendicitas & unde opulentia liberorum proueniat, nempe ex pietate aut impietate parentum, Psal. 36. Iunior fui, etiam senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panẽ: nisi forte Dominus extra cõmunem legem, qua piorũ parentũ filios mendicimonio eximuntur, singulari quadam cruce, ut fit famis tempore, pios & piorum filios adfligat: proinde, si omnino parẽs multas opes liberis suis relinquere studeat, curet, ut sit pius: iudes enim hac sententia, filios mendicitate obrui, propter parentũ impietatẽ. Quod uero alibi dicitur, filius nõ portabit iniquitatem

Ingens patrimoniũ, pietas est parentũ.

quitatem patris, de iudicio intelligendum est, in iudicio enim unusquisq; onus suum portabit: præterea, de filijs resipiscentibus, qui non exemplo parentum male uiuunt, qui enim non solũ bona parentum externa, sed etiam eorum peccata, in hæreditatem capiunt his similes parentibus iudicabuntur.

ET MANVS EIVS REDDET DOLO.

Id est, manuum impiorum maledicta sunt, & in omnibus eorum laboribus dolor & molestia est: id quod primum uides in impijs manuum operarijs, qui non laborant, quia dominus præcepit, sed quia præmium sperant. Dein, in hypocritis, qui bona operantur, ut multas in cœlo coronas mereantur: utrobiq; autem non est nisi labor & dolor, propterea, quod non ex fide, sed ex carnali desyderio laborant.

Hypocrisis et impius labor dolorem habent.

OSSA EIVS IMPLEBVNTVR &c.

Iuuentutis peccata intellige per adolescẽtias, pro quibus orat Psal. 24. Delictorum iuuentutis meæ ne memineris. Et Psal. 78. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. In pijs enim per fidẽ absorbentur omnia adolescentiæ, id est, priora peccata. Impiorum autem ossa adolescentiæ peccatis implentur, & una cum ipsis, in puluere dormiunt, hoc est, impius non credit, non resipiscit ab impietate, à peccatis & iniquitatibus, in quibus natus est, sed in ijs moritur.

Etiamsi dulcuerit in ore eius malicia,

extirpabitur (tamen) ipsa sub lingua eius.

Parcetur ei & non admittetur, & prohibebitur in medio guturis eius.

Panis eius intra uiscera sua conuertetur in fel serpentum in medio eius.

Substantiam quam ingurgitauit euomet, de uentre suo illam extrahet Deus.

Caput aspidum suget, occidet eum lingua uiperæ.

Non uidebit riuulos, flumina torrentum lactis & mellis.

Reuertens laborabit & non ingurgitabit, iuxta diuitias permutationis suæ nó lætabitur.

Quoniam opprimens dereliquit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam.

Quia non nouerat satietatem in uentre suo, per desyderabile suum non liberabitur.

Nihil reliquum erit cibo eius, ideo nó perdurabit bonum eius.

In satietatibus sufficientiæ suæ, angustiabitur ipse, omnium manuum labor obruet eum. Etiamsi

ETIAMSI DVLCVERIT IN &c.

Quemadmodũ mel, modice degustatũ, dulce est, at si multũ ederis, amarũ redditur, & euomitur, sic ipietas etiamsi initio dulcescat, fit tamẽ uel tandẽ iudicio domini reuelato, amara & intolerabilis. Quod igitur Sophar dicat, malicia impij dulcescere in ore, sub lingua ũ amaricari, hãc habet sententiã. Impius initio ipietatis suæ, belle ualere uidetur, et oĩa ei p uoto suæ uoluntatis succedũt, nõ tamẽ in finẽ, pmouet: amarũ enim et turbidũ reddetur iudicio domini, quod initio uidebatur dulce et quietũ: huius rei exempla habes in Israelitis, qbus initio dulcuerãt idololatriæ impietates, sed postremo, aduẽtu Nebucadnezar, amarissimæ reddebãtur: et in Saule, q expulso Dauide, uidebatur quieta possessione regni frui, sed exitus acta probat.

Impietas grata est, usq; in iudicium Domini.

PARCETVR EI ET NON ADMITTET &c.

Id est, quantũcunq; diu promoueat impij malicia, erit tamẽ quãdoq; tẽpus, cũ ita cohibebitur, ut porrò non sentiatur: quod uero dicit, parcetur ei, huc pertinet, quod qui parcũt rebus familiaribus, ut numis & pretiosis uestibus, nec ijs utuntur, solent ea in terrã defodere, aut in arcã cõdere, ut in lucẽ raro producãtur. Ita iudicio Domini, parcetur malitiæ impiorum, ut abscondatur in æternas tenebras, nec unquã in lucem erumpit. Adhæc quum maxime uideatur urgere, tũ in medio eius conatu frangitur & dissipatur.

Malicia impiorum in infernũ reponẽda

PANIS EIVS INTRA VISCERA, &c. Benedictio uertetur impijs in maledictionem, & quæ alijs sunt panis, & nutritio, impijs sunt uenenũ: ut potentia, diuitiæ & sanitas, pijs sunt nutritio, hoc est, pietatis occasio, & recte uiuendi instrumentũ: impijs uero sunt uenenum & mors, nam quum hæc dona male administrent, grauius puniuntur.

SVBSTANTIAM QVAM ING. &c. Sicut qui mel immodice comedit, euomet illud, ita impij immodice bonis suis uescentes, hoc est, confidentes confunduntur: quod enim edis & paulo post euomis, tantũ abest ut prosit, ut magis obsit: ita bona impijs collata, propter impietatem euomuntur, hoc est in maximũ dispendium cedunt, propterea quod ea citra Dominum possideant, Matth. 25. Omni habenti dabitur, & ei qui non habet, auferetur etiã id quod habet: nam, ut diligentibus Deum, oĩa in bonum coopantur, ita odientibus Deũ oĩa coopantur in malũ. Hanc sententiam Græcus ita reddit, πλοῦτος ἁρπαγὴν κοῦ ἀναγόμενος ἀξεμεθήσεται, id est, diuitiæ iniuste congregatæ, euomentur, ut & alâs dicitur: male partum, male dilabitur.

Imbibuntur maledictiões ut uenenum.

CAPVT ASPIDVM SVGET &c. Aspidum caput sugere, est maledictionẽ imbibere, et omni angustia adfligi: linguam autem uiperæ, intelligere non solum, detractiones & calumnias, sed omnia maledictionum

dictionũ genera: metaphora procul dubio sumpta non tam à serpentibus, lingua inficiẽtibus, quàm à Satana, qui per serpentem in paradiso, Heuam & Adamum, in omnia malorum genera coniecit.

NON VIDEBIT RIVVLOS &c.

Israëlitis promissa erat terra, lacte et melle fluens; hinc omnis bẽnedictio, potest dici terra, lacte & melle fluens: impius ergo, non uidebit riuulos, flumina & torrentes, lacte fluentes, hoc est, nõ benedicetur. Sic de Israëlitis scriptũ est, Deut. 1. Non uidebit quisquam de hominibus, generatiõis huius pessimæ, terrã bonam &c. Græcus pulchre hanc sententiam exponit, μὴ ἴδοι ἄμελξιν νομάδων μηλὲ νομὰς μέλιτος καὶ βουτύρου. id est, non uidebit mulctrã pastorũ, neq; pascua mellis et butyri, id est, non uidebit benedictionẽ, quod aliâs Mose explicat: maledicta in quãi, armenta boum tuorũ, & greges ouium tuarũ.

REVERTENS LABORAVIT. Id est, continuo, & subinde magis atq; magis laborat impius, nunquam tamen fruitur labore, Deuter. 28. Vineam plantabis, & uinum non bibes &c.

IVXTA DIVITIAS. Hoc est, uidebit diuitias suas aliô transferri, unde maxima afficietur tristitia: sic Mose Deut. 28. Fructus terræ tuæ, & oẽs labores tuos comedent, quos ignoras &c.

QVONIAM OPPRIM. &c. Lex Domini

Qui pauperes iuuant, accipiunt, q faciunt calumniam peribũt

est Leuit. 19. Nõ facias calumniã proximo, nec uti oppimes eum, cui postea additur promissiõis Verbũ, e cuius fide lex ista præstari potest: qui largitur pauperi non indigebit, id quod planè cõtra mũdi sensum est: in mundo enim, ei q dat, decrescit: in Euangelio uero, datur ei qui dat. Iam impij, contempto promissiõis Verbo, præfracte in legem peccant, decipientes, calumniãtes proximos, & rapientes domũ quam non ædificauerunt, uineam quã non plantarunt, ut legis de Iesabela 3. Reg. 21. Proinde æquo Domini iudicio fit ut cogantur rursus euomere substantiam, quam ingurgitarunt, & æterno supplicio afficiantur.

QVIA NON NOVERAT SACIET. &c.

Animũ solus Deus implere potest.

Vt aquæ nunquã hydropicum explere possunt, sed quo plus potantur, eo magis sitiuntur: ita opes, nunquam explent animi cupiditatem: animus enim humanus, non potest explere ullis bonis, nisi Deo, Ecclesiast. 1. non saturatur oculus uisu, nec auris auditu, ita animus nõ saturatur, uel diuitijs, uel honore, uel potentia, sed solo Deo, qui est plenitudo et thesaurus omnium bonorum. Proinde recto domini iudicio fit, quod quemadmodũ auaro, tam desit quod habet, quã quod non habet: ita impio nihil sufficiat, quantumcũq; bonorũ possideat, propterea quod careat domino, bonorũ thesauro. Habes & huius rei exemplum,

Alexander Magnus.

in Alexandro Magno, qui non contentus unius orbis imperio

imperio, ingemuit audiens plures esse mundos.

PER DESYDERABILE SVVM &c.

Desyderabilia, hoc loco, dona dei dicuntur, carni gratissima, qualiacunq; autem sint, non liberant à iudicio: neq; enim Nebucadnezarem, sua potētia: neq; Achitofelem sua prudentia: neq; Nabalum, de quo 1. Sam. 25. suæ diuitiæ, à iudicio liberauerūt, solus Deus, qui se possidetur, ab omnibus malis eripere potest: Im, quum impius nunquam saturari queat, sed calūniatur & opprimat innocentes, iusto igitur Dei iudicio bonis suis non fruitur.

Solus Deus liberator, adeo dona dei sunt impio inutilia in die iudicij.

NIHIL RELIQVVM ERIT CIBO &c.

Id est, impius semper egebit, & in media sacietate esuriet, Hoseæ 4. Comedent, & non saturabuntur.

OMNIVM MANVVM LABOR.

Id est, impius afficietur omni molestia, omni angustia, & ut Esa. inquit, non erit pax impijs &c.

Fiet ut impleatur uenter eius, mittet in eum (Deus) indignationem iræ suæ, & pluet super eum bellum suum.

Fugiet arma ferrea, fugabit eum arcus æreus.

(A gladio) euaginato & educto de pectrali (uel uagina) & resplendentia turbante eum, uenient super eum horrores

Omnes tenebræ abscõditæ sunt ad c
landũ eum, deuorabit eum ignis nõ suf
flatus, adfliget supstes i tabernaculo suo.
Reuelabit cœlum iniquitatem eius, &
terra consurget contra eum.
Reuelabitur prouentus domus eius,
dispersus in die furoris eius.
Hæc est pars hominis impii a Deo, &
hæreditas Verborum eius a Domino.

FIET VT IMPLEATVR &c.

Tyranni implentur dum percunt.

Quando impij nulla re possunt saturari, sed subinde magis atq; magis, ad cupiditatis suæ explettonẽ spirant, ueniet itaq; tempus, ut impleãtur iudicio Domini, & effundat super eos Deus indignationẽ iræ suæ, ac pluat bellũ, horrendamq; adflictionẽ, id quod utcunq; in Pharaone adumbratũ est, & in Nebucadnezare, qui potẽtia nunq̃ saturari quuerunt, sed uel tãdem ambo, iudicio Domini saturati, perierunt.

FVGIET ARMA FERREA &c.

Descriptio horroris, qui impijs in iudicio adcidere solet, ut est Deut. 28. unus fugabit mille: & quomodo cõstare posset, à quo discessit Dominus? neq; enim gladius timetur, ubi Dominus possidetur, qui gladij aciem obtundere potest: contra, si Dominus abfuerit, non solum gladius, sed & resplendentia gladij, imò solium uolans, horrorem incutit.

OMNES TENEBRAE ABSCON. &c.

Nullus locus est, quo effugere potest impius, nec ullæ sunt tenebræ, quæ eum ab ira domini abscõdere possunt: si ad cœlũ ascẽderit, inuenit illic qui adfligat: si ad infernũ, ad extrema maris, in tenebras noctis irruetiatur, illic quoq; non erit tutus à iudicio Domini.

DEVORABIT EVM IGNIS. &c.

Hoc loco aperte uides, tacite Hiobem morderi, liberum enim eius consumpti erant igne cœlesti: porrò, ignis à Deo accensus, subitanea calamitas est. Habes autem huius sententiæ exempla, in Sodoma & Gomorrha, & in quinquagenarijs 4. Reg. 2.

ADFLIGETVR SVPERSTES &c.

Etiamsi aliquandiu impius superstes fuerit perimbutamen in tabernaculo suo.

REVELABIT COLLEM INIQVI. &c.

Nihil tectum, inquit Christus, quod non reuelabitur. Proinde, creaturæ uidentes impietates, & facinora impiorum, tantisper tacent, dum Dominus iudicauerit: reuelato autem iudicio, omnes creaturæ proditores sunt scelerum, quæ coram ipsis designauerũt impij, in Christo uero teguntur, imò absorbentur omnium piorum peccata.

REVELABITVR PROVENTVS &c.

Maledicetur, & dissipabitur oĩs fructus in horreũ impij cõgregatus: & breuiter, non est alia pars, aut

hæreditas impiorũ, quàm maledictio, ut est Leuit. 26. & Deute. 28. Porrò, ijs prædictis sententijs, Sophar non solum conatur Hiobem ab impia, ut putat, gloriatione & hypocrisi, reuocare, sed etiam respicit in præsentẽ eius adflictionẽ, è qua colligit eius ipietatẽ, ignorãs interim & bonos & malos, eodẽ iudicio corripi, sed hos perdi, illos uero probari & liberari.

CAP. XXI.

REspondens Hiob dixit.

Audite audiẽdo sermonem meum, & agite pœnitentiam.

Sufferte me & ego loquar, & postea uerbum meum subsannetis.

Nunquid mihi cum homine querela est, ut non moleste ferat spiritus meus?

Conuertimini ad me, & obstupescetis & ponetis manum super os.

Nam & ego si recordatus fuero (doloris) tunc horreo, & apprehendunt carnem meam tremores.

DIVERSA LECTIO.

Vbi nos legimus, agite pœnitentiam, Hebræus sic habet ותהי זאת תנחומות רבם *id est, sint istæ pœnitentiæ uel cõsolationes uestræ, Græcus pro*

תנחומותיכם, interpretatur παράκλησις, id est, consolationem, descendit enim à נחם, quod nunc consolari, nunc pœnitere significat: si igitur legas, sint istæ consolationes uestræ, hanc habet sententiam: audite saltem sermonem meum, priusquàm condemnetis eum, ut uel ex auditu uestro, aliquam consolationem accipiam.

AVDITE AVDIENDO &c.

Gravis ratiõis humanæ morbus est, quod plærunq; soleat damnare quæ aut non intelligat, aut nõ placerint. Proinde Hiob, hortatur amicos suos, si gratum quid ipsi facere uelint, ut resipiscant, & non damnẽt, quæ nondum audierunt, nec intellexerunt. Audite, inquit, sermõem meum, siquidem me adcesseris, ut consolaremini: en occasionem uobis præbeo, si enim diligenter sermonem meum animaduerteritis non mediocris consolationis loco ducam: nam damnare quæ nondum audieris, nec intellexeris, morbus est, nõ prudentia: proinde loquar primum: dein, si uidebitur, aut damnate, aut ridete.

NVNQVID MIHI CVM HOMINE &c.

Quod tam moleste feram has adflictiones, non adcideret, si cum homine mihi negotium ageretur, sic enim sperarem effugium, finem & liberationem: at cum Deo mihi res est, quem effugere non possum, cuius supplicium æternũ est, qui ut est potentissimus, ita à

nullo hominũ in ius uocari poteſt. Proinde non mi
ſi indigner, & ægreferam manũ eius, quî enim fe
poſſet, ut ego homo carneus, tantam iudicij diuini m
lem ferrem? cuius poßibile eſſet humeris cœlũ & t
ram geſtare, quã grauem Domini manum. In Dom
no quidem, tolerare poſſumus, quãtumcunq; grau
afflictiones, ut ſupra in Hiobe uidiſti, ſed recedent
Domino & iudicante, omnes uires peſſum eunt.

CONVERTIMINI AD ME. Hanc iudici
diuini inſuſtentabilẽ molem, ſi uos amici conſyder
ueritis, nõ erit, ut me calũniemini, aut rideatis, ſed a
toniti potius obſtupeſcetis, & admiratio uos capie
quî fieri poßit, ut tam diu in tãtis inferni flammis pe
durem, qd' enim patior, horrendũ eſt uſu, quid igi
tur ſenſu? unde fit, ut quoties & ego tanti doloris re
corder, tantũ non præ horrore et tremore cõtabeſce
bã, ſed parũ hoc uos amicos meos mouet, quãdo nũ
belle ualeatis, & cũ ueſtri muneris eſſet me cõſolari,
potius calũnijs ueſtris dolorẽ meũ augetis? hoccine
eſt amici cãdidi officiũ? Porrò ſi oĩno ex adflictione,
qua afficior, impietatẽ ꝓbare uoluerũtis, erit et pietas
è fœlicitate probanda. Cur igitur uidemus eos fortu
natiores qui ſunt ſceleratiores? Proinde, ut è fœlicita
tate externa, non poteſt pietas probari, ita nec ex ad
flictionibus impietas. Quod autem impij fœlices ui
uant, ſequitur.

Quare

Quare impii uiuunt, senescunt, adeo; corroborantur diuitiis?

Semen eorum paratũ est ante eos cum ipsis, & germen eorum coram ipsis.

Domus eorum secura est a timore, & non est uirga Dei super eos.

Bos eorum transit & nemo abominatur, uacca eius euadit & non aborit.

Germinant sicut greges paruuli eorum, & filii eorum exultant.

Eleuantur secundum tympanum & cytharam, & gaudent ad uocem organi.

Producunt in bono dies suos, & (uix) in puncto infernum horrent.

Et dicunt Deo, recede a nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus.

Quis est omnipotens ut seruiamus ei? & quid profuerit si occurramus ei?

QVARE IMPII VIVVNT. *Præcedens caput docuit impios maledictos esse, et quasi stercus perire: nunc Hiob hoc capite, docet impios florere, & feliciter ualere, quasi diceret: quod antea tu Sophar de impiorum maledictione disseruisti, re ipsa declarabo falsum esse: siquidem impij iucunde uiuunt, bene habũt, benedicti sunt, benedictũ est semen eorũ &c.*

Porrò non existimes Hiobem accusare sententias prioris capitis, quæ uerissimæ sunt, sed falsam Sophar cõiecturam, quam ex uerbis carnaliter, & falso intellectis colligit, conabatur enim probare, Hiobem impium esse, quod impiorũ iudicio & maledictione adfectus esset. Vterq; autem tam Sophar in priori, quàm Hiob in hoc capite, pulcherrimas & ueras producũt sententias, quanquam externa facie diuersas, sed ita tamen conuenientes: impij enim ante iudiciũ florent, & in honore sunt, quasi populus Dei sanctus, ut habes in hoc capite, manet autem eos in futurum tempus maledictio, perditio, & æternus ignis, ut in priori capite & in fine huius habebimus.

Post læta, eueniunt tristia impijs.

ADEOQVE CORROBORANTVR DIVITIIS. Hoc est, Si omnino ex adflictione impietatem colligitis, quid est quod impij fœlices uiuant, senescant, & diuitijs benedicantur, cum interim pij, occidantur & conculcentur? Sic Hiere. 12. Quare uia impiorum prosperatur? & Habacuc 1. Quare nõ respicis iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? Possunt & hæc intelligi, quasi indignabũdo animo ab Hiobe producerentur, quid est ò Deus, quod impios benedicas, me uero immeritum & insontem tanto supplicio adfligas.

SEMEN EORVM PARATVM ANTE. Semen & germen, uel de agro intelligas, uel de filijs

liis & nepotibus: Nam omnia longe diuersius impijs accidunt, quàm sententia super eos lata sonet, maledicatur ager & horreum eorum, sed ecce horrea eorũ & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: maledicitur domus eorum, unà cum liberis & uxore: sed benedicitur eius sicut uitis abundans, & filij sicut nouellæ plantationes iuuẽtutis. Et filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Hoc autem fit, ut impij subinde magis atq; magis obdurentur. Cur impij benedictionibus adfluant.

DOMVS EORVM SECVRA EST. Sic enim aiunt apud Esaiam, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno pactum fecimus, id est, securi sumus: sic & Psalm. 72. In labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellantur.

BOS EORVM TRANSIT. Hoc est, non solum ipse impius ab hominibus benedicitur, sed etiã cætera & bruta eius animalia in honore habentur. Adfluentia fœlix.

VACCA EIVS EVADIT. Quod etiam uulgari prouerbio, abundantiam significante, sic efferunt: Vacca nostra fœtauit, hoc est, fœlices sumus, omnia abunde nobis adfluunt.

ELEVANTVR SECVNDVM TYMPANVM. Quando omnia adfluant impijs, ideo rident gaudẽt, exultãt, ludunt, cõuiuantur, et choreas ducũt, hoc enim est eleuari secundũ tympanũ & cytharam.

ET VIX IN PVNCTO INFERNVM.

Id est, Quũ moriendum fuerit, impij non diuturno morbo uexantur, sed momentanea morte occũbunt. Repentina aũt mors, à Plinio summa fœlicitas uitæ cõmendatur? Suetonius, Iulius inquit, Cæsar, cũ quondã apud Xenophontẽ legisset, Cyrũ ultima ualetudine, mandasse quædam, de funere suo, adspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi, celeremq; optauit, & pridie, quã occideretur in sermone nato super cœnã, apud Marcũ Lepidum, quis nam esset finis uitæ cõmodissimus? repentinũ mopinatumq; prætulit. Quod igitur Hiob ait impios uix ad punctũ infernum horrere, significat, eos etiam hac parte fœlices esse, quod subito, & nullo dolore moriantur, cum interim pij cogantur, mille calamitates, mille mortes ferre.

Mors repentina melior.

ET DICVNT DEO, RECEDE A NOBIS.

Id est, impij non curant, non requirunt Deũ, imò potius reijciunt eum, dicentes, non ore, quo Deum honorant, sed impietate cordis, Recede à nobis: Hiere. 12. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum: & Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum longe est à me. Porrò, reijciunt Deum, quotquot Verbum eius contemnunt, id quod hypocritis ualde familiare est, qui dicunt se in Deum credere, sed nolle sese noua hac (sic enim Euangelion uocant) opinione sordidari. Audi igitur quid Christus dicat, Ioan. 5. Qui non honorat filium (id est, non credit in Verbum)

Hypocrisis lõge à deo abest

bum) non honorat patrem, id est, non glorietur se credere in Deum. Igitur quicunq; Verbum Dei contemnunt, dicunt corde ad Deum, recede à nobis, scientiam uiarum tuarũ (quæ est Verbum) nolumus.

QVIS EST OMNIPOTENS? Hoc est, Impij parum curant quid Deo placeat, sed suis cupiditatibus inseruiunt, sentientes secum pietatem, & uerũ obedientiam, parum prodesse. Quemadmodũ & nostro tempore, hæ uoces audiuntur, quid profuit, etiamsi uitam nostram iuxta Euangelij rationem instituamus, quando qui diuersa uia ingrediuntur, æque belle, immò fœlicius uiuunt.

Ecce non (perdurabit) in manibus eorum bonum eorum, consilium impiorũ longe sit a me.

O quam extinguetur lumen impiorũ, & ueniet super eos interitus eorum, torsiones diuidet in ira sua.

Erunt sicut palea ante faciem uenti, & sicut quisquilia quam surripit tempestas.

Deus recondit filiis eius calamitatem, retribuetur ipsi ut agnoscat.

Videbunt oculi eius pernitiem suam, & a furore omnipotentis bibet.

Quæ complacentia eius in domo sua

post ipsum ? & numerus mensium eius dimidiabitur.

Quis Deum docebit scientiam, qui excelsos iudicat?

Iste moritur in robore integritatis suæ, uniuersa eius (sunt) diuitiæ & fœlicitas.

Mulctralia eius plena sunt lactis, & medulla ossa eius irrigantur.

Alius autem moritur in anima amara & non comedit bonum.

Simul in puluere iacent, & uermis operit eos.

ECCE NON PERDVRABIT &c.

Ante docuit Hiob fœlicitatem impiorum, nunc eorum iudicium recenset, ecce, inquit, quanq̃ fœlicissime uiuant, & ualeant impij, non tamen constabit fœlicitas in manibus eorum: proinde, longissime à me absit, ut ab eorum parte stem: propterea quod uideam, ut maxime nunc floreant, futurum eorum iudicium.

Impiorum fœlicitas non duratura.

Nam breui extinguetur lumen, id est, fœlicitas impiorũ, & uenit super eos inopinatus interitus. Porrò, cũ pij fœlicitate impiorũ tentantur, ad hunc modũ cõsilientias suas aduersus impietatẽ confirmare debent: nisi enim iudiciũ super impiũ, ob oculos ponant, scandalizati fœlicitate eorũ, ad impietatẽ deficient: ut habet

etiam

etiam Psal. 72. Si dicebam, narrabam sic, ecce nationē filiorum tuorū reprobauit, existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam nouissima impiorum.

TORSIONES DIVIDET. Hæc enim impiorum sors est, quod maneāt eos perpetuæ torsiones, quas ipsis Dominus in ira sua diuidit, Psal. 2. Loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Et quemadmodum palea aut quisquilia à uento dispergitur, ita impij à tempestate iræ Domini, proijcentur. Scriptura frequenter comparat impiorum cōditionem paleis, & quisquilijs, propterea quod his rebus, proprijssime ob oculos nostros ponitur, uelox τῆς ἀπωλείας impiorum interitus, Psal. 1. Nō sic impij, sed tanquàm puluis, quem proijcit uentus à facie terræ, Esaiæ 17. Rapietur sicut puluis montium à facie uenti, & sicut turbo coram tempestate.

DEVS RECONDIT FILIIS EIVS &c. Quid? filius ne pro parente punitur? Alibi scriptum est, uisitans iniquitatem patrū, in tertia et quarta generatione, parentum enim scelera puniuntur in filijs scelerum consortibus, et si malicia in parentibus incepta, in filijs compleatur, incipitur & in parentibus supplicīū, ac postea in filijs completur: de quare & supra nōnihil. Insons uero filius, ob sontem parentem nō iudicatur, nisi forte adfligatur, ut enim in bello

cõmunia sunt mala ob uicinitatẽ, post bellũ uero secernuntur fontes ab imfontibus: ita in hoc mundo, cõmunes ferè sunt parẽtis impij, & filij pij adflictiones, ob communem cognationem carnalem, in iudicio tamẽ, secernitur triticum à palea, & triticum congregatur in horreum: palea autem in ignem inextinguibilem.

Manifestũ iudiciũ impiorum cur?

RETRIBVETVR IPSI. Id est, manifesto iudicio peribit impius, ut agnoscat Domini supplicũ esse. Sic Aegyptij dixerũt Exod. 14. Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

ET A FVRORE OMNIPOTENTIS BIB. Quod impij de calice furoris Domini bibant, scriptura aliâs etiam testatur, Psal. 74. Calix in manu Domini, bibent ex eo omnes peccatores terræ. Hier. 51. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.

QVAE COMPLACENTIA EIVS &c. Hoc est, Omnia impiorum, etiam post mortem eorum maledicta erunt.

Prouerb. 10. Anni impiorum breues.

ET NVMERVS MENSIVM EIVS. Id est, impius moritur importune, non suo tempore, nunquàm enim complet uitam suam.

QVIS DEVM DOCEBIT SCIENTIAM. Iudicia Dei sunt incõprehensibilia, & uiæ eius inperuestigabiles: proinde, quod dominus bona impiorũ omnia benedicat, pios uero adfligat, rationi humanæ

ne incomprehensibile est: hoc igitur Domini consilium, potius adorari, quã inuestigari debet, neq; enim quisquam hominũ consiliarius Dei esse potest: quãdo solus ipse summos quosq; iudicet, à nemine iudicãdus.

ISTE MORITVR &c. Hoc est opus Dei quod inuestigare nemo potest, cur Deus malum hominem foueat, nutriat, benedicat, & in fœlicitate, in robore, in plenitudine benedictiõis, ad sepulchrũ ducat, bonũ uero affligat, maledicat, et in amara calamitate et maledictionum plenitudine, ad sepulchrum pertrahat in hoc opere, ratio humana, talpa magis cæca est, sies uero, futuram uitam credens, facilime iudicat, impios eleuari in hac uita, ut futura deijciantur: eadẽ habes Eccle. 7. Vnus est interitus sapiẽtis, stulti, docti & indocti, sic scilicet sensui & rationi adparet: at fides aliud est iudiciũ, de quo loco uide expositionẽ nostrã in Ecclesiasten, itẽ Eccl. 8. Sunt iusti, quibus mala proueniũt, quasi opera impiorũ egerint, & sunt impij, quibus securi sunt, quasi iustorũ facta habeant. Promittitur Ecclesiastes.

Ecce noui cogitationes uestras, & sententias contra me inique excogitastis.

Quia dicitis ubi est domus principis? & ubi est tabernaculũ habitationũ impiorũ?

Nõne quæritis (de illo sicut) transeuntes uiam? & signa eorũ non agnoscitis?

Quoniam ad diem adflictionis, retinet impius, ad diē indignationis producet.

Quis adnunciabit e facie eius, uiam eius? & quæ fecit quis retribuet ei?

Et ipse ad sepulchra producetur, & ad aceruum festinabit.

Dulcuerunt ei glebæ torrentis, & post ipsum omnis homo ducit, & ante ipsum innumerabiles.

Quomodo consolamini me frustra? & responsiones uestræ relinquunt iniquæ.

ECCE NOVI COGITATIONES VESTRAS. *Apostrophe ad amicos: ecce, inquit, noui astus uestros: imprudenter enim, ne dicam impie, loquimini ô amici, ac pro uulgi captu (uulgus enim Hebræo more, transeuntes uiam, dicuntur) iudicatis eum impium esse, qui impiorum supplicia sustinet: quæritis enim, ubi est domus principis? & ubi est habitatio impiorum? hoc est, quandoquidem peritiy rannorum domus, & tabernacula impiorū non constant, tua uero domus cōciderit, nec constiterit tabernaculum tuum, tyrannus igitur es & impius. Sic uulgus iudicat eum malum esse qui adfligatur. An nescitis, quid præ se ferat impiorum fœlicitas, & qualium futurorum signa sint, malorum benedictiones, similiter*

Transeuntes uiam.

ter quid portendant bonorum cruces? Congregantur impij, aut Hiere. quasi grex ad uictimam, sanctificantur ad diem occisionis, hoc est, ideo benedicuntur, ut in æternum maledicantur: uiuunt fœliciter, ut infœlicissime pereant. Quod enim saginentur bonis, in die occisionis saginantur, ut & fabula habet de uitula, quæ præse bouem arantem contemnebat: postea aũt, uitula ad uictimam ducta, bos ait: heus uitula, ideo non laborabas ut immolareris. Pij uero crucifiguntur, ut certa die cum Christo resurgant.

Impij saginantur bonis, ut sint uictimæ iræ.

QVIS ADNVNCIABIT &c. Nemo potest iudicare ex præsenti benedictione, quid de homine impio futurum sit, nam usq; adeo uniuersa opera manuum eius benedicta sunt, ut extrinsecus adpareat Domino acceptissimus, Ecclesiast. 8. Vidi impios sepultos, qui etiã cum adhuc uiuerent in loco sancto erant, & laudabantur: & Eccl. 9. Sunt iusti, sunt sapientes, & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, hoc est, rationi humanæ impossibile est, de pijs & impijs pronunciare, qui enim externa facie uidentur sancti, ij ferè impij esse solent.

Ex benedictione externa nescit homo an odio uel amore dignus sit, hoc est, prius.

ET QVAE FECIT QVIS RETRIB. Id est, quis pronunciabit sententiam contra hominem, externa facie sanctum & benedictum, nisi solus Deus, qui reddit unicuiq; iuxta opera sua.

ET IPSE AD SEPVLCHRA PRODV

CETVR. Hoc est, impius etiãsi diu uideatur sanct
tamen uel tandẽ ad sepulchrũ producetur, & pro
muni more unà cũ impiorum multitudine peribit. E
enim festinare ad aceruũ, unà cũ multitudine perm

DVLCVERVNT EI GLEBAE &c.

Glebæ torrentis sunt uoluptates, & benedictiones
carnales, itaq; impij ideo peribunt, qa uixerũt p am
mi sui libidine, in abundantia benedictionis, præter
traxerunt secũ in pernicie maiores & minores, pr
res & posteros innumerabiles, ruunt enim multi in
impietatẽ, fœlicitate impiorũ offensi et seducti. Eccl
8. Quia nõ profertur cito, cõtra malos sentẽtia, ideo
absq; ullo timore, filij hominũ perpetrant mala &c.

Benedictione impiorum offenduntur multi.

QVOMODO CONSOLAMINI &c.

Id est, uana est uestra ô amici consolatio, & fals
sunt sermones uestri, propterea quod ex adflictione iu
dicatis impiũ, & ex benedictione pium, id quod lon
gissime à prudentia spiritus abest, qui neminem ab ex
terna facie, sed à fide & infidelitate iudicat.

CAP. XXII.

RESpõdés Eliphas Themanites dixit.
Nunquid Deo æquiparabitur uir?
æquiparabitur ne cum ipso intelligens?
Num placeret omnipotenti, quod iu-
stum

stum reputas te? profuerit ne si innocentes pronunciaueris uias tuas?

Nunquid timens te arguet te? ueniet tecum in iudicium?

An non iniquitas tua multa, & non est finis impietatum tuarum?

Quoniam abstuliſti pignus fratri tuo sine causſa, & uestibus nudos spoliasti.

A quis lassum non potasti, & a famelico subtraxisti panem.

Et tyrannide terram (occupasti) & electus uultu habitasti in ea,

Viduas dimisisti uacuas, & brachia pupillorum contriuisti.

DIVERSA LECTIO.

Pro eo quod nos legimus, Tyrannide terram occupasti &c. Hebræus habet וְאִישׁ זְרוֹעַ. *Id est* לוֹ הָאָרֶץ וּנְשׂוּא פָנִים יָשַׁב *& uir brachij (uel fortitudinis) sibi terram (occupat) & electus uultu habitat in ea: pro occupasti & habitasti, nam apud Hebræos, ut posterior numerus & tempus, respondent priori numero & tempori, ita posterior persona respondet priori personæ: præcessit aũt secunda persona in priori uersu, proinde recte, pro sibi, tibi, & pro habuaut, habitasti, exponitur.*

ANNOTATIO.

Argumentum huius capitis est: homo Deo cõparatus, est iniustus, proinde ut iustificetur et miseriam consequatur, agnoscere oportet peccata, pœnitentiã agere, & ad Deũ conuerti, non aũt de iustitia sua gloriari. Et hæc quidẽ pulcherrima paræneſis est qua Eliphas ad resipiscentiã hortatur: sed qd ad Hiobem? peccat igitur Eliphas in hãc partẽ, qd per hanc iniquitatis et impietatis Hiobem calumnietur, nõ aliis ductus argumẽto, quã quod uideat eũ esse adflictum.

NVNQVID DEO COMPARABITVR.

Supra dixit Hiob: Nunquid mihi cum homine querela est? quasi dixisset, cum Deo mihi cõtroversia est, succumbo igitur, propterea, quod ille pro sua libidine nullo iure, uoluntatem suam impleat. Quod si uero cum Deo, ut cum homine, liceret contendere iudicio, omnibus manifesta sententia, notum fieret, me tanta mala immerito pati. Ad hæc respondet Eliphas: num quid tu superares in iudicio Deum, ut maxime liceret Deum in ius uocare? at nec fortis, nec sapiens, nec iustus, coram Deo in iudicio constare posset, neq; enim stellæ mundæ sunt in conspectu eius, quanto minus æquiparabitur, non dicam superabit, impius?

NVM PLACERET OMNIPOTENTI.

Falso adcusat Eliphas Hiobem, quod comparet se diuinæ iustitiæ, adeoq; iustũ se reputet è sua propria iustitia

stitia: non enim confert Hiob suam innocentiã, cum Dei puritate: sed cum adflictionibus quas patitur: nec iustitiam suam in se, sed in Domino, in fidei iustitia quærit, è qua solum innocentes dicimur, in nobis semper peccatores. Itaq; si ad Deum ignoscentem, per Dominum nostrum IESVM Christum respicias, innocentiam inuenis: qua, cũ cruce & adflictione collata, recte pronunciamus nos immerito, & sine peccati caussa adfligi. Iam uide quomodo Deo placeat, quomodo displiceat, si iustos nos reputemus: placet ut reputemus nos iustos fide, sed hæc aliena est iustitia nõ nostra: & si sic gloriemur, non in nobis, sed in Domino gloriamur. Displicet aũt uehementer, si nos iustos nostris operibus et uiribus reputemus, & impia gloriatio est, si in nobis, et nõ in Domino gloriemur.

Fideles sunt aliena iustitia iusti, propria iustitia sunt peccatores.

NVNQVID TIMENS TE.

Id est, Deus iustissimus est, proinde etiamsi in ius uocaretur, suæ caussæ non timeret, quando nihil iniuste operetur.

AN NON INIQVITAS TVA &c.

Vnde sic adcusat Eliphas Hiobem? an quia uiderit eum talia mala designantem? nequaq̃: longe alia fecit Hiob, quàm quæ hic narrantur, ut infra audies: qua igitur suspicione adcusatur? non alia, quã ob crucẽ & adflictionem: quia enim adfligitur, temerario iudicio carnis prudentia, eum calumniatur, in proximi cha-

Carnis prudẽtia crucem putat ob peccata contigisse Calumnia.

ritatem peccasse, & pœnã meritũ esse. Primacalumnia est: abstuliſti pignus fratri, & nudos spoliaſtiſtibus, id quod ingens flagitiũ est, Exo. 22. Si pignà proximo tuo adceperis uestimentũ, ante solis occſum reddas, Deut. 28. Cum repetes à proximo remquam quã debet, nõ ingredieris domũ eius, ut pigauferas &c. Secunda, non potaſti aquis laſſum, &famelico panem subtraxiſti, Prouer. enim 25. praceptum est: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: &Esa. 58 Introduc egenos & uagos in domũ tuam, &frange esurienti panem tuum. Tertia, quaſi tyrannunullo iure, sed mera tyrannide, alienas possessiones iuaſiſti, & uiolentia occupaſti: de quibus Esa. 10. dicitur: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniſticiam, scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes. Quarta, uiduas dimiſiſti uacuas, & brachia pupillorum contriuiſti, Dominus enim uocat se uiduarũuindicẽ, & patrem pupillorum: qui igitur per calumnias uiduam, aut pupillum opprimit, nõ impune ferpropterea quod in Dominum patrem et uindicem erum peccet. Sed hæc flagitia, tantum abest, ut Hiobdesignauerit, ut non reperiatur ferè, qui maiori pietate & misericordia pauperes fouerit, adflictos adiuuerit, egenos uagosq; curauerit.

Propterea circundant te laquei, & terruit te timore subito.

An

An tenebras non uideres, & abundantia aquarum non obtegeret te?

An quod Deus excelsior cœlo sit, & uideat caput stellarum quod eleuatæ sint?

Dices, quid nouit Deus? nũquid usq; ad tenebricosum iudicaret?

Nubes abscondit eum, & non uidet, & circuitum cœli obambulat.

Nunquid semitam seculi obseruabis, quam perambulant uiri iniquitatis.

Qui exciderũt nondum suo tempore, fluuius effudit fundamentum eorum.

Dicentium Deo, recede a nobis, quid faceret omnipotens eis?

Ipse impleuit domos eorum bonis, sed consilium impiorum longe sit a me.

Videbunt iusti & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.

Si extirpabitur eleuatio eorum, & reliquias eorum deuorabit ignis.

PROPTEREA CIRCVNDANT &c. *Id est, quia igitur tanta facinora designasti, si nõ aperte, certe occulte, neq; enim insons esse poteris, proinde merito, laquei tribulationum & adflictionũ te circundant. An tu solus, propter peccata non ue-*

nires puniendus? an tu tenebras non uideres? id est,
Tenebræ. supplicijs non adfugereris: sunt enim tenebræ supplicia, & damnatorum desperationes, ut est in Euangelio, Mittite eum in tenebras exteriores: abundantia uero aquarum, calamitatum & adflictionũ copia est, iuxta communem scripturæ morem, quo aqua et mare pro adflictionibus sumuntur.

AN QVOD DEVS EXCELSIOR &c.

Impij, propterea quod Deus in cœlis habitare dicatur, & in abscondito, existimant eum homines neglugere, aut in abscondita cordiũ non penetrare, imaginantes eum in cœlis sua agere, cæterum sinere hæc inferiora, pro sua fortuna & libidine labi, Ezech. 8.
Deus occulta iudicat. Vides quæ seniores Israël faciũt in tenebris, in abscondito cubilis sui? dicunt enim non uidet nos Deus, dereliquit Dominus terram. Eiusdem impietatis adcusatur Hiob, perinde ac celaret occulte suam impietatẽ, & negaret Deum abscondita iudicare, quando elevatior sit cœlis, & habitet in absconsione nubiũ, ac in cœli ambitu occupatus sit, ut præ negotijs cœlestibus non liceat ei, hæc inferiora curare: at Hiob hoc ipsum, nunquã in animũ induxit, nã ut maxime in uidicto mortis importunius in Deũ inuehatur, nunq̃ tamen prouidentiam & curam eius antea negauerat.

NVNQVID SEMITAM SEC. &c.

Semita seculi, hoc loco, dicitur communis hominũ consuetudo

consuetudo, communes mores uulgi. Sunt autẽ hi uulgi mores, quod ferè unusquisq; neglecto Deo et Verbo suo, in negocia huius mundi, pro sua libidine ruat: adeoq; sic uiuitur, quasi deus nõ curet mortalia: quid igitur? num omnia Dei operationi committẽda sunt, & nobis otiose sedendum? Respondeo. Est apud Græcos prouerbiũ σπεῦδε βραδέως, ideſt feſtina tarde, quod ad hanc rem explicandam, non incommodè adhibetur, si ueritas, βράδυνε σπεύδων id est tarda festinans, sic enim cessandum est, perinde ac nobis nihil esset operandum, cum Deus omnia curet ac operetur: & contra, sic festinandum & curandum est quasi soli nos curaremus, & operaremur, sumus enim actionum Dei instrumẽta: tam instrumenta percipiuntur: at manus artificis arrepta & ducta, festinanter exequitur quodcunq; artifici placuerit. Itaq; primum opus erit, ut tardemus, hoc est, ut nihil nostris uiribus tentemus, sed manum, pedem, linguam, rationem, uoluntatem, adeoq; omnia nostra Deo resignemus. Deinde festinandum erit & diligenter, quod Domini spiritus docuerit, exequendum. Porrò Eliphas rursus Hiobis impietatẽ adcusat, quasi existimaret, Deum mortalia non curare: nunquid & tu, inquiens, quemadmodum uiri iniqui solent, Domini prouidentiam negas? hæc enim sæculi semita est, sic uulgus sentit, an et tu uulgi opinionẽ sequeris? ita enim

uideor mihi uidere, ex eo q̃ te iustũ reputes: nam q̃ aliud ex hoc conijcerẽ, q̃ quod nõ credas deũ occulta tua peccata iudicare? Proinde nec curare hũana.

QVI EXCIDERVNT NONDVM &c.

Fiducia humana confunditur.

Pergit Eliphas in recensendo impiorũ iudicio, inter quos numerat Hiobem: impij, dicens, pollicentur sibi propter fœlicem suarum rerum condutionem, perpetuam securitatem: sed ecce, pereunt immaturi: et fluuius, id est, adflictionũ inundatio, subuertit fundamentũ eorum, id est prosperum statum, & securam eorum præsumptionem. Hoc enim confidentiæ carnalis iudicium est, quod subita tempestate, ac fluuio diuini iudicij insperato, subuertatur. Ita legis accidisse Iudæis, Aegypto confidentibus, & Verbũ Domini, quod in bello auxilium Dei promittebat, contemnentibus.

QVID FACERET OMNIPOT. &c.

Impij enim, quoniam habent domum, benedictione Domini impletam, cogitant, quid prodesse possit diuinum auxilium, hoc est, contemnunt, negligunt, nõ requirunt Deum, ut enim sanus parũ curat, de sanitate differentem: ita, sua opinione diuites, ac bonis omnibus impleti, non curant Euangelia, non requirunt promissiones diuinas: nam cum saturi sunt, dicunt, in corde, quid posset nos deus iuuare? auxilio eius non egemus. Porrò, cum impij omnia dona, & omnẽ benedictionem possideant, hoc tamen eis deest, quod in bene-

in benedictione non animaduertant fide, Deum benedicentem: rursus, cum pij careant ferè omnibus donis & benedictionibus, habent tamen per fidem, Deum benedicentem, omnium donorum thesaurum.

Dona Dei impij & pij aliter habent.

SED CONSILIVM IMPIORVM.

Hoc est, impij fastidiunt misericordiam Dei, nec cõfidunt impia eorum facta Deo: proinde absit à me cõsilium eorum, ut primum impie agant: deinde, impietatem abscondant, ac Deum iniusticiæ adcusent: præterea absit à me, ut eorum causſam, iustificem, quandoquidem saturitas eorum, breui in summam inopiã & scelestas eorum, in extremam miseriam uertetur.

VIDEBVNT IVSTI, ET LAETAB. &c.

Hoc est, ideo abominor impiorũ fœlicitatẽ, quia ridiculo erunt omnibus iustis, Esa. ult. Erunt ad satietatem usionis omni carni, Psal. 106. Videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas opilabit os suum.

SI NON EXTIRPABITVR, &c.

Iurantis est, ut in Psal. Si Dauid mentiar, & est sensus: superbia impiorũ, uere humiliabitur, & quicquid reliquum fuerit, ab eis deuorabitur iudicij diuini igne.

Acquiesce obsecro cum ipso, & pacẽ habeto, ex illis prouẽtus tibi optimꝰ erit.

Accipe obsecro ab ore eius legem, & pone uerba eius in cor tuum.

Si conuersus fueris ad omnipotentem ædificaberis, si longe abieceris iniquitatem a tabernaculo tuo.

Reponet pro puluere aurum, & pro petra torrentes auri.

Et erit omnipotens fortalicium tuum, & argentum fortitudines tuæ.

Tunc in omnipotente delectaberis, & eleuabis ad Deum faciem tuam.

Rogabis eum & exaudiet te, & uota tua reddes.

Si decreueris sentẽciam, promouebit, & in uiis tuis splendebit lumen.

Quoniam qui humiliati fuerint, magnificabuntur corpore, & humiliatio oculorum saluabitur.

Liberabitur uæ innocentis, & liberabitur propter mundiciam manuũ suarũ.

DIVERSA LECTIO.

Pro eo quod nos legimus, erit omnipotens fortalitium tuum, Hebræus habet וחיח שדי בצריך *quod nunc etiam sic interpretari potest, erit potens fortitudo tibi, id est, ingens auri copia, quia mox sequitur de argento,* שדי *autem communiter, omnipotentem significat.*

Adquiesce

ADQVIESCE OBSECRO CVM &c.

Quia Eliphaz existimabat, sufficienter probatã esse Hiobis impietatem, ideo nũc admonet, ut resipiscat & agnoscat peccatum suũ: sola enim resipiscẽtia & peccati agnitio, è fide ueniens, pacificat cõscientiam, Rhoma. 5. Iustificati ex fide, pacẽ habemus &c. non enim iustificant opera, non excusationes in peccatis, quæ magis perturbant, & quanto plus te apud ipsum excusaueris, tanto plus apud Deum adcusas: quod si autem acquieueris cum Deo, id est, agnoueris peccata tua, prouentus tibi optimus erit, & nihil nõ bonorum à Deo impetrabis.

Agnoscenda peccata, non excusanda coram Deo.

ACCIPE OBSECRO AB ORE &c.

Non sufficit audire legem, nisi & in cor ponatur: cor lapideum est, non carneum, ut inscribi possit, quid igitur faciendum? cor fit carneũ fide, qua lex inscribitur, ut Paul. ait: per fidem stabilimus legem. Porrò si legem posueris in cor tuum, & cõuersus fueris ad omnipotentem (id est, si crediderit) tunc ædificaberis et benediceris: reponetur pro puluere, aurũ: pro uili, pretiosum: pro fluuijs, arenam trahentibus, torrentes, aureis lapillis impleti: erit omnipotens clypeum & fortalicium tuũ, & copiã argenti possidebis, hoc est, undequaq; benedictus eris in domo, in agro, in horreo, benedictus erit bos tuus &c. ut est in Deut. & Leuit. Præterea, si conuersus fueris ad

dominũ, gaudio ſpirituſſancti in domino impleberis, habebis fiduciã rogãdi & petẽdi, & ipſe dabit petitionẽ cordis tui, uerba tua nõ erũt uana, q̃quid dixeris, p̃mouebit, adeoq; oĩa tua ſtudia, fœlicia erunnt.

QVONIAM QVI HVMILIATI &c.

Quod aliâs dicitur: qui ſe humiliat, exaltabitur, et Dominus erigit eliſos, et de ſtercore erigit pauperẽ.

LIBERABITVR VAE INNOCENTIS.

Id eſt, innocens, liberabitur ab adflictione, propter puritatem animæ ſuæ. Bene omnia dicta ſunt, ſed ab Eliphaz carnaliter intellecta: nam prudentia carnis, exiſtimat benedictionem extrinſecus, in hoc ſæculo, pijs contingere, impijs uero maledictionem: ſed ueritas docet, benedictionem pijs in hoc ſæculo, ſub maledictione, uitam, ſub morte, ſalutem, ſub damnatione: econtra, impijs ſub benedictione, maledictionẽ, ſub uita, mortem, ſub ſalute, damnationem contingere.

CAP. XXIII.

REſpondens Hiob, dixit. Adhuc hodie amara eſt quærulatio mea, manus mea grauata eſt ín gemitu meo?

Quis dabit ut ſciam, ubi inueniam eũ, & accedam uſque ad ſolium eius?

Vt diſponam coram ipſo iudicium, &

os meum

os meum repleam increpationibus?

Vt cognoscã sermones, quos respondeat mihi, & intelligam quid dicat ad me?

Nunquid fortitudine contendet mecum? non sic insurgat aduersum me.

Proponat æquam rectitudinem secũ, tunc uindicabo ad uictoriã iudiciũ meũ.

Ecce si progressus fuero, non adest, si retrocessero, non animaduerto ipsum.

Dum se uerterit ad sinistram, non adprehenditur, si cælauerit se ad dexteram non uideo.

ADHVC HODIE AMARA EST. *Hoc capite docemur, quàm graue pondus sit iudiciũ Domini, sectra Verbum, aut Christũ aspiciatur: deinde, quã difficilis, imò impossibilis sit aditus ad Deum, sine mediatore: adhuc, inquit, grauor, nihil prosunt uanæ uestræ cõsolationes, nihil iuuant paræneses uestræ, nõ leuant quicq; grauitatem crucis: quicquid enim in me uirium est, propter doloris magnitudinem, deficit.*

QVIS DABIT VT SCIAM &c.

Ante admonitus est Hiob, ut adquiescat cum Deo & pacem cum eo habeat, nunc respondet: si maxime uoluero cum ipso pacem pacisci, ubi inueniam eum? atq; ò utinã liceret mihi solum Dei adcedere, tantum

abeſt, ut in cauſſa deficerem, ut potius Dei iudicium, in me inſontem latũ, manifeſtis argumentis reprehenderem. Vide obſecro, quid cor humanum ſentiat, crucem ſine Verbo aſpiciens: non male Hiob ſentit, quod fateatur adflictiones, immerito ſibi adcidiſſe, ſed hoc

Peccat Hiob blaſphemijs

à pietate alienũ eſt, quod aduerſus Deum, præfractius & contumelioſius loquatur, quã humilitas fidei ferat: aut enim, non habet Deus quo me uincat aut opprimat, niſi potentiã ſuã: atqui ſic, & quæuis beſtia, paulo ferocior, poſſet me ſuperare, ſed æquo Marte me adgrediatur, æquis uiribus mecũ contendat, ſi proponat in iudicio cauſſam cauſſæ, iuſticiam iuſticiæ, non potentiã imbecillitati, tunc certum mihi uictoriæ trophæum polliceor: nam ſi hoc pacto, liceret mihi, eum in ius uocare, ita agerem cauſſam meam, ut manifeſtis argumentis declararẽ, eius iniuſticiã, adeoq; os obdurarem, ut ne uerbũ quidem mutire contra auderet, ſi modo mecum æquis, ut dixi, conditionibus, non potẽtia & mateſtate cõtenderet. Fingitur apud Poẽtas, gygantes Oſſa & Pelio montibus congeſtis, uiam in cœlũ ſibi paraſſe, ut Iouem de cœlo deturbarent, ſed fulmine tactos, concidiſſe: non hoc omnino uanum eſt, nam ſub his inuolucris, etiam humanaratio cordis ἀθέου arrogantiam et blaſphemias delinet uit: ſi enim quiſpiam, regno, potentiaq; inter homines potiatur, aut alio quopiam egregio munere citra

Impij cordis adrogantia.

Verbum

Verbũ & manũ Domini cohibentẽ, aut potius repagula remittentem, fungatur, tanto fastu superbit, ut audeat etiamnum, suam potentiam, Deo æquare, ut Esa. 14. In cœlũ, inquit Neducadnezar, conscendam, similis ero altissimo. Ezechiel. 28. Princeps Tyri ait. Deus ego sum, & in cathedra Dei sedeo. Ita si quis iusticiã donatus fuerit, & postea ingruerint afflictiones, iniusticiæ stipendia, qd tum sentiat cor humanũ. Verbo mediatore destitutũ, solã crucis speciẽ ob oculos habens, uel unus Hiob declarat, q̃ audet etiãnum cũ Deo, æquo Marte cõtendere, usq; adeo miserũ est, misericorde Deo destitui, & solum iudiciũ sentire.

ECCE, SI PROGRESSVS FVERO &c.

Maxima animi libentia, Deum conuenirem, ut æquis conditionibus mecum certaret, sed nusquã gentium reperire eum licet, quanq̃ enim Deus omnia replet, & omnia sit in omnibus, non tamen ipsum adire nec inuenire possumus, sine MEDIATORE, siue antrorsum, siue retrorsum, siue ad dextrã, siue ad sinistram eum quæsiuerimus, semper abest, nunq̃ compræhẽditur: nam etiamsi conati fuerimus, eum sine mediatore adcedere, deterret tamen nos ab ingressu, partim caligo in qua habitat, partim potentia & maiestas, partim iusticia eius, id quod pulchre adumbratũ est, Hester 4. in lege Assueri: ita enim habet lex, Quisquis non uocatus intra atrium regis in-

Sine mediatore ad deũ non adceditur.

trauerit, absq; ulla cõtentione statim interficitur, nisi forte rex auream uirgam ad eum tetenderit, in signũ clementiæ. Delineat aũt aurea uirga Euãgelion. Sic alibi dicitur ad Mosen, nõ uidebit me homo & uiuet: posteriora mea uidebis. Igitur si posteriora, hoc est, Verbum Ἐγκωθὼ *Christus* IESVS *nobis occultatus fuerit, solo iudicio proposito, nemo ad Dei conspectum penetrare potest: ita et Christus ait: Nemo uenit ad patrem, nisi per me:* Ego *sum ostiũ & uia.*

Quoniam agnoscit uiam quæ mecum est, probat me, ut quasi aurum egrediar,

In uestigio suo teneo pedem meum, uiam suam custodiui, & non nutaui.

A mandato labiorum suorum nõ recessi, ultra quam mandatum est mihi, custodiui uerba oris eius.

Sed ipse unus est quis respõdebit ei? & quæcunq; anima eius desyderat, facit.

Si retribuerit (iuxta) meritum meum, ecce tamen adhuc multa coram ipso sunt (propter quæ posset adfligere)

Idcirco a facie eius turbatus sum, considerans uereor ipsum.

Et Deus molliuit cor meum, & omnipotens exterret me.

Quia non absum a tenebris, nec a facie mea occultatur caligo.

QVONIAM AGNOSCIT &c.

Cur deus probet cruce pios.

Hoc est, non solũ hac parte, iniustũ Deum iudico, quod præter meritum me tanta adflictione puniat: verum etiam, quod uelut ignarus torturis me probet: cum tamẽ omniũ mearũ rerum conscius sit, atq; hæc est mirabilis Dei sapientia, quæ rationi humanæ potius licentiosa libido uidetur, quod omnes homines intus & in cute noscat, probet tamen eos cruce, & adflictionibus, uelut aurum igne. Abraham erat Deo cognitus, priusquàm Isaac nasceretur, eo tamen adulto, tentauit Deus Abrahamũ, dicẽs: Imola filiũ unigenitum &c. & postea, nunc cognoui quod timeas deũ, quasi uero antea ignorasset pietatẽ eius. Ita & nunc conqueritur Hiob, se undequaq; tentari, ac probari, quanquam antea Deo notissimus sit: sed hæc ideo fiunt, ut Dominus declaret in sanctis constantibus suã potentiam, & cadentibus, eorum infirmitatem: adhæc, ut uel uocationis suæ certi fiant, si constent, uel ἀσθένειαν si ceciderint, agnoscant.

INVESTIGIO SVO TENEO PEDEM.

Hoc est, an non immerito adfligor, quandoquidem ambulo in uijs Domini, secutus sum legem Dei: omnia præcepta eius impleui, etiam plus quã debuerã? Verá ne Hiob hæc loquitur, siquidem cũ omnia fece-

rimus duntaxat id qđ debuimus facere, fecimus? Respondeo: Christus Matth. 5. legem interpretatus, quod non solũ externa facinora, sed & concupiscentias cordis prohibeat. Cõmunis uero hominũ captus putat legẽ impletã, si quis literæ legis, externo opere satisfaciat. Proinde cũ Hiob dicat, se plus feciſſe, quã mandatũ fuerit, non intelligit se plura feciſſe, quã lex natura ſua poſtulet, quando nemo poſſit ad unguem legi ſatisfacere, nedum plura facere, ſed ſignificat ſe multo honeſtius uixiſſe, quàm mundo debuerit: mundus enim non exigit, ut inimico benefacias, ut non ulciſcaris iniuriam &c. hæc igitur quicũq; fecerit, plus quàm præceptum eſt coram mundo facit. Præterea, ſi conferas Hiobẽ cũ alijs hominibus, plus boni operatus eſt, & in pauperes contulit, quàm coram hominibus debuerit: ſin uero reſpicias Dominum præcipientem, nihil eſt ut legem adimpleas, Ro. 8. Adfectus carnis ne poteſt quidem legi Dei ſubdi.

SED IPSE VNVS EST, QVIS &c.

Hoc eſt, quanq̃ iuſtam habeam cauſſam, & legem Dei impleuerim, ſuccumbendũ tamen mihi eſt in iudicio Dei: propterea qđ Deus unus ſit, nec habeã inter me & Deũ mediatorẽ: nã ſi Deus unus eſt, & nos diuerſi ab eo, opus igitur erit, ſi accedere uoluerimus mediatore: non propter Deum, qui unus eſt, ſed propter nos, q̃ diuerſi à Deo ſumus. Sic Gal. 3. Lex data eſt in

est in manu intercessoris: nã si populus unus cũ Deo fuisset, non indiguisset mediatore: igitur, quia diuersus à Deo fuit, mediatore opus habebat: unde Hiob cõqueritur, sibi ex oculis ereptum esse mediatorem, proinde omnes uias Deum adcedendi, clausas esse.

ET QVAECVNQVE ANIMA EIVS.

Omnino mihi tacendum est, & succumbendũ, quia solus Deus potẽs est, facit pro libidine sua, quæcunq; uoluerit, atq; adeo etiamsi pro meriti mei dignitate, omnem animi sui libidinem in me expleuerit, nondũ tamen potentiæ suæ satisfactũ est: quãtumcunq; adfligat, iudicet ac puniat, minus est, et ux scintilla eius quod adhuc potẽtia sua infligere posset: proinde turbor, terreor, contremisco, cor meum sicut cæra liquescit à facie horroris Dei, tenebræ infœlicitatis à me nõ recedũt, caligo mortis semper ob oculos uersans, nõ dum tam considera, quanta sit miseria & calamitas, semper ob oculos mortem uidere imminentem?

CAP. XXIIII.

QVare ab omnipotente nõ abscondita essent tempora, & cognoscentes eum, non uiderent dies eius?

Terminos abiiciunt, gregem diripiunt & depaſcunt.

Aſinum pupillorum abigunt, propter gnore diripiunt bouem uiduæ.

Deiiciunt pauperes de uia, pariter abſcondunt ſe pauperes terræ.

Ecce onagri in deſerto egrediunt iuxta conſuetudinem ſuam, mane ad prædam præparando ſibi cibum pro catulis.

In campo non ſuo metunt, & uineam impie acquiſitam uindemiant.

Nudum pernoctare ſinunt ſine ueſtibus, quibus nō eſt opimentū in frigore.

A fluctu montiū humectantur, ut præ nullo tegumento, amplectantur petram.

Diripiunt a mamilla pupillum, & a paupere pignus extorquent.

Nudum ambulare ſinunt ſine ueſte, & eſurientibus auferunt ſpicam.

In molendina eorū oleum producunt, (pauperes) torcularia trahunt & ſitiunt.

De ciuitate uiros fecerunt gemere) tyranni) & animam uulneratorū clamare, (fecerunt) & Deus nō reddit meritum.

Ipſi

Ipsi sunt rebelles lumini, nō agnoscunt
uiam eius, nō reuertunt ad semitas eius.

QVARE AB OMNIPOTENTE &c.

Humana ratio solet Deum & eius sapientiā non è
Verbo, sed è suo captu æstimare: tam quū pro ratione
suæ prudentiæ colligat, solos malos & pœna dignos,
adfligendos, & iniustum esse si insons adfligatur, exi
gi a Deum ad eandem prudentiæ regulam, pro
nuntians Deum, non nisi sontes punire, insontibus
uero parcere. Quod si uero ad hanc regulam, cōmu=
nes rerum euētus exegeris, planè diuersum occurrit:
nam mali, benedicuntur: boni, maledicuntur: impij,
florent: pij, marcescunt: hi sunt humanarum rerum
casus: hæc fortunæ alea est. Proinde si omnino ratio=
nis humanæ pronunciantis, malos duntaxat adfligi,
bonos uero benedici, sententia steterit, consectaneum
erit, Deum non curare res mortalium, aut ignorare,
quid in hoc mundo geratur, quādoquidem si diligens
mundi œconomus esset, aut rerum humanarum con=
sius, non pateretur, sic omnia susq; deq; ferri, ut ma
li belle uiuerent, & boni opprimerentur. Itaq; Hiob
ait, quare ab omnipotente abscondita essent tem=
pora? hoc est, si iuxta uestram, ô amici, opinionem,
Deus solus malos adfligeret, bonos non item, recte
quis sentiret, à Deo abscondita esse tempora, id est,
Deum nō curare res mortalium, in hoc mundo, ac ne

Ratio humana, sentit Deum non curare res humanas.

scire, quæ sint commoda adflictionis tempora, id quod longe absit, ne quis de Deo suspicetur: proinde oportet uos amicos, falso de sapientia Dei iudicare.

ET COGNOSCENTES EVM NON VIDERENT &c. Gloriamini uos Deum scire, et sapiẽtiam eius agnoscere: tã si dũtaxat adfligat malos, & tamen interim belle uiuunt, reliquum est ut uos ipsi ignoretis dies eius, id est, rationem & tempus, quibus Deus malos male perdit, quid igitur falso gloriamini de cognitione Dei? an ne hoc est nosse Deũ, sapientiam eius ad captum humanæ rationis exigere? Atqui in rebus diuinis, nihil magis cæcum est, humana ratione, quæ usq; adeo est excæcata, ut quo diutius Deum quærat, eo minus inueniat.

TERMINOS ABIICIVNT &c.

Enumerat nunc Hiob, impiorum facinora, in quibus tamen prosperrime, sine omni adflictione uiuunt, ut ostendat clariſsime contra amicos suos, bonos potius adfligi, quàm malos: ij enim non solum mala designant, uerum etiam, in malis fœlices sunt. Terminos, inquit, abijciunt, id est, limites agrorum effodiũt et disijciunt, ut agrorum suorum fines proferant. Terminos autem proferre, proximi damno, etiam in lege prohibitum est, Deut. 19. Non assumes, ut transferas terminos proximi tui &c. & eiusdem 27. Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Sic & prouerb. 22

Ne

Ne transfer terminos, quos maiores tui constituerũt. Potest hoc allegoricôs, de impijs tyrãnis intelligi, qui nullam legum antiquarum, hoc est, diuinarum rationem habent, sed pro libidine sua, nouas subinde leges figentes, ac refigentes, dominantur.

GREGEM DIRIPIVNT &c. Licebit hoc intelligere, uel de pecorũ direptiõe, quæ impij abigũt et depredantur, quemadmodũ & Arabes Hiobẽ spoliarunt: uel de subditorum spoliatione, de qua Ezech. 34. Ve pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos.

ASINVM PVPILLORVM ABIGVNT &c. Quantũ malum sit, pupillis & uiduis iniuriam inferre, uel ex hoc cõijci potest, quod Deus, se pupillorum patrem, & uiduarum iudicem uocet.

DEIICIVNT PAVPERES DE VIA. Tyranni impij, præ se uulgum subditum, non aliter quàm bestias & tumenta reputant, ac toruum uidentes, mala ipso etiamnum aspectu, ni paueant, ni obediant, minãtur: coguntur itaq; miseri, præ formidine, sese à conspectu tyranni, abscondere, & habes hoc loco, pulcherrimam tyranni εἰκόνα descriptam: aspectum enim boni & moderati principis, ueluti numen quoddam, uenerantur subditi: cõtra tyranni aspectum, quasi Satbanam exhorrescunt. Tyranni descriptio.

ECCE ONAGRI IN DESERTO. Pergit Hiob, sub ferocitate onagrorum, tyranni

imaginem, ob oculos ponere: onagri enim, mane ad prædã exeunt, ut diripiant alienos labores, quibus sua catulos nutriant: ita tyrãni, leges iniquas cõdunt, quibus subditorũ inhiantes, ut liberos suos ditent: adhuc alienas messes demetũt, uineas impietate et exactionum acquisitas, uindemiant, in tantis aũt flagitijs, fœlicitatem uiuunt: quod igitur Deus, solos malos adfligit?

NVDVM PERNOCTARE &c.

NVLLA pietas est in tyrannis, non solum enim non uestiunt nudum, sed et uestem, si qua reliqua est, denudatis diripiunt, ut in frigore contabescant, & in tempestate, præ fluctibus montium, non aliud asylum habeant, quàm fissuras petrarum in montibus, domo & uestibus spoliati.

Factores pupillorum, & uiduarum.

DIRIPIVNT A MAMILLA &c. Hoc est, tyranni sciunt pupillos & uiduas facere. Ezech. 19. Iehoiakim factus est leo, didicit prædam capere, et homines deuorare, didicit uiduas facere &c.

IN MOLENDINA EORVM. Hoc est, tyrannorum subditi, coguntur suo ipsorum impẽdio, agrum tyranni colere, seminare, spicas demetere, in horreũ inuehere, triturare, in molendinã uectare, ac reuectare, hoc enim est oleum in molendina producere: torcularia quoq;, in quibus oleũ aut mustũ extorquetur, trahere coguntur subditi à tyrannis, interim egregie sitientes: neq; enim cibus datur subditis in la-

bore,

bore, sed etiamsi, uel agrũ demetant, uel uuas, aut oleum in torculari extorqueant tyranno, nihil tamen earum rerum ad ipsos redit, id quod Dominus, nec bestijs denegauit, ait enim in lege: os boui triturãti, nõ obligabis. Quantum igitur iudiciũ in eos futurum putas, qui in homines, eiusdem carnis, eiusdem patriæ, eiusdem fidei, eiusdem Christi, committunt, quod nec in bruta animalia committendum est? quod malum, in Germania frequentißimũ est. Væ igitur Germaniæ.

DE CIVITATE VIROS FECERVNT.

Hoc est, tanta tyrannide subiectus populus, ab impio magistratu premitur, ut non possit nõ gemere, ac uindictam clamare: est autem gemitus oppressorum ualidus ac potens, penetrat enim nubes ac cœlum, ut est Exod. 2. Ingemiscentes filij Israël, propter opera seruitutis, ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitũ eorum. Auxiliatur igitur Deus, afflictis & oppressis, & liberat eos à tyrannide, non gladio, sed pio clamore, & oratione fideli.

Gemitus oppressorum exaudit Deus.

ET DEVS NON REDDIT MERITVM.

Hoc est, quanquàm impij tyranni, aduersus miserum uulgus, tanta mala perpetrent, non tamen pro merito suo afflictantur, sed uiuunt fœlices, potiuntur uictoria, glorioſi redduntur. Proinde excæcantur è prospero successu, suspicantes suam impietatem, iustam esse: & qui contra, uel mutierit, eum, tanquam seditionis

authorem, in capitale supplicium uocant.

IPSI SVNT REBELLES LVMINI. Id est *quia impij tyranni, nõ cito* Dei *iudicio uisitantur, ideo deficiunt à uero lumine, à uera fœlicitate, spernũt bene monentem, non agnoscunt uias* Domini, *non respiscunt, sed propter fœlicem successum, in impietatibus obdurantur.* Ecclesiastici 8. *quia non profertur cito, contra malos sententia, absq; timore ullo, filij hominum perpetrant mala.*

In diluculo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem, & de nocte sicut fur.

Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens, non uidebit me oculus, & abscondit faciem.

Perfodit in tenebris domos, interdiu quasi sub signaculo abscondunt sese, & nesciunt lumen.

Quoniã simul mane ipsis est umbrositas agnoscit enĩ (in die) terrores tenebrarũ.

Leuis est (quasi) super aquas (uehetur) dissipatur leuitate substantia eorum. In terra, non ædificat uiam uinearum.

(Sicut) ariditas & calor absorbẽt aquas niuis (ita) infernus peccatores.

Obli

Obliuiscẽt eius misericordes, uoluptas eius uermibus scatet, nemo unq̃ eius recordabit̃, et conteret̃ sicut arbor putrida.

Adflixit sterilem non parientem, & uiduæ non bene fecit.

Detraxit potentes tyrannide sua, etiam si exaltatus fuerit, non credet uitæ.

Parat sibi confidentiam, cui innitatur & oculi eius super uias eorum (subditorum directi) sunt.

Exaltati sunt paululum, & non erunt, humiliabuntur sicut omnia, finient̃, & sicut summitas spicæ, decutientur.

An non est ita? quis mendacii arguet me, & ponet ad nihilũ sermonem meũ?

DIVERSA LECTIO.

Quod legas, perfodit, in singulari numero, & deinceps dant, ac nesciunt, in plurali, cum tamen adhuc de eadẽ re, sermo sit, de adultero & adulteris, meminerisque esse numeri mutationẽ, apud Hebræos frequẽtissimã.

IN DILVCVLO CONSVRGIT &c.

Vt tyranni, sic & homicidæ ac fures, in suis flagitiis sceleratissime uiuunt, promouet conatus eorum, nocturno enim surgunt, clanculum insidiantur hominibus, ut rapiant aut occidant, atq; ad hæc flagicia, sic Deus

conniuet, quasi fauere uideatur: si igitur, solos male adfligit, cur illos tolerat? cur non aridas reddit manus eorum, dum extendunt eas ad furtũ, aut homicidiũ? sed ij, prosperum habent successum, quum interim pij opprimantur, & flagellentur.

OCVLVS ADVLTERI OBSERVAT.

Etiã adulteri, prospere agunt in suo facinore, nec corripiũtur subitaneo Dei supplicio. Iam quod Numer. 25. fornicatus sit populus Israël, cũ filiabus Moab, & propter fornicationes occisi sint uiginti quatuor millia hominũ, exemplar diuini iudicij in fornicationẽ et adulteriũ exhibitum est. Proinde, etiã si nunc Dominus ad adulteria & fornicationes cõnueat, nõ tamen in finẽ conniuebit, ut Psal. 49. Si uidebas furem currebas cũ eo, & cum adulteris portionẽ tuam ponebas: hæc feciſti, & tacui, existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuã contra faciem tuam. Porrò, quanto supplicio Deus, fornicationes & adulteria puniturus sit, ex lege constat, qua dicitur: adulter & adultera, morte moriantur: & Prouer. 6. stulti cũ mechantur, uitam amittunt. Item apud Paulũ: nec adulteri nec fornicatores, regnum Dei possidere possunt. Describuntur aũt hoc loco pulcherrime, fornicatorũ & adulterorũ mores, quemadmodũ etiam legis Prouerb. 7. Nam nocles amant obscuras, in tenebris penetrant domos alienas, interdiu aut latent à scorto abs-

sconditi

sconditi, aut tergunt os, quasi innocentes, odiunt lucem: lux enim ipsis est, ueluti horrendæ tenebræ: adeoq; sic luce & die terrentur, ut alij tenebris. Iā per fornicationes omniū peccatorum natura, descripta est: qui enim male agit, odit lucē, & omne malū, mendacium est: tantisper aūt constat mendaciū, dum ueritatis luce illuminatur, qua adueniente, mox dispellitur mendaciū: ita & omne peccatum, lucē odit, qua inclarescente, constare non potest: proinde Sathan omnem mouet lapidem, ut obscuret mentem nostram, ne intelligamus peccatū: aut si maxime intelligimus, facit ut excusemus, & specie boni ueletur.

Fornicatio spiritualis, peccatum.

LEVIS EST QVASI SVPER AQVAS.

Similitudine quadam leuitas fornicatorum exprimitur, ut bulla super aquas nata, nunc huc, nunc illuc fertur, ita fornicator aut adulter, inconstantissimi animi est. Nam res est solliciti plena timoris amor. Vbi est timor, ibi incōstantia: solus is cōstat, qui Domino adhæret. At fornicator, ita sordidat corpus suū, ut recedant ab eo, Dominus & spiritus eius: proinde, nihil animi uirilis, nihil constantiæ ei relinquitur.

Fornicatorū incōstantia.

DISSIPATVR LEVITATE SVBSTANTIA. Qui fornicationi student, inertes, et rerum suarū negligentes sunt: eorum opes diffluunt: nō colunt agros, non curant uineas, sed unà cum ipsis, omnia eorū bona subinde maledicūtur, & decrescūt.

Ignauia fornicatorum.

SICVT ARIDITAS ET CALOR &c. Hoc est, utcunq; uiuant in hoc seculo peccatores, uel prosperrime, deglutientur tamen ab inferno, deijcientur in profundam perditionis foueam: & quemadmodum aquæ niuis, soluuntur à calore, & diffluunt, nescio quo: ita impij, ut maxime aliquandiu feliciter uiuant, ita tandem ab ardore diuini iudicij consumentur, ut nihil eorum remaneat.

Cõmunione sanctorũ priuatur peccator.

OBLIVISCETVR EIVS MISERICORS. Aliâs, communio est sanctorũ, quorũ unus est liber uitæ, una fides, unus Dominus: impius uero ex hac cõmunione eijcitur, usq; adeo, ut ne nomen eius agnoscatur: tam quia, ipse nullã misericordiã alicui exhibuit, igitur in iudicio nulla ei exhibebitur, sed erit uermium esca, uoluptas eius in abominationem uertetur.

NEMO VNQVAM EIVS RECORDABITVR. De iustis dicitur. In memoria æterna erit iustus. Sed de peccatoribus, nomen peccatorum delebitur in terra, & sicut arbor putrida foras proijcitur, & conculcatur, ita impij à facie Dei in ignem æternum protrudentur, Quare? quia

ADFLIXIT STERILEM NON PARIENTEM. Hoc est, impius ideo in perditionem protrudetur sicut arbor putrida, quia adflixit sterilem non parientem, hoc est, adflictionem addidit adflictioni (est enim in lege sterilitas maledictio) calamitatem, calamitati

uidue

uidue non benefecit, impotentiores se, calumnijs circumuenit, tyrannide sua oppressit, opprimere enim inferiores, impiorum proprietas est. Vnde et Ezech. 19. leones dicuntur.

ETIAMSI EXALTATVS FVERIT. Hoc est, tyrānus, quantumcunq; firmus uideatur, & probe munitus, nunq; tamē securus est. Sic & Mose de impijs scribit Deuter. 28. Timebis nocte & die, & non credes uitæ tuæ, erit uita tua pendens ante te.

PARAT SIBI CONFIDENTIAM. Tyrannus sibi male conscius, omnia munit, omnia tenet, omnia timet, & ut Plato ait: tyranni uiuunt tanq; uinculis quibusdam formidinum, & amorū destricti, ac solis in ciuitate, minime egredi aut peregrinari licet, nec quicquam eorum quæ alij libere solent, audent: proinde, omnia subditorū consilia explorat, omnes eorum conatus circunspicit, ne seditio oriatur, & ut paret sibi securitatem, nunc arces munit, nunc equites & milites stipendio cōducit, nunc onera grauissima in subditorū humeros reijcit, quo eos in officio cōtineat, ne ociosi de pernicie tyranni consulent, ut habes Exo. 1. Iam quia impio conatu, periculū effugere studet, ideo adcidit ei quod timet. Tyranni miserа conditio.

EXALTATI SVNT PAVLVLVM. Nemo existimet impios, aut tyrannos ideo fœliciores, quia exaltati & glorificati sint, in hoc mundo, Tyrānī eo infœliciores, quanto sunt sublimiores.

nam quo magis exaltati sunt, eo maius iudicium manet eos, ut Esaias inquit: omnis mons & collis humiliabitur, & ut fulmina nõ feriunt nisi altißima quæq; turres, & montes: ita iudiciũ Domini graue, in sublimes fertur: Deposuit, inquit Beata uirgo, potentes de sede, & exaltauit humiles. Nam quemadmodum spicarum summitas, tandem præ sua grauitate in terram deorsum trahitur, & quum maturuerint aristæ, grana earum maturitate excussa, decidunt: ita impij paulatim in altum succrescunt, & eleuantur, donec maturuerint ad iudicium, tunc enim subito in profundum deijciuntur. Sic Gen. 15. Nec dum completæ sunt iniquitates Amorreorum, hoc est, Amorrei nondum maturuerunt ad iudicium.

AN NON EST ITA, QVIS MENDACII. Id est, quæ loquor uera sunt, neq; enim è fœlicitate externa, pietas probari potest, alioqui nemo magis impius pijs esset, siquidem omnibus hominibus miseriores sunt, neq; ex infœlicitate, impietas, quando omniũ prosperrime uiuant impij: utcũq; aũt prospere agãt, habẽt tamẽ suũ iudiciũ, qđ effugere nõ possunt.

CAP. XXV.

RESpondens Bildad Suites, dixit.
Nõne potestas & terror apud ipsum

sunt

sunt, qui facit pacem in sublimibus suis?

An est numerus expeditorum eius, & super quem non surgit lumen eius?

Quō iustificaret homo cū Deo (collatus?) & quō purus esset natus mulieris?

Ecce ultra, luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in oculis eius.

Quanto minus homo tinea & filius hominis uermis?

NONNE POTESTAS. *Eandē cantilenam Bildad canit, quam in prioribus amicorū orationibus audiuimus: arguit enim ab omnipotentia & puritate Dei, neminem in conspectu eius iustificari, nec citra peccatū adfligi, id quod uerissimum est, si hominem citra fidem tibi ob oculos posueris, qui uero donatus fuerit fide ut Hiob (unde & iusticiæ testimonium habet) non solū citra meritum adfligitur, sed etiā coram Deo iustificatur, siquidem fides, peccatum & peccati aumentum, absorbet, & iustus ex fide uiuet.*

Porrò cum dicitur, apud Deum esse potestatem, intelligas eum esse omnipotentem nō solum δυνάμει uerumetiam ἐνεργείᾳ, id est, & potentia & actione, omnia enim potest, & omnia agit: ergo & mala operatur? maxime, non ex se, sed ex instrumento per quod operatur, est enim Deus, ut sic dicam, mundi

Quō Deus operatur oīa, etiā peccata.

anima, perinde ut in corpore humano, aïa mouẽs est. Nam si humana anima corpus debile aut claudũ nactũ fuerit, pergit nihilominus mouendo, & fit motus claudus nõ ab anima, sed à corpore moto, ita Deus operatur oĩa in omnibus. Iam quũ operetur in homine uelle & facere, homo uero ex peccato, ab Adam deriuato, male uelit & faciat, fit mala uoluntas, & opus nõ ex Deo operante, sed ex homine deprauato: proinde, quanq; Deus mala operetur, nõ tamen malicia Deo adscribenda est, sed instrumento male deprauato &c.

TERROR. Id est, apud Deum est iudiciũ. Nam sicut fluit cera à facie ignis, ita omnis creatura à uoce Domini, ut est Gen. 3. Vocem tuã audiui Domine, & timui &c. 4. Reg. 7. Dominus sonitũ audiri fecerat in castris Syriæ, curruũ & equorũ, surrexerunt ergo Syri, & fugerũt in tenebris, uox enim Domini trata, adeo terribilis est, ut occidat, & in æternum perdat.

FACIENS PACEM IN SVBLIM. Hoc est, omnia suo ordine disponens, Sap. 11. Oĩa in mẽsura et numero et pondere disposuisti, nisi enim cuncta iusto ordine collocata essent, non posset fieri, quin cœlum terræ, in unũ chaos misceretur, atq; hæc creaturarum dispositio pax dicitur in sublimibus.

AN EST NVMERVS EXPEDITORVM. Dicitur enim Deus, Dominus Sebaoth, id est, exercituum: & Daniel. 7. Millia millium ministrant ei &

ei, & decies millies centena millia assistunt ei, hoc est, innumerabiles sunt ministratorij spiritus, qui hoc loco expediti dicuntur. Sic et Christus in Euangelio ait, an non possum rogare patrem, & mittet mihi plus quàm duodecim legiones angelorum: similiter 4. Regum 19. Vnus angelus percussit una nocte, in castris Assyriorum, centum octoginta quinq; millia. Iam si unus angelus tantum potest, quantum posset Dominus per innumeras angelorum cohortes?

ET SVPER QVEM NON SVRGIT. Id est, Deus omnia uidet, nihil ab eo absconditũ est, sicut & sol dicitur πάντα ὁρᾷν, Psal. 18. Soli posuit tabernaculũ, exultat ut gygas ad currendũ uiã, à summo cœlo egressio eius, et recursus eius usq; ad summũ eius, nec est qui se abscõdat à calore eius: sic & Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiã? si ascendero in cœlũ tu illic es. Huc adludit Christus in Euangelio, Pater sinit solem suũ oriri super bonos & malos, id quod ingens liberalitatis Dei indiciũ est, qđ se omnibus obuium præbeat, & neminem à beneficijs suis excludat, nisi quis sua pereat infidelitate.

QVOMODO IVSTIFICARETVR. Hoc est, si Deus tam potens, sapiens & beneficus est, quomodo coram eo posset homo iustificari, & cum eius iusticia cõferri? Vera hæc sunt, si hominem cum Deo, citra medium, id est, fidem in Christum

conferas. Sed confer eum cum medio, id est, fidei Christum, habebit etiam homo, quod glorietur co Domino, sed tamen in Domino.

ET QVOMODO PVRVS ESSET.

Tota enim natiuitas nostra impura est: hinc in leg præcipitur, Leuit. 12. ut mulier immunda sit septe diebus, octauo die circũcidatur puer, & maneat ip triginta tribus diebus in sanguine purificationis su

Natura impura.

Natura enim fumus filij iræ, purificationis egentes & qđ ex carne est, caro est: ꝓinde, impuri sunt quot quot ab impuris nascũtur: quãꝙ infans, creatiõe nõ s impurus, utpote Verbo Domini creatus & sanctifica tus, sed impurus est ꝓpter Adã, in quo oẽs moriũtur.

ECCE VLTRA LVNA NON &c.

Tantus est splendor diuinæ maiestatis, ut nec luna nec stellæ, in cõparatione eius luceant, quomodo ergo

Contemptus homo.

luceret homo, qui est TINEA & VERMIS? Hi aũt epithetis uides, quàm cõtemptim spiritus sanctus in Scriptura de homine loquatur, non enim assuetus est titulis glorioſis, & claris epithetis, nec in princi pum aula, quæ est titulorum officina, uersatus est, sed scapham uocat scapham, καὶ τὰ σῦκα σῦκα. Nam & aliâs hominem puluerem, aliâs carnem, aliâs uanitatem, aliâs mendaciũ uocat, & gentiliũ lutere bullam, quibus omnibus, conditionis & miseriæ nos stræ admonemur, ut eam agnoscentes, confugiamus ad Dominum, qui solus est liberator noster.

CAP. XXVI.

RESpondens Hiob, dixit
Quem iuuas? impotentem? saluas brachium inualidi?

Cui consulis? insipienti? & potentiam magnati ostendis

Pro quo adnuncias sermonem? & pro quo spiraculum egreditur a te?

Gigantes dolent sub aquis, & habitantes cum eis

Nudus est infernus coram eo, & non est operimentum perditioni

Extendit aquilonem super inane, suspendit terram in nihilum.

Colligat aquas in nubes eius, & nō rumpitur nubes sub ipsis

Tenet uultum solii, expandit super ipsum nubem suam

Præceptū statuit super faciem aquarū donec consumatur lumen cum tenebris.

Columnæ cœli contremiscunt, & obstupescunt ab increpatione eius!

In uirtute eius conturbabitur mare, & in prudentia eius confringitur altitudo.

Per spiritum eius cœli clarescũt, infirmat manus eius serpentem uectem.

Ecce hi sunt fines uiarum eius, sed quã breue Verbũ audiuimus in illo, & tumultum potentiarum eius quis intelliget?

QVEM IVVAS. Rursus Hiob, ut solet, crucem suam sine mediatore & propiciatore adspiciens aduersus Deum indignatur. Nam cũ aliâs Deus predicetur adesse impotenti, laboranti, & onerato, iuuare inualidum, sapientiam sapientum perdere, & intellectũ præstare stultis, adeoq; oppressos defendere excusare, & caussæ eorum consulere: nunc Hiob conqueritur, diuersum adcidere, ac Deum pro communi prouerbio, fortiores iuuare, se uero quod insipiens et infirmus sit, derelinqui, ait enim indignabũdus, quem iuuas ô Deus? nonne ex promisso, impotẽtem iuuare debes? sed ut re ipsa experior, etiam si te imbecillibus affuturum promiseris, semper tamen fortioribus, tuo auxilio præsto ades, quem liberas: nõne ex pacto, oppressum liberare debes, ut est Esa. 66. Super quem respiciam, inquit Dominus, nisi ad pauperculũ & cõtritum spiritu? Sed ut uidetur, suppressum, subinde magis atq; magis conculcas, cui consulis? nonne tibi con-

Blasphemia quod Deus non adsit adflictis.

fulendum

fulendum est insipienti, ita enim Psal. canit: Intellectum præstans paruulis: & aliâs, Perdam, inquit Dominus, sapientum sapientiam: sed ut sentio, stultos abominaris, & sapiētes celebras: hæccine pia iusti Dei opera sunt? Sic ne fideliter præstas, quod pollicitus es? nam promisisti te affore inualido, & potentiam tuam ei declaraturum, sed ut uideo, res plane in diuersum cadit. Habes iterum, quod cor à Deo derelictum, cum mendacij insimulet qui multa polliceatur, in necessitate uero nihil præstet. Sed quod Deum falso accuset, hinc conijci potest, quia aliam habet Deus iuuandi rationē, quàm prudentia carnis intelligere possit. Caro enim fortitudine iuuat, sapientia cōsulit, potentia liberat: contra, Deus iuuat imbecillitate, consulit stultitia, liberat impotētia. 1. Corinth. 1. Postquàm in sapientia Dei, non cognouit mundus per sapientiam Deum, uisum est Deo, per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes: & 2. Corinth. 12. Virtus mea per infirmitatem perficitur. Huius rei exemplū habes in Christo, quē Deus sic iuuit ut imbecillitate, fortitudinē Satanæ expugnauerit. Sic & Apostolos iuuit, passione & morte, passionē ac mortē superantes. Sunt & alia facta in Veteri Testamento, quibus Deus specimen dedit, se infirmitati fidelium adesse, ut confundat infidelium fortitudinem: sic Abraham cū paucis uernaculis, uicit quatuor Reges, Gene. 14. Ut

Sic iuuat Deus per impotentiam.

Hiericho ciuitas debellata est sono tubæ, Midianitarū ingens exercitus, à trecentis fugatus est. Dauid infimus, fortem Goliad superauit: usq; adeo per impotentiam piorum, suam potentiam declarat, cum prima facie uideatur potius fortes iuuare quàm imbecilles.

PRO QVO ADNVNCIAS. Id est, cui patrocinaris? nonne patrocinium promisisti adflicto? sed nūc negas, pro quo iraſceris? intumescis? quē zelas? nōne calumniā patientē & iniuste oppressum? Sic enim scribitur Zach. 1. Hæc dicit Dominus exercituū: Zelatus sum Hierusalem & Sion zelo magno, & ira magna iraſcor super gentes opulentas. At ego nihil tale mihi adflicto, & impotenti, contingere uideo.

GIGANTES DOLENT SVB AQVIS.

Argumenta potētiæ Dei.

Iuuat, inquit, Deus fortes, me imbecillem, inualidū, & nulli culpæ affinem, despicit. Iam ut maxime cupiam eum, in ius uocare, fortior tamen & potentior est, quàm ut à me cogi possit in iudiciū: quocunq; igitur me uertero, succumbendum mihi est, quādo Deus cōtra me à parte aduersariorū stet. Sed ut sciamus quanta Dei sit potētia, & q̄ minime liceat homini, cū Deo contendere, enumerat Iob, aliquot potentiæ Dei argumenta. Primū Gigantes dolēt sub aquis &c. Gigantes sunt ingētia cetæ in mari, sub quibus tyrāni, in terra potentes describuntur, hi una cum habitatoribus suis dolent sub aquis, hoc est, etiamsi potentissimi &

crudelissimi

crudelissimi sint, territi tamē Domini potētia, & maiestate, conspectū eius formidant, & iudiciū eius horrescūt, ut uides in Aegyptijs dicētibus intra se Exod. 14. Fugiamus Israelem, Dominus enim pro eis contra nos pugnat. *Tyranni formidant Dominum.*

NVDVS EST INFERNVS &c.

Hoc est, perdere potest quem uoluerit, infernus coram eo non est clausus, sed apertissimus, ut intrudere possit quemuis: licet, modo libeat omnes perdere. Prouerb. 15. Infernus & perditio Deo patent.

EXTENDIT AQVILONEM.

Synecdoche, pars pro toto, Aquilo enim qui Septentrio est, pro toto cœlo, seu firmamento sumitur: quod igitur Deus cœlum extendat, & terram sustineat, nulla columna suppositā, ingens potentiæ Dei argumentū est. Psal. 101. Extendens cœlū sicut pellem, & fundauit terram super stabilitatē suam. Atlantem fruxit Poëtæ, cœlū humeris suis sustinere, at nos confitemur uerum Atlantem, Dominum Deum nostrum, qui Verbo suo, tam cœlum q̄ terram sustinet.

COLLIGAT AQVAS. Et hoc non mediocre Dei potentiæ argumentum est, quod aquas in nubibus colligat, ne mox decidant, cum tamē natura sua graue deorsum ferantur. *Aquas colligit in nubib.*

TENET VVLTVM. Solium Dei est cœlum Esa. 66. Cœlū mihi sedes est: hoc solū Deus occupat,

interim tegens & obducens nubibus. Psal. 136. Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.

Terminum mari.

PRAECEPTVM STATVIT. Vt infra Cap. 26. Circundedi ait Dominus, mare terminis suis, et posui uectem ac ostia, & dixi: usq; huc uenies & non tantisper autem stabit aquarum terminus, dum consummatur lumen cum tenebris, usq; ad cõsummationem mundi, & ad finem seculi.

Commotio terræ.

COLVMNAE COELI CONTREMISCVNT. Per columnas cœli, intelligit ea quæ sub cœlo sunt, alioqui enim cœlum nulla columna, nisi manu Domini sustinetur. Omnia aũt sub cœlo contremiscũt à tonitru, quod hoc loco increpatio Dei dicitur.

Ventis imperat.

IN VIRTVTE SVA CONTVRBAVIT. Id est, flante Domini uirtute, intempestuoso uento, omnia maris concutiũtur, & aqua & undæ. Ecõtra, altitudo, hoc est, fluctus marini, in altum eleuati, eiusdem uirtute, confringuntur & sedantur.

PER SPIRITVM. Hoc est, uentis (qui spiritus Dei dicũtur) nubes dispellentibus, cœlum fit clarum & serenum. Sic & manu ac potentia Dei, fugat serpẽtes marinos, et cete mare cõturbantia, ut æquor planum fiat & sedatum. Pro uecte, Hebræus habet בריח quod tortuosum, aut recuruum significat, hoc enim epitheton est, marinarum belluarum. Allegorice ôs de Satana interpretari potest.

ECCE

ECCE HI SVNT FINES &c.

Ecce hæc est Dei potentia, hæc Dei maiestas, quæ breuibus quidem, utcunq; delineata est, sed tamen tanta est, ut uerbis comprehendi nequeat: unde pulcherrime apud Hebræos, non simpliciter dicitur potentia, sed רעם גבורות *id est, tumultus & tonitrua potentiarum.*

CAP. XXVII

ET addit Hiob, assumens parabolam suam, & dixit.

Viuit Deus, qui aufert iudiciũ meũ, & omnipotens amaricans animã meam.

Quia omnino, donec spirauero mecũ, & halitus Dei in naribus mei fuerit

Si loquantur labia mea iniquitatem, & si lingua mea meditetur dolum.

Absit a me ut iustificem uos, donec perea m, non reiiciã innocentiam meã a me.

De iustitia mea quam teneo non mouebor, non reprehendit me cor meum diebus meis.

Erit sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus sicut iniquus.

Quæ enim est spes hypocritæ, quod auaritiæ studeat, quando extirpaturus sit Deus animam eius.

Nunquid clamorem eius exaudiet Deus, cum uenerit super eum tribulatio?

An super omnipotente delectabitur, inuocabit Deum in omni tempore.

DIVERSA LECTIO.

Pro assumens parabolam suam, Hebræus habet שׂאת משלו *hoc est, exaltans prouerbium suũ quod nos dicere possumus, exclamans, intendès sermonem suum, ut hæc quasi emphasi quadã dicta sunt.*

ADNOTATIO.

VIVIT DEVS QVI AVFERT IVdicium. &c. *Tres amici, hactenus Hiobem propter adflictiones, insimularent occultæ impietatis reum, quando aperta flagitia in ipso nõ agnoscebãt: ad hoc igitur respondet, etiã iuramento adseuerans, se nihil mali prorsus cõscium sibi esse, nec unquàm à sua sententia recessurum, nec amicorum opinionem adprobaturum, dicens: Viuit Deus (sic enim iurant Hebræi) qui peius me adflixit, quàm meritus sim, & grauiori me dolore adfecit, quàm ferre possim, quod donec uixero nihil mali in hac causa, de qua inter nos controuersia agitur, loquar, aut corde meditabor, neq; unquam*

committam, ut assentiar sententiæ uestræ, & fatear, me iuxta meritum adflictum. Si enim hoc faterer, sanctitatem fidei & crucis, negarem, quod, quid aliud est quàm Deum fide & cruce sanctificãtem negare? proinde, absit ut recedam à iustitia mea, & confitear, me propter peccati meritũ, crucifixum esse, quãdo prorsus nihil mihi conscius sum, neq; reprehendat me cor meum, fide iustificatũ: quin potius, hi impij sunt, qui me impie calumniantur, & hi iniqui sunt, qui mihi in hac controuersia aduersantur. Sed quomodo conueniũt, quod Hiob primum, uideatur Deum calumniari, tanquam iudicium auferentem, & iniuste adfligentẽ? quũ sit Deus faciens iustitiam & iudiciũ: dein, quod iureiurando suam iustitiam & innocentiam adserat, nec uelit sententiam amicorum adprobare, quũ ueris sanctas contiones habuerint? Respondeo, id quod supra sæpe tractatum est, sed ut repetatur οὐ πάροραν Hiob. Hiob iustam habet causam, aduersus amicorum calumnias: sed in causæ actione peccat, non enim solum, suam innocentiam tuetur & excusat, id quod ex fide facit, sed etiam Deum accusat, id quod ex grauitate iudicij, & insustentabili crucis onere, prouenit: nã quod pertinaciter suam innocentiam adserat, fidei, non carnis gloriatio est: fides enim in misericordiam Dei, hoc est, Christum, respiciens, alienam iustitiam ad se adtrahit: quàm qui possidet de innocẽtia gloria

Hoc peccatũ Hiobis blasphemias committit.

tur, nõ in se, sed in Domino: & nihil sibi conscius e
ait & Paul. ait, qui tamẽ pauloante Ecclesias deua
uerat. Sed quia talis cõscientia nõ ex homine est, id
additur: in hoc aũt nõ sum iustificatus, ut sciamus in
nocentiæ gloriationẽ, nõ esse iustificatiõis nostris u
bus partæ: sed alterius beneficio donatæ. Ita & alib
dicitur: Gloriatio nostra, est conscientia nostra: in m
bis quidẽ sumus conscij omniũ malorum, in Deo uer
quẽ per fidẽ possidemus, sumus omniũ bonorũ cõsci
Quod aũt Hiob nõ approbet amicorũ sententiã, iure
facit, neq; enim Deus adprobat, ut est capite ult. nam
quanq; ueras producant sententias, eas tamen sordi
dant carnali prudẽtia, & in Hiobem inique torquẽt.

ET HALITVS DEI IN NARIBVS &c.

Hoc est, donec anima uitalis mecũ fuerit, & ue
scar aura. Halitus enim Dei hoc loco spiritus est hu
manus, quo uiuimus, spiramus & respiramus, ut Esa
2. Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus est,
id est, nolite confidere in homine, qui uobis nihilo me
lior est, qui spirat & respirat, qui æque ac uos, fragi
litati & morti obnoxius est, in quem Esaiæ locum, ui
de doctißima Ioannis Oecolampadii præceptoris mei
ὑπομνήματα.

Ioan. Occol.

SI LOQVANTVR LABIA &c.

Iurantis est, ut sæpe Scriptura habet.

ERIT SICVT IMPIVS INIMIC. &c.

Hiob

Hiob iudicia Domini à se in aduersarios depellit, q.d. ego nihil mihi cõscius sum, nõ reprehẽdit me cor meũ: illi potius impij sunt, qui me impiũ calumniãtur: proinde, adflictiones in me inchoatæ, in caput impiorum mihi aduersantiũ, redundabũt. Solet enim iudicium Dei à sanctuario, ut Petrus ait: à ciuitate sancta, ut Hieremias habet, incipere, & in pphana redundare, hoc est, à pijs in impios: itaq; ait Hiob, nõ ego impius et iniquus sum, sed potius aduersarij mei, q et iudicũ Dei tandẽ experientur, utcunq; in me cœptum.

Iudicium incipit in sanctis & cõpletur in aduersarijs Dominus enĩ perdidit grauius oẽs gentes quæ adflixerunt Israelem.

QVAE ENIM EST SPES HYPOCRITAE &c. Hoc est, adflictio in me cœpta, in hypocritarum caput recidet: non enim constabunt in iudicio Domini, etiamsi nunc maxime uideantur suis bonis fidere, diripiunt enim bona pauperũ, egenos expilant, & non nisi auaritiã spirant: nam hypocrita infidelis est, quisquis autẽ sine fide est, charitatem non habet: proinde rapit, calumniatur, & exaturari nunq̃ potest, solus enim Deus ἱκανός ἐστι ἡμῶν ὅς ἐστι, qua sufficientia, si quis careat, non explebitur, nec diuitijs, nec honore, nec annis. Audi ergo impij hypocritæ, in Deo sufficientiã non habentis, iudiciũ: Deus, inquit, extirpaturus est animã eius. Lu. 12. Stulte, hac nocte animam tuã repetent à te, et quæ parasti, cuius erũt?

Infidelis, insatiabilis est.

NVNQVID CLAMOREM &c. Malus donum bonum à Deo conferri nõ potuit,

quàm spiritus orationis, quo ad Deum penetramus, enim ipso, quo oramus, exaudimur: & eo, quo Deus orare iussit, exaudituouem promisit, ut habe

Orationẽpec catorum non exaudit Deus

Esa. 65. Erit antequam clament, ego exaudiã, adhu illis loquentibus, ego audiam: & in Euangelio: Petite & accipietis. Cur igitur non exauditur impiorũ or tio? & in Psal. Precatur spiritus, ut oratio impiorum in peccatum fiat, quia sine fide & resipiscentia orãt, ut eorũ preces potius sint clamor, quàm oratio, nam de fideli oratione Psal. canit: Ad Dominũ cum tribu larer clamaui, & exaudiuit me.

AN SVPER OMNIPOTENTE.

Hoc est, impius in tempore tribulationis, nec inuocat Deũ, nec exauditur, etiamsi maxime eũ inuocauerit, quia caret fide, orationis medulla: porro, delectari in omnipotente, est in Deo pacẽ & conscientiã purã possidere, quanq̃ in mundo adflictiones ferantur, impius igitur, ut caret fide, ita caret gaudio & pace conscientiæ: non enim est pax, ut Propheta ait, impiis. Quod uero ait hypocritã nõ inuocare Deũ omni tempore, huc respicit, quod sit sine intermissione orandũ, ubi enim est fides, ibi oratio nunq̃ intermittitur, etiãsi qs aut dormiat, aut aliud agat: infidelitas uero nunq̃ orat, nisi ore, quæ oratio nubes penetrare nequit.

Docebo uos (quid sit) in manu Dei, quid ab omnipotente fiat, non cælabo.

Ecce

Ecce uos omnes prudentes uidemini, quare ergo sic uana loquimini?

Hæc est pars hominis impii a Deo, & hæreditas tyrannorum quam ab omnipotente adcipient. *Maledictiones impii.*

Si multiplicati fuerint filii eius, ipsius gladii peribunt, & nepotes eius non implebuntur pane.

Reliquiæ eius in morte sepelientur, & uiduæ eius non plorabuntur.

Si cõportauerit quasi puluerẽ argentum, & sicut lutũ præparauerit uestem.

Præparabit, sed iustus uestietur, & argentum innocenti diuidetur.

Aedificat domum suam sicut tinea, & sicut tabernaculum facit custos.

Si diues occubuerit, nõ rapiet (opes secũ) oculos suos aperiet, & nihil inueniet.

Adprehendẽt eum, sicut aqua, terrores, noctu surripiet eum tempestas,

Tollet eũ uentus orientalis, ut pereat, & rapiet eum tempestate, e loco suo.

Proiiciet eum, & non parcet, de manu sua fugiens, fugiet.

Plaudet super eum (irriſor) manibus ſuis, & ſibilabit ſuper eum de loco ſuo.

DOCEBO VOS &c. Veſtra opinione ô amici prudentiſſimi uobis uidemini, ſed ſtulti facti eſtis ἐν τοῖς μαλοσμοῖς ueſtris. Proinde, audite, docebo uos, quæ ſint iudicia, quæ ſit ſapientia Dei: nam etiamſi impij nũc benedicantur, ego uero adfligar innocens, hæc tamen eſt impij hominis pars, & hæc hæreditatem à Domino adcipiet, ut ſequitur.

SI MVLTIPLICATI FVERINT.

Filij impiorũ parentũ occiduntur.

Hoc iudicium, etiam manifeſte, impletum eſt, in poſteritate Saulis 1. Regũ 21. & Achab 4. Reg. 10. Sic enim in lege dicitur: uiſitans iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione.

ET NEPOTES EIVS &c.

Egeſtate adfligẽtur impiorum filij.

Sicut enim, de iuſtorũ filijs dicitur: Iunior fui & ſenui, & non uidi iuſtũ derelictũ, nec ſemen eius quærens panem: ita de impijs: ecce ſerui mei comedẽt, & uos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & uos ſitietis.

RELIQVIAE EIVS IN MORTE. Id eſt, quicqd ſupererit de impio, maledicitur, & perit uſq; adeo, ut & uiduæ, de progenie eius ſuperſtites, & eiuſdem impietatis hæredes non plorabuntur in morte, & nemo ſit, qui earum miſereatur, ſed abiectæ & contemptæ morientur.

SI CONPORTAVERIT QVASI PVL-

VEREM. Quod in lege dicitur: Domũ ædificabis & non habitabis in ea: plantabis uineam, & nõ uindemiabis eam, hoc loco, aliter effertur: Colliges nuncios, & parabis ueſtẽ, pius uero ijs utetur, ſolet enim Deus diuidere, alijs dona, alijs donorum uſum & lucrum: impijs largitur dona, pijs uero, donorũ lucrum aut uſum, ut diuitiæ donũ ſunt, earum lucrũ, eſt ſatis habere, propter hoc enim expetuntur opes: iam Dominus diſtribuit impijs diuitias, & addit ſolicitudinẽ: pijs uero, largitur tranquillã mentem, & animũ pauca contentum, auferens ab eis diuitias: ita & ſanitas expetitur, ut ſit mens ſana, in corpore ſano: impijs igitur datur ſanitas corporis, animo interim ægro: pijs uero, animi ſanitas, corpore omnibus malis affecto.

Impiorũ, donis utũtur pij

ÆDIFICAT DOMVM SVAM. Quãuis impius ædificet, nõ tamẽ durat, nõ benedicitur domus ſed cito perit, et iudicio Domini diſſipatur. Pro tinea Hebræus habet עש qđ Lutherus araneũ tranſtulit, uel ſic ſenſus, ædificiũ impij, eſt ueluti aranei tela, uel tineæ tugurioli, in corroſo ligno, quæ uel leui uento diſſipatur: præterea, domus impij eſt, ſicut tabernaculũ à cuſtode uinearũ & hortorũ ædificatũ, qđ aliq̃ diu durat, ſed poſt uindemiã, ſua ſpõte collabitur, aut à feris diripitur, Eſa. 1. Derelinquetur filia Sion, ſicut umbraculũ in uinea, et ſicut tugurĩ in cucumerario.

Domus impij deſolabitur, ita & ciuitates quæ p impietatẽ ædificatæ, aut ſeruatæ ſunt, peribunt.

SI DIVES OCCVBVERIT &c.

Impius suarũ opum, nihil secũ rapit, sed in iudicio inanis, uacuus & cõfusus, ab eis reliquitur: Morien enim homĩe, aut a Domino iudicato, nihil manet, nisi quod uel fide, uel infidelitate rapitur: fides rapit secũ omnia Christi bona, infidelitas omnia Satanæ mala. quid igitur insanimus in opes? quid in potentiã? nihil earum rerum nos hinc ad iudiciũ Dei comitatur, sed enim potius, sarcina, aut remora abeunti: nam qui cogitat se morituruũ, & interim opes, sanitatẽ, aliaq; huius mũdi bona curat: quid aliud facit, quã si quispiam leuiter incedere conetur, interim uero, in humeros sos adcumulet, subinde maiora atq; maiora onera?

Fides aut infidelitas effe rũtur ex hoc mundo.

Impedimenta morituroru bona mundi.

APPREHENDENT EVM &c.

Sicut aqua, id est, abundantissime noctu, nihil tale cogitantem: iudicium enim impiæ confidentiæ, & carnalis securitatis, est subitaneus interitus 1. Thess. 5. Quum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus.

TOLLET EVM VENTVS ORIEN.

Pro uento oriẽtali, apud Hebræos est קדים qui est uentus Eurus ab oriente flans, uehemens deuastator, Exod. 12. Abstulit mare Dominus, flante uento uehemente & urente. Commodissime igitur per uentum orientalem, urentem, intelligitur iudicium Domini graue, quo impios perdit, rapit, conculcat, ut nullus eis misericordiæ locus relinquatur.

DE MAN

DE MANV SVA FVGIENS &c.

Manus hoc loco, sunt auxiliatores & protectores: in iudicio aũt, suos etiãnum defensores impij fugiũt, usq; adeo pudefacit Dominus, impiorũ confidentiã.

PLAVDET SVPER EVM.

Hoc est, ridebũtur & subsannabũtur impij, Deut. 28. Eris in exemplum, & in parabolam &c.

CA. XXVIII.

ARgẽto est suus egressus, & est locus auro, ubi conflatur.

Ferrum de puluere sumitur, & lapis effunditur æs. *Puluis pro terra, Hebræo more.*

Finis cõstituitur tenebris, & omnem terminum quispiam inuestigat, lapidẽ caligine, & tenebris absconditum.

Erumpit torrens, ut nõ habitari, nec pedibus uadari possit, exhauritur ab homine, & mouetur.

De terra egreditur panis, & sub ea euertitur, sicut ignis.

(Aliquibus) locis, sapphiri lapides (inueniuntur) & glebæ auri.

Quam semitam non agnoscit auis, &

non aſpicit oculus uulturis.

Non calcant eam filii ſuperbi, nõ trã ſit ſuper eum Leo.

Ad ſaxum extendit (aliquis) manum ſuam, ſubuertit de radice montem.

In petris riuos effodit, & omne precio ſum uidet oculis eius.

Perplexa fluminum gyrat, & abſconditum educit ad lucem.

Sapientia uero ubi inuenitur? & ubi eſt locus intelligentiæ?

Non cognoſcit homo ſitum eius, & non inuenitur in terra uiuentium.

ARGENTO EST SVVS EGRESSVS.

Prioribus capitibus docuit Hiob, *hoc eſſe uerum ſapientiæ* Dei *myſterium, quod pios nũc adfligat, poſtea liberaturus: et impios nunc benedicat, in iudicio maledicturus: hoc uero capite docet, hanc profundam* Dei *ſapientiam, & abditum crucis myſterium non eſſe ad rationis humanæ regulas exigẽda: omnia enim alia, in rerum natura, quantumcunq; abſcondita, humano labore & induſtria, perueſtigari & æſtimari poſſunt: ſola uero* Dei *ſapientia, humano ſtudio & conatu, nec perueſtigabilis, nec æſtimabilis eſt. Argento inquit, ſua eſt uena, ſuus egreſſus: quamuis*

autem

autem lateat, argenti & auri uena, in abſconditiſſimis montium locis, inueniuntur tamen multo labore, & effoduntur opes, irritamenta malorum: ſimiliter ferrum, ut maxime in abditiſſimis terræ locis abſconditum ſit, reperiri poteſt, ſapientiam uero Dei, nullus uſquam humano ſtudio, inuenit.

ET LAPIS EFFVNDIT AES. AES, in medijs lapidibus latet, ſed ignis uehementia, lapides ipſos, uſq; adeo torquentur, ut ueluti flumen, æs effundant: nihil enim, in profundiſſimis tenebris latet, quod non improbo labore inueſtigari, & à tenebris ad lucem educi, queat: nam & lapis quiſpiam, quantumcunq; alte in terra abſconditus ſit, effodi poteſt, & in lucem produci.

ERVMPIT TORRENS, &c.

Aërem aiunt, terræ incluſum, frigore in aquæ guttulas cogi, quæ ſi in unum locũ cõfluant, fontem aut flumen fieri: quanq̃ igitur in altiſſima terra, aquæ guttulæ lateant, erumpunt tamẽ, & effundunt ſeſe in terram, ita aluei profunditate, ut eo loco nemo habitare, aut fundamẽta domorũ collocare, nec pedibus uadare poſſit, nec unq̃ ſic exhauriũtur, ut nõ pleno alueo fluant, q̃ũcunq; exhauſeris, nihil decreſcere uideatur.

DE TERRA EGREDITVR PANIS.

Semen in terram proiectum, profert nobis ariſtas & frumentum, in cibum: & eo loco, ſi paulo altius

terram effoderis, reperiuntur lapides, è quibus concussis, scintillæ ignis emicant, utrunq; igitur latet, & semen supra, & ignis in saxo infra, producuntur lumen in lucem.

ALIQVIBVS LOCIS SAPPHIRI.

Sapphirus ut Plinius scribit, aureis pũctis collucet, unde & hoc loco, Sapphíri lapides, glebæ auri dicũtur: inuenitur autẽ hic lapis preciosus, in absconditis locis, sapientiam uero Dei, reperire non licet.

QVAM SEMITAM, &c. Hoc est, quæ nũc enumerata sunt, ijs locis reperiũtur: ubi nec aues uolant, ut maxime inuita petere soleant, ubi nec catuli Leonũ, qui ob ferocitatem & truculentiam, filij superbi dicuntur: nec reliquæ feræ, deserti incolæ habitant, nihilominus tamen, multo labore & improbo conatu, inueniri possunt.

AD SAXVM EXTENDIT, &c.

Id est, etiam montes subuertũtur & subfodiũtur: nam & Isthmi angustias, nauigabili alueo, perfodere tentarunt, Demetrius Rex & Iulius Cæsar: sapientia uero Dei, nusquam è terra effodi potest.

IN PETRIS RIVOS EFFODIT.

Possibile est, ut quispiã in locis petrosis puteũ effodiat, aut riuulũ aquarũ: et breuiter præciosa quæq; in terra latentia, erui possunt, sapiẽtia uero nõ item.

PERPLEXA FLVMINVM GYRAT.

Possunt

Possunt & humano labore, perplexi fluminum alvei, altô auerti, & circumgyrari, ut quæ in profundo sint, conspici possint, ut sunt lapides precioſi, & aurum, sunt enim pleraq; flumina, aurum uehētia: in India, Pison uel Ganges, Gen. 2. In Asia, Pactolus: in Hispania, Tagus. In Germania Rhenus &c.

SAPIENTIA VERO VBI &c.

Secunda dissimilitudinis pars: quum omnia quantumcunq; abscōdita, humana ratione inuestigari possint, sola Dei sapientia, nec in terra inuenitur, nec è terra effodi, nec humanis uiribus inuestigari potest, neq; enim est homo, qui cognoscat uenam eius, id, quod de humana solum ratione intelligi debet: nam fides penetrat, etiam in abscondita Dei. 1. Cor. 2. Nobis Deus reuelauit per spiritum suum, spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.

NON COGNOSCIT HOMO &c.

Id est, reliqua omnia & inueniri & æstimari possunt, sola sapientia inæstimabilis est, neq; est ulla res, in tota rerum natura, cui possit sapientia Dei conferri, sola autem in Domino inuenitur, nobis autē offertur. VERBO, & PROMISSIONE, & accipitur FIDE, Iacobi 1. Si cui uestrum deest sapientia, Dominum postulet ab eo, qui dat, nempe Deo, qui dat inquam, Verbum omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Fides.

Abyssus dicit, non est in me, & mare, Sapientia.

dicit, non est mecum.

Non datur aurum pro ea, & non adpenditur argentū pro cōmutatione eius.

Nō æstimatur auro Obrizo, nec Onychino precioso, nec Sapphiro.

Non comparatur ei aurum, nec Adamas, nec cōmutatio eius uasa aurea.

Rhamoth & Gabis nō memorabuntur (præ ea) & æstimatur sapientia super Margaritas.

Non comparatur ei Topazius Aethiopiæ, auro puro non æstimatur.

ABYSSVS DICIT. &c.

Id est, sapientia, nec in profunditate terræ, nec in abyssō maris reperiri potest.

NON DATVR AVRVM PRO EA.

Sapientia Dei non emitur, nec æstimatur, uel auro, uel argento, uel lapidibus preciosis, tāta enim est Dei sapientia, ut nullis gemmis cōparari queat. Huc alludit Salomon Prouerb. 3. Melior est fructus sapientiæ, quàm argenti, & auri, prouentus eius uberiores sunt: præstat gemmis, & preciosa omnia uincit: eiusdem 8. Melior est sapientia margaritis, & omnia pretiosa non possunt ei cōferri: sic & Sapientiæ 7. Præposui, inquit, sapientiā regnis & sedibus: & diuitias nihil

nihil esse, in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius. Porrò, quæ de sapientiæ pretiositate dicuntur, Verbi Dei encomion sunt, Dei enim sapientia, est Verbum. Pro auro Obrizo, habet Hebræus זהב אופיר quod est aurum pretiosissimũ, ex Ophir allatum 3. Reg. 9. Misit Hirã seruos suos, cũ seruis Salomonis, qui cũ uenissent in Ophir, sumptũ inde aurũ, quadringentorum uiginti talentorum, detulerũt ad Regẽ Salomonem, unde quod nos uocamus Obrizũ, dictum esse uolunt quasi Ophrizũ. Est autẽ Ophir filius Iaketan, qui cũ liberis suis Gangem Indiæ flumen, & terrã illi proximam possedit, ut est Gen. 10. unde & regio Ophir, ab eo nomen adcepit. Onyx quem Hebræus שהם uocat, lapis ille est, qui inuenitur in Gange, Indiæ fluuio, ut est Gen. 2. de quo uide Plinĩ 37. capite 6. Pro Adamãte Hebræus habet יהלם quod quidã adamantem, quidam uitrum cristallinũ interpretatur, à transparentia & puritate dictũ: nam יהל mundari significat. Ramoth & Gabis Hebræa sunt uocabula, de quibus scribũt, qd' sint duo pretiosissimi lapides, pro Ramoth uetus tralatio Ezech. 27. uertit, Sericũ sic forte dictũ à pretiositate, nam רום significat exaltauit. De Topazio uide Plinĩ lib. 37. capite 8.

Sapientia dei Verbum.

Vnde igitur sapientia uenit? & ubi est locus intelligentiæ?

Abscondita est ab oculis omnium uiuentium, & a uolucri cœli tecta est.

Perditio & mors dixerũt auribus nostris, audiuimus famam eius,

Deus intelligit uiã eius, & ipse agnoscit locum eius.

Quoniam ipse fines terræ adspicit, omnia quæ sub cœlo sunt uidet.

Vt faciat uento pondus, & aquas ordinet in mensura.

Cum faciebat ipse pluuiæ præceptũ, & uiam fulguri sonanti.

Tunc uidit & numerauit eam, præparauit & inuestigauit eam.

Et dixit homini, ecce timor Dñi est sapientia, & fugere a malo est intelligẽtia.

VNDE IGITVR SAPIENTIA &c.

Si nõ reperitur sapientia in terra, nec in mari, nec uspiam inter homines, nec in cœlo uolatilium domicilio: ubi ergo inuenitur? abyssus dicit, non est in me: mare aut, non est mecum: sic & perditio, id est, infernus, ac mors dicunt, audiuimus famam eius, hoc est, nec nobiscum est sapientia, sed tamen audiuimus, Deũ

solum

solum nosse uiam sapientiæ, & locum eius. Quod uero perditio & mors nesciant sapientiã, & tamẽ audiant famã eius, hunc habet sensum, quia ad sapientiã Dei nõ peruenitur, nisi morte & perditione, hoc est, abnegatione suarũ uiriũ, ut Christus ait: Qui uult me sequi, abneget semetipsum. Et ut primus gradus ad uitam, mors est (nisi enim granũ frumenti in terrã proiectũ, mortuũ fuerit, fructũ nõ feret) ita ad sapientiã Dei, primus gradus est, stultitia: ad cœlũ, infernus, ut Paul. ait: Postq̃ in sapiẽtia Dei, non cognouit mũdus per sapientiã Deũ, uisum est Deo, per stultitiã prædicationis, saluos facere credentes. Nisi forte pro perditione & morte, intelliges damnatos mortuos, & desperatæ spei homines, hi enim audiũt famã sapiẽtiæ, hoc est, gloriari solent de sapientia, quasi eam soli scirent, & intelligerẽt: at longe aliter se res habet, nam solus Deus intelligit uiam sapientiæ, ut sequitur, prior tamen sententia mihi multo magis arridet.

Mortificãda caro, si ad sapientiam cõscenditur.

DEVS INTELLIGIT VIAM EIVS.

Hæc sunt inferni & mortis uerba: nobiscũ, inquiunt, non est sapientia, sicut nec in abyssо, nec in mari, sed tamen audiuimus de ipso famam, hanc scilicet, quod solus Deus intelligat sapientiæ uiam, & agnoscat locum eius, hoc est quod alibi Christus ait: Solus pater nouit filium (siquidem sapiẽtia Dei est Verbũ, seu filius eius) & rursus: Nemo nouit patrem, nisi fi-

lius, & cui uoluerit filius reuelare: proinde, si quis piat sapientiam Dei, in mysterio crucis abscondita cognoscere, filium aspiciat oportet, in quo discimus ueram crucis rationem: nam per Christū, omnis cr benedicta est: & quicunq; in eum crediderit, inso patitur, quidquid aduersitatū patitur: adhæc, in Ch sto crux, est resurrectionis proœmiū: usq; adeo nō p test humana ratione, impietas & perditio, ex adsti onibus probari, id qd' hactenus conati sunt amici.

Sapientia dei sub cruce.

QVONIAM IPSE FINES TERRAE ASPICIT. Hæc sunt, inquit Hiob, sapientiæ Dei, id est, Verbi, opera. Ex operibus enim inuisibilia Dei fiunt uisibilia, per Verbum aspicit, hoc est, gubernat & conseruat omnes fines terræ. Ordinat per Verbū (Deus) ut uentus suum habeat pondus, & aqua suā mensuram: omnia enim creauit Deus in numero, pondere, & mensura.

CVM FACIEBAT IPSE PLVVIAE. Idem planè locus est Prouerb. 8. proculdubio hinc desumptus: Dominus, inquit, possedit me initio uiæ suæ, ante opa eius erā, nondū fecerat terrā et fines eius, et uertices puluerū orbis, cū cœlū erigeret ibi ego erā, cū circulū cōstitueret abyssō, cū nubes desuper formaret &c. hoc est, ut breuibus explicē, Verbo, qd' est sapientia Dei, oīa creata sunt, Psal. 148. Ignis, grando, nix, spiritus procellarum, quæ faciunt Verbum eius.

ET

ET DIXIT HOMINI &c.

Vt per sapientiam Verbi, omnia creata & dispositasunt, ita p eandē, recreatur & regeneratur homo: nam quicūq; crediderit, uerae sapientiae particeps est, sapientiae uero particeps, timet Dominū: qui uero Dominū timet, uitat malū: proinde, ut etiā est Prouerb. 1. Timor Domini, est initium sapientiae, quae sola fide non humano captu inuestigari potest.

CAP. XXIX.

ET addit Hiob, assumens parabolam suam dicens,

Quis dabit mihi (ut sim) secundū menses priores, secundum dies (quibus) Deus custodiuit me.

Quando splēdebat lucerna eius super caput meum, quando ad lumē suum ambulabam in tenebris.

Quemadmodū eram in diebus adolescentiae meae, quando absconditum Dei erat super tabernaculo meo.

Dum adhuc omnipotens mecū erat, in circuitu meo adolescentes mei.

Dū lauabam gressus meos in butyro,

& petra fundebat mihi riuos olei.

Dum egrediebar portam in ciuitat
& in platea parabant sedem meam.

Videbant me adolescentes, & absco
debantur, & senes assurgentes, stabant

Dum Principes cessabant in sermo
bus, & manus ponebant ad os suum.

Vox Principum abscõdebatur, & lin
gua eorum maxillis adhærebat.

Auris audiens beatificabat me, & ocu
lus uidens testimonium, reddebat mihi.

QVIS DABIT MIHI VT &c.

*Vt certo, non tam amici, quàm totus mundus co
gnoscat, Hiobem sine causa, & extra peccati meritũ,
adflictum esse, confert nunc Hiob, ijs sequentibus ca
pitibus, priorem fœlicitatem, cum præsenti maledi
ctionis supplicio, & recenset uitæ suæ anteactæ cata
logum, quo tacite, amicos suos, calumniæ & menda
cij arguit: iam ut dulce est in prosperitate, priorũ me
minisse laborum, ita grauissimũ est in fœlicitate mem
nisse prioris fœlicitatis, optãdo igitur ait: utinã mihi
possent rursum, priores uitæ meæ dies cõtingere, qi
bus fœlix eram, quibus propitiũ habebã Deum &c.*

QVIBVS DEVS CVSTODIVIT ME.

Quasi diceret, nunc dereliquit me Deus, quẽ quõ

dam

lam multis beneficijs adficiebat, & summa cura, ab omnibus aduersarijs custodiebat. Custodit aũt Deus, quando non tam beneficijs externis, quàm Verbo suo presens est, quod Verbũ, uera lucerna, & lumen ad ambulandũ in tenebris, dicitur. Psal. 118. Lucerna pedibus meis, Verbũ tuum, & 2. Pet. 1. Habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendẽtes, quasi lucerne, lucenti in loco caliginoso. Verbum Dei lucerna.

QVANDO ABSCONDITVM DEI ERAT &c. Absconditum Dei, est Euangelion, mysterion ab æterno tectum, quod iam inde à conditu orbis, in cordibus piorum lucebat: optat igitur Hiob, ut rursus reueletur cordi suo Euangelion, quod aliquando, in hoc mortis iudicio, ex oculis eius ereptũ erat, & nudus ante tribunal sistebatur. Potes & per absconditũ, intelligere, tacitam Dei prouidentiã & curam, qua pios ab omnibus aduersarijs defendit.

DVM LAVABAM IN BVTYRO. Id est, dum omnia in tabernaculo meo superabundabant: butyrum enim & mel, abundantiam bonorũ significant, neq; enim est, quod intelligas Hiobem, tã stulte egisse ut pedes suos in butyro lauerit, sed hac prouerbiali facie, explicatur omniũ rerũ plenitudo.

DVM EGREDIEBAR PORTAM. Τὸ τύπωσις, est, qua Hiob sub oculos subijcit bonã, moderatiq; principis εὐκόσμια, & populi obedien-

tis obseruantiam: quanta autem Hiob authoritate, i
ter suos præditus fuerit, uel hinc æstimare potes, q
adulescentes, à conspectu eius fugerint (hæc enim
puerorum disciplina) quod senes in eius honorem
surrexerunt, id quod ciuilitatis est.

DVM PRINCIPES CESSABANT.

Commendat & sermonis prudentia, Hiobem, lo
quente enim eo, omnes Principes & sapientes tace
bant, & sapientiam sermonum eius admirabantur.
Parũ est, ingẽtes camelos possidere, & multas ouis
hæc demũ magna Dei benedictio est, ab omnibus col
& obseruari.

AVRIS AVDIENS BEATIFICABAT.

Id est, eram populi sermo, ubiq; prædicabar fœlix &
beatus, publica omniũ fama & laude cõmendabar.

Quia liberabam pauperem a clamore & pupillum, cui non erat adiutor.

Benedictio pereuntis super me uenie/bat, & cor uiduæ lætificabam.

Iusticia uestis mea erat, & uestiebat me sicut palliũ, & amictus iudicium meum.

Oculus eram cæco, & pes claudo.

Pater eram pauperũ, & causam quam ignorabam, inuestigabam eam.

Conterebam molas iniqui, & de den/

tibus

ibus suis, auferebam rapinam.

Et dicebam, in nido meo peribo, & quasi harena multiplicabo dies

Radix mea germinabat apud aquas, & ros pernoctabat in messe mea.

Gloria mea renouabatur mecũ, & arcus meus in manu mea mutabatur.

Me audiebant, & expectabant, & silebant ad consilium meum.

Post uerbum meum nihil iterabant, & super illos stillabat eloquium meum.

Et expectabant me tanquam pluuiam, & ore suo hiabant (quasi) ad pluuiam serotinam.

Si arridebam eis, non credebant, & lumine faciei meæ non deiiciebantur.

Si elegeram uias eorum, primus sedebam, & habitabam, sicut rex in exercitu, tanquam mœrentium consolator.

QVIA LIBERABAM PAVPEREM.

Recenset Hiob, pietatis opera, non quia de sua iustitia glorietur, sed ut doceat, quæ sint uera fidei opera, & declaret amicos iniuste iudicare, quod dicant eum, iure & peccati merito, adflictum esse. Itaq; &

Officium boni Principis, non superstitiosi.

ex hoc loco discε, quis sit genuinus fidei fructus, quod sit pij Principis, qualis Hiob fuit, officium, nam enim aut, audiui quotidie MISSAM, orauι quinquies orationes Brigittæ, peregrinatus sum ad Diuum Iacobum, institui nobilia sacrificulorum collegia, & id genus superstitionum alia: sed inquit, liberabam pauperem à clamore, pupillum adiuui, oculus fui cæco, pes claudo, pater pauperum &c. Quantum autem flagitiũ sit, pauperis clamorem negligere, docet spiritus sanctus, Prouerb. 21. Qui obdurat aures ad clamorẽ pauperis, ipse clamabit, & nõ exaudietur.

BENEDICTIO PEREVNTIS.

Beati misericordes.

Mira efficit charitas, nam si pereuntem, pro charitatis ratione tractaueris, & à perditione liberaueris benedictionem iugem in corde eius habes, etiamsi ipse impius fuerit. Deut. 24. Si pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei, ante solis occasum, ut dormiens in uestimento suo, benedicat tibi, et habeas iusticiam coram Domino Deo tuo, Eccle. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipse pro te exorabit ab omni malo.

IVSTICIA VESTIS MEA &c.

Iusticia est, qua innocẽs liberatur: iudiciũ, quo nocens punitur: hæc igitur duo iusticia et iudiciũ, sunt uestis regalis uestis, quæ principẽ ornãt: sunt & sacerdotales uestes, Psal. 131. Sacerdotes tui induantur iusticia.

OCVLVS

OCVLVS ERAM CAECO.

Quia in lege dicitur, Leuit. 19. Non maledices surdo, nec coram cæco ponas offendiculum.

ET CAVSSAM QVAM IGNORABAM. id est, non præceps, non muneribus excæcatus, sententiam in controuersijs pronunciabã, sed prudentia & consilio, omnes causas tractabam: nam ut Thucydides inquit, νομίζω λύσιτελεῖν τάχος τε τῇ ὀργῇ, id est, puto tuto maxime contraria esse consultationi, præcipitantiam, & iram.

CONTEREBAM MOLAS id est, coherebam iniquorum conatum & tyrannidem, qua pauperes opprimebant: hoc enim boni Principis munus est, parcere subiectis, & debellare superbos.

ET DICEBAM IN NIDO &c. Pollicebar mihi securitatem, & longos uitæ dies: solemus enim nobis propter præsentem fœlicitatem, multam & egregiam requiem polliceri, sed ecce subita & inspecta oritur calamitas, nusquam enim in hoc mundo tua requies est, nec cogitat quis, se in hoc seculo quicquã pacis, præter quã in fide possessurum, quando non habeamus hic manentem ciuitatem.

RADIX MEA GERMINABAT. Benedicebãtur fruges meæ, Deute. 28. Nam Dominus patres etiam carnaliter benedixit, ut discamus benedictiones spiri

tuales nobis affatim futuras, si in fide perduremus.

GLORIA MEA RENOVABATVR.

Subinde crescebat gloria mea, & mutabatur arcus, hoc est, augebatur potētia & matestas mea. Gloria quidem humana, non est quærenda, ut ait Hiere. Humanum diem non quæro: honeste tamen uiuendū est, tum quod ratio fidei hoc postulet, & secum ferat, tum ne nomen Dei quod profitemur, inter gentes male audiat, propter nos.

ME AVDIEBANT ET EXPECTABANT. Id est, sermonem meum, omnes ueluti oraculum excipiebant, nemo meam sententiam retractabat, sed ab omnibus obuijs, quod aiunt, ulnis, & manibus, suscipiebatur: quod enim pluuia est arido & sitienti agro, hoc sermo & consilium meum erat omnibus tam maioribus, q̄ minoribus.

SI ADRIDEBAM EIS. Nouum erat & mirandum, si quando adridebam eis, usq; adeo me uenerabātur, siue ioco, siue serio colloquebar. Et lumine, id est, lætitia faciei meæ, ita nō deijciebātur, ut nunq̄ magis mente sua exhilarabātur. Non credebant, id est, nihil tale expectabant aut suspicabantur, eo igitur gratius erat eis, quo minus expectatum.

SI ELEGERAM VIAS. Id est, si forte ad eos diuertebar, primos accubitus habebam, & nō aliter ab ipsis cinctus eram, quā rex à suo exercitu, quā

doquidem

doquidem *suspiciebant me omnes, tanquã mœrentiũ consolatorem, & pauperum auxiliatorem.*

Ex his omnibus authoritas Hiobis cõmendatur, ut discamus, quãto honore Dominus pios interim celebret: ex sequẽti uero capite docemur, quãta eos cruce opprimat, ut probẽtur: oportet enĩ pios ex utraq; parte dextra et sinistra, exercitatos esse, ut Paul. ait 2. Cor. 6. Per arma iusticiæ, dextræ et sinistræ, per gloriã & ignominiã, per conuitia & laudes, & alibi Phil. 4. Noui humilis esse, noui & excellere, ubiq; & in omnibus institutus sum, & saturari & esurire, & abundare, & penuriam pati.

CAP. XXX.

NVnc uero deridẽt me iuniores tempore, quorũ reiecissem patres nec posuissem cum canibus gregis mei,

Quorum uirtus manuum quid mihi? cum ipsis peribat senium,

Præegestate & fame solitarie fugiebant ad desertum, hesternam pressuram & consternationem.

Euellentes urticam circa arbustum, & radix Iuniperorum cibus eorum.

Et cum de interiori euulsissent, iubi
bant super ipsam quasi fur.

Prope terribiles torrentes habitabi
in speluncis terræ & petrarum.

Inter arbusta uociferabantur, inte
sentes congregabantur,

Filii stulti, & filii nullius nominis, qu
humiliati sunt de terra.

Nunc cithara eorũ factus sum, & sum
ipsis ad fabulam.

Abominantur me, receduntame, &
coram facie mea non cessant spuere.

In rebus mundi nihil non caducum.

NVNC DERIDENT ME. *Ante, qua au-
thoritate inter homines præditus fuerit, & qua be-
dictione Domini adfectus, disseruit Hiob: nunc doce
quanto contemptu ab hominibus, & quanta male
ctione à Domino tractetur. Est autem hoc in nostri di
ctrinam scriptum, ut discamus, nihil in toto mundo
quãtumuis excellens, constare: sed omnia pessumire,
nam & cœli & terra peribunt, quanto magis gloria
authoritas, & fœlicitas carnalis? Esa. 40. Omnis ca-
ro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, peri
ergo, inquit Hiob, omnis mea authoritas: nunc enim
rident me abiectissimi quiq; : nam Domino irridente
nos omnia derident, quamq; fieri potest, ut nihil tale
extrin-*

extrinsecus fiat, sic tamẽ fieri, homini à Deo derelicto uidetur, Deut. 28. Eris in exemplum &c.

QVORVM PATRES. Quam gloriosus & celebris antea fuerim, iam satis declaratũ est in priore capite, nũc uero subsannant me abiectissimi, quorũ patres, uix canibus gregis mei præposuissem, qđ nos solemus dicere, indigni, qui matellã porrexissent, aut porcos pauissent, aut calciamẽtorũ corrigia soluissent.

QVORVM VIRTVS MANVVM &c. Hi me nunc contemnunt, quorum potentia & fortitudo collatis etiamnum omnibus suis uiribus, nihil mihi potuissent cõmodare, quorum auxiliũ ne optassem quidem, quando abiectiores erant & miseriores, quam ut in senectutem præ fame & egestate peruenire potuissent, horũ inquam filij, nunc me naso suspẽdunt adunco, & mandant laqueũ, mediumq; ostendunt unguem.

PRAE EGESTATE ET FAME &c. Rident me, qui pressuram & torturam, eorum capitis nuper à creditoribus imminentem metuentes, & egestate compulsi, in heremum sese absconderunt, ut uel urtica, uel radice iuniperorum uescerẽtur, quibus inter homines ne cibus quidẽ suppetebat: hesterna pressura & cõsternatio, est imminẽs exactio à creditore, qua fugiũt miseri. Pro urtica Hebræus habet מלוח qđ herbã esse scribunt amarã, hinc suspicãtur urticã

esse, qualiscũq; autem sit, certũ est, hanc herbam i
uilem & contemptibilem cibũ, quales apud Hes
narrantur malua & asphodelus, pauperum deli
ET CVM DE INTERIORI EVVLS
SENT. Vel hinc æstimare potes illorum egest
quod pro desperatione, non Sybariticam aliquã m
sam adpetebant, sed euulsa forte iumperi radice, a
nacta uili malua, Ambrosiam putabant, & ut fore
surreptis numulis, ac iam securi, ingenti afficiunt
gaudio, ita hi inuenta urtica, aut Asphodelo, mirũ i
modum iubilantes exultabant, perinde ac si bonor
omnium thesaurum inuenissent.

PROPE TERRIBILES. Hoc est, non soli
ciborum indigi sunt, sed etiam carent domo, ac labo
ribus, exulant abiecti à patria, habitãt in locis incul
tis & horridis, in speluncis terræ, in fissuris petrarũ,
adeoq; conueniũt inter arbusta, inter sentes: hæc e
sunt magnifica eorum prætoria, hæ sunt sublimes e
rum aulæ, in quibus consilia sua cogunt. Hi inquam,
stultorum filij planè inglorij, & uix triobulares, m
nunc contemnunt & rident, ut sequitur.

NVNC CITHARA EORVM FACTV
SVM. Quid miserius & calamitosius cogitari p
test, q̃ quod antea tã celebris fuerim, et nũc expositu
sum uilissimorũ hominũ contẽptui: horũ. n. cithara e
fabula factus sum, de me ridicule canũt, de me conuiõ
ptan

ptius loquũtur, quoties me uiderint, ueluti ſpectrũ alĩ quod infauſtũ abominãtur, et quod contẽptibilius eſt, in me expuunt, nihil ꝓrſum deterriti priori maieſtate.

Quoniam neruum ſuũ adperuit, & humiliauit me, & frenũ in os meũ miſerũt.

Ad dexteram qua germinabam inſurrexerunt, pedes meos excuſſerunt, & conculcauerunt me (quaſi) ſemitam quam perdere (conabantur).

Diſſipauerũt ſemitam meã, ut calamitate afficerer, ꝓmouerũt, nullo adiutore.

Quaſi per aperturam latam irruerũt, in tumultu irruperunt.

Verſi ſunt ad me terrores, pſecuti ſunt ſicut uentus liberalitatem meam, & ſicut nubes tranſiens, ſalutem meam.

Et nunc ſuper me effunditur aĩa mea, adprehenderunt me dies doloris mei.

Noctu oſſa mea confodiuntur in me, & perſecutores mei non eunt dormitũ.

Multitudine roboris mutatur ueſtitus meus, quaſi foramine induſii mei adcingunt me. Proiiciunt me ad lutum, & æſtimor ſicut puluis & cinis.

QVONIAM NERVVM SVVM APERIIT. Rationem reddit Hiob, cur sic ab omnibus, non tam hominibus, quàm creaturis rideatur, quia, inquit, Dominus mihi contrarius est, ideo omnia mihi cõtraria fiũt: Dominus aperuit neruum suũ, sagitta sua infixa est mihi, & confirmauit super me manum suam. Neruum autem & sagittas Domini, potẽtiam eius intelligas, qua, calamitatibus & mortibus nos obruit. ET FRENVM IN OS MEVM. Qui sunt qui miserũt frenũ in os? uel Synecdochicôs Dominũ Deum intellige: uel Arabes, qui Hiobis armenta abegerant, est autem crux capistrum illud, quo cohibemur à cupiditatibus nostris, & erudimur ad uoluntatem Domini.

AD DEXTERAM QVA GERMIN.

Tentatio à dextris.

Duplex est tentatio, à dextris, & à sinistris. A dextris tentamur, quum abundãt carnis fœlicitates, sanitas, diuitiæ, maiestas, & gloria, quæ tentatio ut carni adceptissima, ita periculosissima est. Irruerunt igitur ad dexterã Arabes Hiobis aduersarij, hoc est, spoliauerunt eum diuitijs: & omnem gloriã eius cõculcauerunt.

A sinistris tentamur.

Tentamur & à sinistris, cruce, adflictione, & id genus malis, sed securius & minori periculo: citius enim cruce erudimur, quàm quod ea perdamur.

PEDES MEOS EXCVSSERVNT.

Vide admirandam humanæ sortis uarietatem: habebat

bebat quondam Hiob cathedras in templo primas, et in foro salutationes, nũc ne incedere quidem licet: sed è sublimi præcipitatur, & pedibus cõculcatur, quasi lutum & excrementum.

DISSIPAVERVNT SEMITAM &c.

Hoc est, omnes uias meas, omnes conatus, omnia studia conculcant & dissipant aduersarij, idq; tam facile, ut nullo egeant auxiliatore: solet enim Dominus impios iuuare, donec iustos persequãtur & occidãt, etiam nullo adiutore, id quod in Christo uidemus factum. Ex hoc aũt loco, primũ discere oportet, quod Domino iuuante, nemo nobis uel capillum de capite mouere possit: dein, quod Domino recedẽte, cuuis libidini pateamus, ut enim Christus, priusquã hostibus suis, pater adnuerat, semper elapsus est insidijs & laqueis Iudæorũ, postea uero quàm adnuerat pater, preualuit in eum impiorum potestas, nullo ferè adiutore. Ita Hiob, ab initio undequaq; munitus erat Domini benedictione, usq; ad Satanæ inuidiam, postea uero, aduersarij potestati traditus, uincitur nullis propemodum uiribus.

QVASI PER APERTVRAM.

Hoc est, undequaq; expositus sum periculis & libidini aduersariorũ. Vel si de Arabibus intelligere uoluerit, hanc habet sententiam: quanq̃ habuerim ciuitates muris & propugnaculis probe munitas, irruc-

Dominus fortissimus murus, & exercitus ualidus resipiscentia ab iniquitate.

erunt tamen Arabes in regionem meam, perinde ac nullis muris cincta fuisset, & quasi per aperturā latam, id est, maceriam dirutam, usq; adeo nihil profuerit murus, Domino iudicante: & rursus, prodest nonnunquam sepes Domino protegente. Igitur hoc solum curandum est, ut habeamus Dominum propitium.

VERSI SVNT AD ME TERRORES.

Hoc est, etiam si irruerint tumultu, in meam regionem Arabes, non tamen dolenter hoc tulerim, Dominus enim dedit, Dominus abstulit: sed nūc postquā Dominus à me recessit, ecce irruūt super me terrores, qui quasi uehemens uētus, dispellūt & auferūt à me omnem animi mei libentiam, qua antea, tot calamitates sufferebam. Pro liberalitate Hebræus נדיבת. quod significat munificentiam, & animum spontaneum, quo quis res suas liberaliter dispensat.

ET SICVT NVBES TRANSIENS.

Postquàm Dominus à me recessit, etiam abijt quicquid erat in me salutis, & sicut nubes trānsiens, id est, uelocissime, recessit à me omnis constantia.

ET NVNC SVPER ME EFFVNDITVR ANIMA. Id est, contabesco, consumor, deficio, & diffluūt uires animæ meæ, propterea quod undiq; dolores me apprehēderint. Sic Psal. 41. Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam, id est, dum recordabar adflictiōis, et irrisionis, qua aduersarij me illudebant

debant, dicentes: ubi est Deus tuus? quando auxilia-
tur tibi? tũc effudi in me animam meam, id est, conta-
bui, & intra me defeci, omnibus uiribus destitutus.

NOCTV OSSA MEA CONFODIVN-
TVR. Quæ antea passus sum per Arabes, nullius fe-
re momenti sunt, præ illis quibus nunc adfligor, nunc
enim iudiciũ Domini cõturbat, ueluti effodiẽs omnia
ossa mea, non tam interdiu quã noctu, quo tempore so-
lent homines à labore interquiescere, mihi uero, nul-
lum planè quietis tempus conceditur, Psal. 30. Infir-
mata est in iniquitate, uirtus mea: & ossa mea conta-
buerunt. Adhæc persecutores mei, hoc est, uel crea-
turæ, uel Deus ipse, nunq̃ remittunt supplicium, sed
magis atq; magis, omnes uires meas concutiunt.

MVLTITVDINE ROBORIS.

Hoc est, tanta tyrannide adfligor, ut calamitas me
undiq; ueluti uestimentum circundet, adeoq; arcte me
complexa est, ut eam excutere nullis uiribus possim,
quemadmodum enim induſiũ à collo & humeris pen-
dens, totũ ferè corpus cingit, ita calamitas me totũ si-
bi uendicauit, à uertice usq; ad plantam, ut & Psal.
37. ait: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.

PROIICIVNT ME AD LVTVM &c
Id est, conculcor ὡς περικάθαρμα & ὡσεί-
χημα τοῦ κόσμου. Porro ubi nos habemus puluis
& cinis, apud Hebræos uenusta est alluſio nominũ ſi
militudine עפר ואפר

Si clamauero ad te, non exaudis me, si stetero (coram te) non animaduertis super me.

Mutatus es mihi in tyrannũ, robore manus tuæ odisti me.

Eleuas me ad uentum, uehens me, & liquefacis me efficaciter.

Proinde agnoui, quod morti trades me, & domui constitutæ omni uiuenti.

Veruntamen non in foueam mittet manum, nec in destructione eius propter illas (adflictiones) clamabitur.

An non fleui in duro die, compatiens animo meo egeno?

Bonum expectaui, & uenit malum, expectaui lumen, & uenerunt tenebræ.

Intestina ebulliunt, & nõ cessant, præuenit me dies doloris mei.

Tristis incedo nulla ira (affectus) consurgens in ecclesia clamo.

Frater sum Draconum, & socius filiorum Struthionis.

Pellis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ æstu.

Et facta

Et facta est ad luctum cithara mea, & organum meum ad uocem fletus.

SI CLAMAVERO AD TE &c.

Dominus promisit se exauditurũ, quotquot ipsum in fide inuocauerint: petite, inquit, & accipietis: qd ergo Hiob clamat & nõ exauditur? quia derelictus à Domino, suspicatur se non exauditurum: etiamsi ex fide clamauerit, propterea, quod exaudition is sensum, non mox experiatur, semper enim Deus exaudit in fide clamantes: nec unq̃ pijs propinquior est, q̃ in media derelictione & necessitate. Et ut hoc loco Hiob, ita & Christus in cruce clamauit: Deus meus ut quid me dereliquisti? nõ audis? nõ iuuas me? nam Christus hanc carnis nostræ desperationem, qua existimamus nos in medijs malis nõ exaudiri, in suos humeros, quẽ admodũ & alios humanos morbos transtulit, ut eam uinceret, & nos in ipso uinceremus: nisi enim Christus hanc blasphemiã, carni nostri agnatã, in cruce uicisset, nemo propter eam è faucibus inferni liberari posset. Certo autem semper, fidei oratio exauditur, sed exauditionem nõ continuo manifestat Deus, scilicet ut pbetur fides nostra, & fortior cõfirmetur.

Domĩus semper exaudit fidelẽ oratorem, sed non continuo reuelat.

SI STETERO &c.

Cum ipso, inquit Dominus, sum in tribulatione: sed ecce diuersum, orta tribulatione, abscondit Deus caput suum, ne uspiam uideatur: accusat ergo Hiob

Dominum mendacij, quod contra promissionẽ suam, eo magis recedat quo magis adfligat, nec adflictũ uel aspectu dignetur. In his autem inferni flãmis, nõ est ullum certius asylum, quàm promissionis Verbo constans hærere: & interim expectare Dominum, donec potentiam Verbi & energiam reuelauerit.

MVTATVS ES MIHI IN TYRANNVN

In lege pollicetur Deus, se facturũ misericordiam millibus, timentibus eum, & custodientibus mandata sua: longe uero aliud, uel ipsa experientia adparet, nam & Hiob custodierat mandata Dei, sed tamẽ nõ sentit Deũ, nisi crudelem tyrannũ: Sic enim Deus natura bonus & beneuolus, adparet homini cõdẽnato.

ROBORE MANVS TVAE ODISTI ME

Hoc est, promisisti quidẽ te mihi fore patrem, sed nũc ostendis te osorem mei: quo? Robore manus tuæ, id est, tyrannide, adflictione, & alijs malis: sic enim lex indicat Deute. 28. & Leuitt. 26. Ergo odit Deus, quemcunq; afflixerit? Ita carni uidetur, & sic disputant amici Hiobis. Longe uero aliud spiritus iudicium est. Nam ex lege discimus adflictiones & cruces, esse maledictiões, Maledictus enim est, att lex, omnis qui in ligno pendet: sed ex Euangelio agnoscimus, maledictiones illas in benedictiones, per Christũ uersas esse: ut crux solis impijs sit maledictio, pijs uero benedictio: quod uero Hiob hoc loco ex adflictione conij-

Legis maledictiones p euãgelion sunt benedictiões

ciat

ciat odium Dei, pro carnis & sensus ratione, nõ pro spiritus prudẽtia, loquitur: qui enim Dominum Deũ suum perdiderit, non potest non iudicare ex adflictione, Deum tyrannum esse.

ELEVAS ME AD VENTVM &c.

Id est, pro libidine tua tractas me, nunc huc, nunc illuc impendens, quemadmodum pluma uento agitatu, non rectâ propellitur, sed susq; deq; rapitur.

LIQVEFACIS ME POTENTER &c.

Id est, dissoluis omnes uires meas, quæ diffluunt, quasi cera igne liquefacta. Est autẽ & hoc impiorũ iudicium, Psal. 67. Sicut deficit fumus, deficiunt: & sicut fluit cera à facie ignis, ita pereunt peccatores à facie Dei: sed illo afficitur Iob pius, quia pij in hoc seculo sustinent malorum supplicia, & impij bonorum benedictiones, donec Dominus ad iudicium uenerit, daturus unicuiq; iuxta opera sua.

PROINDE AGNOVI QVOD MORTI TRADES ME. Sic ludis mecũ, ut facile conijciã, mihi moriendũ esse, uideo mortem ob oculos positã, & eam domum mihi apertam, quæ omnibus uiuentibus parata est. Ea autẽ domus est MORS, unicuiq; decreta: uiuendi enim principiũ, moriẽdi initium est, & ut dicitur, in primo pulmento, mortẽ deuoramus. Mors oĩm uiuentium domum, Porrò, hanc generalem omnium uiuentium conditionem, nõ infringunt paucorũ priuilegia, ut de Enoch mus,

& Helia legimus, & de his, qui ab ultimo iudicij tu uiui reperientur, de quibus Paul. scribit 1. Thess. 4. Non omnes moriemur, omnes tamen immutabimur.

VERVNTAMEN NON IN FOVEAM.

Desperatis infernus redemptio uidetur,

Id est, si omnino mihi in hac uita, nulla spes reliqua est, confido tamen Deum, non missurum manum suam ad inferni foueã, id est, uel post mortem quieſcã, à dira tyrannide Dei liberatus: & uel illic cõsolationẽ et quietus locũ habebo, ubi nullus est clamor, ppter ea lamitates, ubi impij cessant à tumultu, & quieſcũt fatigati à labore, ut eandẽ sententiã supra habes ca. 3.

AN NON FLEVI IN DVRO DIE.

Scriptum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequẽtur: &, qua mensura mensi fueritis, eadem alij remetientur uobis. Itaq; Hiob ait, se misericordiã præstitisse egenis, doluisse cum dolentibus, fleuisse cum flentibus: nihilominus tamen nũc se non habere, qui collugeat, qui misericordiã præstet, sed potius, omnes ridere ac subsannare, ut planè diuersum adciderit, quã sperauerit. Vnde sequitur, bonum expectaui, & uenit malum: lex promittit bona, bene operantibus. Deut. 28. Si audieris uocem Domini, benedictus eris &c. Proinde Hiob, quia operatus erat bona, etiam sperauit: non ex merito, sed ex fide et promißione Domini: ecce autẽ, præter omnem animi expectationem, pro bono euenit malum: pro lumine, tenebræ

tenebræ, id est, pro fœlicitate, infœlicitas: id quod plane est impiorũ supplicium, de quibus scribitur Hiers. Expectauimus pacem, & nõ erat bonum, tempus medelæ, et ecce formido, Esa. 59. Expectauimus lucẽ, & ecce tenebræ: splendorẽ, & in tenebris ambulauimus. Impijs autẽ ideo diuersa adcidunt, quàm expectauerint, quia non fide in Verbũ, sed opinione ex mẽdatis cõcepta, bonũ expectant. Pijs uero ob hãc causam, ut interim probẽtur, & suarũ uirium conscij fiant, ac ut discant, semper è manu Domini pendere. Cũ impijs, tũ pijs diuersa adcidunt.

INTESTINA MEA EBVLLIVNT.

Id est, omnia mea uiscera, cõcussa sunt iudicio Domini, Thren. 2. Defecerũt præ lachrymis oculi mei, cõturbata sunt uiscera, effusum est in terra iecur meum.

TRISTIS INCEDO &c

Id est, nulli inuidus sum, nulli irascor, & tamẽ tristis ac macilentus obambulo: solent enim irati, minaci uultu, & frõte corrugata incedere: inuidus quoq; alienis rebus semper macrescit opimis. Tanto præterea dolore adfectus sum, ut clamem inter homines, uel usq; ad rauim, nihil ueritus uenerandam hominum congregationẽ, cogit me dolor, ut exclamem perinde ac insanus aut stultus quispiã. Proinde merito dicar frater Draconum, & socius Struthionum, propterea quod uociferer ueluti Draco aut Struthio camelus: sic Micheæ primo: Plangam & ululabo, faciã planctũ

uelut Draconũ, & luctũ quasi Struthionũ, quod nos dicere solemus, quasi bos mugio, & quasi leo, rugio.

PELLIS MEA DENIGRATA &c.

Hoc est, ardor iudicij diuini, non tam animæ iuxta quàm coporis partes, pellem & ossa consumit. Sic Thren. 5. Pellis nostra quasi clibanus exusta est.

ET FACTA EST AD LVCTVM.

Id est, omne gaudium mihi uersum est in luctum, id quod impius minatur spiritus, Amos 8. Conuertam festiuitates uestras in luctum, & omnia cantica uestra in planctum.

CAP. XXXI.

PActum pepigi cum oculis meis, ut ne cogitarem (quidem) de uirgine.

Quod ergo præmium Dei prò illo, & quæ hæreditas omnipotentis de excelsis (propter illud)?

Nonne calamitas iniquo, & adflictio faciẽti iniquitatẽ (iustius contingeret)?

Nonne ipse consyderat uias meas, & omnes gressus meos dinumerauit?

Si ambulaui in uanitate, & festinauit ad dolum pes meus.

Appendat

Appendat me in stateram iustitiæ, & cognoscet Deus innocentiam meam.

Si declinauit gressus meus de uia, & post oculos meos ambulauit cor meum, & si in manibus meis adhæsit quicquã.

Tunc seminem, & alius comedet, ac germen meum eradicet,

Si motum est cor meum erga mulierem, & ad ostium proximi mei insidiatus sum.

Succumbat alteri uxor mea, & super eam incuruentur alieni.

Hoc est scelus, & hæc est iniquitas iudicum (sententiæ obnoxia).

Hic est ignis usq; ad perditionem deuorans, & quæ iniquitas omnem prouẽtum meum eradicaret.

Si spreui iudicium serui mei, & ancillæ meæ, dum contendebant mecum.

Quid enim facerem, cum surgeret Deus? & cũ uisitaret, qd respondere ei?

Nonne qui fecit me in uentre, fecit & ipsum? & parauit eum in uulua idem (Deus qui & me fecit)?

PACTVM PEPIGI. Hoc capite enumerat Hiob iusticias suas, non ut carnali fastu aduersus Dominum glorietur, sed ut contra amicos suos declaret, se sine merito peccati à Domino flagellatum: praterea, ut & nos doceamur, nullũ, quãlibet sanctũ, posse in iudicio Domini cõstare. Si enim Hiob tantis iusticijs, quantæ hic enumerantur, nõ potuit graue Domini iram effugere, quanto minus iniustior effugiet? Primum itaq; ait, se nõ solum nõ mœchatũ esse, sed neq; concupisse uirginem, ac oculos suos eruisse, hoc est, cum oculis pactum fecisse, ne uirginis adspectu offenderetur: ita enim docet in Euangelio Christus: Si oculus tuus dexter obstaculo fuerit, erue illum, & abijce abs te. Porrò oculum eruere & abijcere, non est oculos cultro externo effodere, sed cordis concupiscentiam, per fidẽ mortificare, qua mortificata, erutus est etiam oculus corporalis, ne aspectu mulierũ nos scandalizet: adeoq; hoc est pactum facere cum oculis, malum cordis fermentum, per fidem expurgare, nam & lex adulterij, non solum opus, uerumetiam concupiscentiam prohibet, Math. 5. Audistis quia antiquis dictum est, non committas adulterium: at ego dico uobis, quicunq; aspexerit uxorem alterius, ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Quod uero Hiob de castitate sua glorietur, cum tamen maritus fuerit, & uxorem ac liberos habuerit

Oculos eruere.

habuerit, ut supra capite 1. significat matrimonio suam esse castitatem, ut & Paphnutius dixit castitatem esse concubitum uiri cum propria sua uxore.

QVOD ERGO PRAEMIVM DEI &c.

Id est, ubi est ergo merces mea, quod castissime uixerim? quod datur mihi ab omnipotente, qui in excelsis habitat, præmium, propter uitam meã bene actã? frustraneum certe uidetur, quod uixerim iuste, quãdo nihil minus adfligar, quã flagitiosissimus quisq;. Hæc autem uox, nõ est fidei se humiliantis, quæ omnes humanas ures, in manum Domini adfligentis, obsequentes & captiuas tradidit, sed potius indignationis, sic enim aduersus Deũ stomachantur, quotquot ab eo derelicti, in grauia supplicia coniecti sunt.

NONNE CALAMITAS INIQVO &c.

Qui male egerint, inquit Scriptura, peribunt, cur ergo ego innocens, & nulli culpæ affinis, adfligor? calamitas & adflictiones debentur impijs, & facientibus iniquitatem. Quare igitur me obruunt, cũ nihil minus q̃ impius fuerim? Eadem blasphemia cũ priori.

NONNE IPSE CONSIDERAT &c.

Id est, quoniã Deus est scrutator renum & cordiũ, ipse mihi testis est, quod bene uixerim, & in mãdatis eius ambulauerim, qd igitur me tam horrẽde cruciat.

SI AMBVLAVI IN VANITATE.

Iurantis est, cui simile habes. Psal. 7. Domine De-

us meus, inquit Dauid, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: ita et Hiob ait, si unquam ambulauerim post uanitates mentis meæ, carnis concupiscentias secutus: & si unquam proximum meũ sycophantijs decepi, tunc merito puniar: seminem, et alius comedat, hoc est, meipsum deuoue, diris supplicijs, si unquam male egerim. Porrò quod dicat: pedem suum non festinasse ad dolum, exponit legis de furto & homicidio, quibus non solum furti & homicidij externum opus, uerumetiam insidiæ, doli, sycophantiæ, & animi concupiscentia prohibẽtur: Sed unde Hiob purus fuit ab his flagitijs? an ex proprijs uiribus? absit: quid enim possent humanæ uires, Sathanæ uinculis captiuæ? sed ex fide, fides enim cor purificat, & alienam (quæ est Christi) iusticiam, ad sese attrahit, quæ attracta, homine non tanquam authore, sed tanquam instrumento utitur: nam ut suscitare mortuos, & sanare ægros, Dei dona sunt, quæ interim per homines fiunt, nõ ut authores (horũ enim omniũ Deus author est) sed ut instrumenta: ita iustum esse, aut iusta facere, donum Dei est, ex fide, quod Deo authore, per hominem instrumentum fit. Proinde, quod & Dauid in septimo Psalmo, & hoc loco Hiob suas iusticias tactent, nõ de suis uiribus gloriantur, sed Dei dona commendant.

Fides purificat.

APPEN-

APPENDAT ME IN STATERAM. Nihil uereor iustitiæ meæ, modo iustitiæ regulæ & æquilibrio, non potentia & maiestate me Deus aggrediatur, inueniet enim me, purum & sanctum, & irreprehensibilem.

SI DECLINAVIT GRESSVS MEVS DE VIA. In lege iudicibus & Magistratui præcipitur, ut iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent, nec respiciant personã, nec accipiant munera, excæcant enim munera, oculos etiam sapientum. Itaq; Hiob, quia Magistratum gesserat, ait se nunquã in iudicio, à recta uia declinasse, nec personã respexisse (quod hoc loco post oculos ambulare dicitur) nec munera accepisse, ut iudicium perueterit: personam enim & munera, in iudicio respicere, non solum sacris literis, sed etiam Ethnicorum historijs, execrabile censetur, ut Iustinus in Demosthenis ἀργράφῳ patientis, historia scribit.

SI MOTVM EST COR MEVM. Supra de stupri concupiscentia, hic de opere eius loquitur: si unquã ait, mœchatus sum, mœchetur & uxor mea cum alio, supplicium enim maritorum impudicorum, est uxor adulterans.

HOC EST SCELVS. &c. Explicat quàm graue sit adulterij crimen, tantum enim scelus, tantum flagitiũ est, ut iustissime ab huius seculi iudicibus

puniatur, sic enim & lex habet, Deut. 22. Si dormierit uir cũ uxore alterius, uterq; morietur, & adulter & adultera. Similiter Prouerb. 6. Non est probrosum furi, cum esuriens furatur, ut uitam sustentet: nam deprehensus uel septuplum, aut rem familiarem suam uniuersam rependerit: at stulti cum mœchantur, uitã amittunt, plagam & dedecus auferunt, nec ignominiam unquam abolere possunt.

HIC EST IGNIS VSQVE AD PERDITIONEM. Perseuerat in exaggerando adulterij crimine, dicens: adulterium est ueluti ignis, omnia coniugum bona absumens, ac prorsum deuorans, ut supra cap. 24. Dissipatur leuitate substantia fornicatorũ, in terra nõ ædificant uiam uinearũ: & Prouer. 7. Ne expatietur ad uias scorti cor tuum, neq; ingrediaris semitas eius, multos enim sauciauit ac strauit, & omnes fortes iugulauit: domus eius, uiæ inferorum sunt, illac ad mortem iter est.

SI SPREVI IVDICIVM SERVI MEI. Quãdo Domini in seruos & ancillas, quales apud maiores fuerũt, potestatem habeant, non licet seruis etiã iniuria adfectis, dominos suos, in ius uocare. Proinde Hiob inquit: nullam unquam iniuriã serui & ancillæ meæ, à me passi sunt, usq; adeo, ut nanq; cũ ipsis iudicium detrectassem, ut maxime ipsis non licuerit, me in ius uocare, nam quanquàm impune potuissem eos

Serui non cõtemnẽdi propter Dominũ

eos pro mea libidine & tyrannide, tractare, utpote seruos in meam potestatē, aut iure belli & captiuitatis, aut emptione redactos, nolui tamen quicquā grauius inferre, propterea quod timebam Dominum: licuisset quidem coram mundo, & legibus humanis ac impune tulissem, sed quid respondissem Domino ad iudicium eius uocatus? aut cor eos affecissem iniuria, qui mecum habent eundem creatorem? qui ijsdem Dei manibus, quibus ego in utero materno formati sunt? & ut Paul. ait, pro quibus Christus mortuus est: nam quum fortuna, non natura, eos fecerit seruos, cur propter fortunam, eos contemptiores habuissem? Ad hūc modum admonet etiā Paulus, dominos carnales: uos domini, inquit, æquitatem & æquabilitatem, seruis exhibete, scientes, quod & uos habeatis Dominū in cœlis, apud quem nullus est personæ respectus.

Si negaui quod cupiebant pauperes, & oculis uiduæ non satisfeci.

Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus de ea.

Quoniā ab adolescētia mea, magni reputata est, apud me compatientia, & ab utero matris meæ complexus sum eam.

Si uidi pereuntē, propterea quod non habuerit uestē, & nō fuerit tegumētum egeno.

Si nō benedixerint mihi latera eius
dum de uellere agnorū meorū calefier

Si cōmoui contra pupillū manū me
am, etiamsi uidebam in porta potentiā
am meam.

Humerus meus de scapula decidat, &
brachium meū de calamo conteratur.

Quoniam timebā adflictionē Dei su
per me, & onus eius (ferre) nō poteram,

Si posui aurum fiduciam meam, & si
aureæ massæ dixi, spes mea.

Si lætatus sum, quod multam substan
tiam possiderem, & quod magnifica in
ueniisset manus mea.

Si uidi lumen cum splendebat, & lu
nam clare incedentem.

Si gloriatum est cor meum in absconditō, & osculatus sum manum meam ore meo.

Quæ & ipsa est iniquitas iudiciaria, nō enim ipso abnegassem Deum desuper.

Si lætatus sum in ruina odientiū me, & eleuaui me, quod apprehendisset eum adflictio.

Non enim dedi ad peccandum maxil

lam

lam meã, ut peteré maledicere aniæ ſuæ.
Si non dixerunt uiri tabernaculi mei, quis det de carne eius, ne ſaturemur?
In platea nõ pernoctauit peregrinus, oſtium meum uiatori adperiebam.
Si occultaui ſicut Adã ſcelus meũ, ut abſconderé in abſcõdito iniquitaté meã.
Si expaui multitudinem ingenté, & contemptus cognatorũ terruit me, ſi tacui non egrediens ianuam.

Dare maxillã ad peccandũ eſt maledicere et conuitiari.

SI NEGAVI, QVOD CVPIEBANT.

Dicenim, inquit Chriſtus, omni petenti te, & cupientem mutuum adcipere, ne auerſeris.

SI COMEDI BVCCELLAM &c.

Sic Eſaias inquit: frange eſurienti panem tuum, egenos & uagos introduc in domum tuam.

QVONIAM AB ADOLESC. &c.

Nam bonum eſt utro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, Threnorũ 3. Eſt autem non medio cre charitatis opus compatientia, qua cõmunes fiunt adflictiones, & ut congratulatio bonis alienis cõmunicat, ita compaßio, alienis adflictionibus, humeros ſupponit 2. Cor. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offendutur, & ego non uror: nam hæc nõ eſt mediocris, in aduerſitate cõſolatio, quod ex communione ſanctorum: certi ſumus in adflictionibus

Cõpatientia.

nostris, totam ecclesiam, imò & Christũ nobis cũ[illegible]

SI VIDI PEREVNTEM &c.

Est & pauperẽ uestire, charitatis opus, unde C[hris]tus in nouissimo die dicturus est: Venite benedicti patris mei, possidete regnum &c. Esurui enim, & dedistis mihi edere, situi, & dedistis mihi bibere: amen dico uobis, quatenus fecistis uni de ijs fratribus meis minimis, mihi fecistis. Additur hoc loco, quod mirum uideri potest: nam ait, latera uelleribus agnorũ meorum uestita, benedixerũt mihi. Latera ne benedicũt? Vt sanguis Habel ad Deũ clamat, non per se, sed propterea, quod innocenter effusus sit: ita latera, à pa[illegible] uestita, propter fidem, è qua oritur beneficiũ, in cœlum clamant, & benefactori benedicunt: nam, etiam si opus charitatis, in hominem ingratum collocatum fuerit, non tamen cessat fides, operis author, à benedictione, ut in Euangelio: facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

SI COMMOVI CONTRA PVPILLVM

Pupillus, facile expositus est cuiusuis libidini, propterea quod neminem habeat ultorem: ait itaq; Hiob se nunquam in iudicijs, pupillum oppressisse, etiamsi maxima potestate fuerit præditus, in porta, hoc est, prætorio, aut, ut uocant, consistoriali: porta enim, in scriptura, uel pro potentia & Magistratu, uel pro

loco

co Magistratus & iudicior̃ adcipitur, ut Prouerb. xxxi. Nobilis uir eius in portis, id est, prætorio: & porta inferi, id est potentia, non prævalebunt aduersus Ecclesiam, Matth. 19.

HVMERVS MEVS DE SCAPVLA.

Deuotio, hoc est, si unq̃ in his tã enumeratis iniquegrum, rumpar medius, humerus meus de scapula abscindatur: brachiũ meũ de iunctur̃ suis conteratur.

QVONIAM TIMEBAM ADFLICTIONEM &c. Id est, hæc omnia feci, quia Dominum Deum timeo. Scio enim quanta supplicia minetur impijs: proinde ne impiorũ onere insustentabili obruerer, pro ratione fidei, uitam meam instituí: cur aũt diuersum Hiobi adciderit, supra sæpe tractatum est.

SI POSVI AVRVM FIDVCIAM &c.

Si unq̃ confisus sum diuitijs, & spem posui in auro: nam auari, non ore quidem, sed confidentia, ad aurum dicũt: spes mea tu es: hinc Paulus, auarum uocat idololatram, & auaritiam idololatriam. Auaritia.

SI LAETATVS SVM &c. Sic enim Psal. 61. dicitur: Diuitiæ si adfluant, nolite cor adponere, & 1. Corinth. 7. Qui emunt, sint tanq̃ non possideant, & qui utuntur hoc mundo, sint tanq̃ non utantur.

SI VIDI LVMEN &c.

Videre lumen splendens, & lunam lucentem, hoc loco, est gloriari fœlicitate: & ea pro sua libidine, nõ Lumen, fœlicitas.

tam uti quàm frui. Siquidem lumen communi ſ
huius libri pro fœlicitate ſumitur. Itaq; inquit H
nunquam meis diuitijs, ſucceſsibus, potentia, aut
ieſtate confiſus ſum, neq; gloriatus, ſed in timore
mini, omnia mea adminiſtrabam: eſt autem carni
hil difficilius, quàm ferre, ut dicitur, bonos dies: c
us enim ſub ijs ſuccumbit, quam ſub cruce.

SI GLORIATVM EST &c.

Oſculari manus.

Oſculari manus, eſt opus (quod per manus intel
ligitur) proprium commendare, celebrare, & de
gloriari: eſt autem natura hypocritarum, ſua commo
dare opera, id quod nihil aliud eſt, quàm nomen De
blaſphemare, omnis enim laus, & omne bonum in
quouis opere, Dei eſt, non noſtrum: proinde qui quod
Dei eſt, ſibi uſurpat, nominis Dei prophanator eſt.
An non licet nomen Dei ſibi uſurpare? quid igitur fi
des ſibi uult, quæ alieno nomine nos ueſtit, & aliena
iuſtitia, quæ eſt Chriſti, nos participes facit? Aliter
caro, aliter fides nomen Domini adſumit: nam caro,

Commendare nomẽ ſuũ Dei, carnis eſt hypocriſis blaſphemia.

Deo ſuum honorem detrahens, ſuis uiribus, & meri
tis eum adſcribit: fides uero, omnem turpitudinem ſi
bi adſcribens, honorem ſoli Deo offert, & ſub aliena
umbra tegitur alienis plumis, id eſt, Chriſti iuſtitia ſe
ſe ueſtiens, non ſuperbia carnali, ſed ſapientia ſpiritu
ali. Porrò, quia manus oſculari, & ſua opera in alũ
efferre, in Deum blaſphemia eſt, ideo additur:

HAEC

HAEC EST INIQVITAS IVDICIARIA. Hoc est, grauissime punienda, hoc enim ipso Deus negatur, quo quis sua ipsius opera celebrat, quãdo honorem Dei, creaturæ, propriis scilicet meritis & operibus adceptum ferat.

Fidutia suorum operum est abnegatio Dei.

SI LAETATVS SVM IN RVINA. Vt caro, inimico omnia mala imprecatur, ita & lætatur si quãdo uiderit inimicũ adflictũ, id quod lege homicidij prohibetur: diligite, inquit Christus, inimicos nestros: bene precemini deuouentibus uos &c.

SI NON DIXERVNT VIRI TABERNACVLI. Saturari de carne aduersarij, est male loqui, mala imprecari aduersario, famam eius conuitijs profundere: est igitur sententia, non solum ego ipse non imprecabar inimicis meis mala, sed nec passus sum, ut uiri tabernaculi mei, id est tota mea familia, de inimicis meis mala loqueretur, aut iniuria eos afficeret. Egregiũ patrisfamilias exemplũ, ut nõ solũ ipse honeste uiuat, uerumetiam familiam suã honeste instituat, ne alienos, quãlibet domino suo aduersarios trahucet. Vnde & Paul. iubet, Episcopum eligi, qui habeat liberos obedientes, familiam bene instituentem.

Boni patrisfamilias officium.

IN PLATEA NON PERNOCTAVIT. Hospitalitas enim summe in sacris literis commendatur, per hanc enim & Abraham & Loth insciens, exceperunt angelos hospitio.

Hospitalitas.

SI OCCVLTAVI &c. Hominis enim natu
est, sua peccata abscondere, aut si id non potest exc
sare, adeoq; genuina est, ab Adam primo parente, a
nos usq; traducta, ut Habes Gen. 3.

SI EXPAVI MVLTITVDINEM &c.

Multitudo, Cognati, Exemplum, non moueant à iustitia.

Nunquam peruerti iudicium, nec secutus sum ma
lum exemplum, motus, uel peccantium multitudi
uel fauore cognatorum meorum: qui etiamsi me pro
pter institiam persequebantur, aut contemnebant,
nunquam tamen, ne tantilli quidem eorum contem
ptum feci, ut propter ipsos à recta uia declinassem,
Exodi 23. Nõ sequeris turbam ad faciendum malum,
nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut
à uero deuies.

SI TACVI NON EGREDIENS.

Nunquam causæ alicuius æquitatem obticui, neq;
deserta iusta caussa, domi me continui, motus, uel ad
uersariorum multitudine, uel metu cognatorũ, causæ
affinium, uel pecunia corruptus. Quale narrat de De
mosthene Gellius: is enim, lana multa collum, cervi
cesq; circumuolutus, dum agebatur causa legatorum
Mileti, ad populũ prodijsse fertur, et dixisse, σιώπα-
χειν se pati, eo contra Milesios loqui non posse: tum
è populo unum exclamasse, nõ σιώπαχειν, sed ἀργύ-
ραχειν esse, pecunia enim corruptus Legatorum,
silentium agebat.

Quã

Quis dabit mihi auditorem? & si desyderium meum omnipotens exaudiat, ut librum scribat quispiam de caussa mea.

Si non super humerum meum leuarem ipsum, & circundarem ipsum mihi (quasi coronam).

Numerum gressuum meorũ adnunciarem illi, quasi princeps offerrem illi (caussam meam)

Si aduersum me, terra mea clamauerit, & simul sulci eius defleuerint.

Si fructum eius comedi absq; argento & animam agricolarũ eius feci spirare.

Pro triticũ nascatur carduus, & p hordeo spina. Finita sunt uerba Hiob.

Quis dabit, ut omnipotens exaudiat desyderium meum: optantis uerba sunt, quod nos una dictione, utinam, exprimimus: optat autẽ Hiob, ut sibi contingat diligens quispiam amanuensis scriptor, qui hanc controuersiam, quam cum amicis habet, literis mandet, ut posteri de ea iudicare possint: quasi diceret: in hac caussa, adpello posteros, talẽ enim habeo aduersus amicos meos, quam uellem omnibus hominibus notam, non tam hoc tempore uiuentibus, quàm posteris quibus uelicibus, certam mihi uictoriam polli-

cerer adeo nullius criminis mihi conscius sum.

SI NON SVPER HVMERVM &c

Iurantis est, & potest uel ad scriptorē, uel ad controuersiæ causſam referri: si ad scriptorē referas, hanc habet sententiā: Si mihi, inquit, amanuensis quispiam (quē nunc uulgato uocabulo, notarium uocant) contingeret, in humeros meos, eum eleuarē, hoc est, tractarem eū omni beneficiorū genere, dignis celebrarem laudibus, & tanquā capitis mei coronam obseruarē. Sin ad causſam referas, ita exponito. Si quem haberē, qui scriptis causſam nostrā exciperet: paratū et promptum me exhiberem, quo summa diligentia, singula quæq; ad causſæ æquitatem spectantia, dictarem.

NVMERVM GRESSVVM &c.

Quasi princeps, hoc est, animo liberrimo (solent enim Principes liberi esse dicendo) & expositissimam totam meam causſam, & totius uitæ meæ rationē explanarem ac describerem, ut posteri quiq; uel mediocris iudicij homines de ea certissime iudicare possent.

SI ADVERSVM ME &c.

Redit Hiob ad catalogum, & rationem uitæ suæ anteactæ, dicens: Nunq̄ memini me plus iusto, ab agricolis extorsisse, ut propterea formidem, ne gemitus eorum contra exactiones meas, ad cœlum clament. Exactiones. Solent enim tyranni à suis agricolis multo plura extorquere, quàm agri eorum producere possunt, quem admodum

admodum et Pharao ab Israëlitis laterũ mensuram de negatis etiã paleis, exigebat. Vt igitur sanguis Habel iniuste occisi, ultionem clamabat: ita agrorum sulci, unde plus equo tyranni carnifices extorquent, uindictam clamare nunquam cessant, Iacobi 5. Ecce merces operariorũ, qui messuerũt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat &c.

SI FRVCTVM EIVS COMEDI.

Nunquam gratis exegi, aut tyrannide quadam extorsi, quicquam frumentorum ab agricolis, mihi subiectis, nec unquam grauibus oneribus eos oppressi, ut præ is nõ licuerit eis respirare, aut coacti fuerint ingemiscere, aut succumbere: nam si tale quid designauerim, non renuo meritum supplicium. Age, pro tritico nascatur spina: pro hordeo, carduus, id est, sim maledictus: tam cum nihil mali aduersus Dominum commiserim, reliquum est, ut contra amicorum meorum sententiam, certissimis argumentis concludam, me à Domino citra omne peccati meritũ afflictũ esse.

CA. XXXII.

ET cessarunt tres uiri isti respondere Hiobi, propterea quod iustus sibiipsi uidebatur.

Et incanduit ira Elihu filius Baracheel Buzites, de cognatione Ram, cõtra Hiob, succensiõe iracũda, propterea quod iustificaret animam suam ultra Deum.

Et contra tres amicos eius incanduit ira sua, propterea quod non inueniissent responsionẽ, ut cõdemnassent Hiobem

Et Elihu expectauerat Hiobem in sermone, quoniã seniores ipso erant annis

Et uidit Elihu, qd'n on esset responsio in ore trium uirorũ, & incanduit ira sua.

ET CESSARVNT &c. Non imprudenter amici Hiob, sermonẽ suum intermittunt, quãdo existimant Hiobem, contentioni studere, & qui magis pertinaciter, quàm ueraciter, suam iustitiam adserat, de cõtentiosis enim scriptum est: à contentiosis seiungaris, & iterum: contentiones & pugnas legis deuita: & uulgato apophthegmate hæc sentẽtia celebratur, Veritas altercando amittitur. Omiserunt itaq; amici contentionem, existimantes prudentius esse, alienam importunitatem ferre, quàm altercatione nimia, maledicentiæ uirulentijs, ac in Deum blasphemiæ ansam dare. Elihu uero, qui interim tacitus controuersiæ auditor adstiterat, prudens rerũ æstimator, utroſq;, tam Hiobem, quàm amicos arguit, erant enim utriq;, reprehensione digni: Hiob, quod in Deum blasphemi-

ri-

rit, et importunius in iudiciũ Dei, tantum nõ insanierit: amici uero, quod non ea parte Hiobem arguerint, qua reprehensibilis, sed qua innocens et sanctus etiã Dei testimonio erat.

ET INCANDVIT IRA ELIHV. Habet enim zelus suam iram, non impiam, unde & in Psal. dicitur: Irascimini, & nolite peccare: est enim ira fidei, est & ira carnis, quæ sola pro scelere reputatur. Porrò, quod Elihu Buzites dicatur, a Buz descendit, qui est filius Nahor, fratris Abrahami. Gen. 22. de quo Hieronymus in Traditionibus Hebraicis super Genesim, ita scribit, Secundus natus de Melcha, est Buz, quem Septuaginta Bauz transferre uoluerũt, et ex huius genere, est Bileam ille, diuinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Hiob dicitur Elihu, primum uir sanctus & prophetes Dei, postea per inobedientiam & desyderiũ munerũ dum Israel maledicere cupit, diuino uocabulo nuncupatur: dicturq; in eodem libro, Huius Elihu filius Baracheel Buzites, de huius uidelicet Buzi radice, descendens: hactenus Hieronymus. Quod uero de cognatione Ram, Elihu esse scribitur, non certo constat, an de prosapia illius Ram fuerit, qui 1. Chronic. 2. filius Esron dicitur, & corrupte, Matth. 1. in Genealogia Christi Arã legitur: siue igitur ille Elihu, Bileã fuerit, siue alius quispiam parũ curabimus: qualis qualis enim fuerit certe prudẽtissime

Elihu forte ille Bileam, diuinus erat.

& uerißime, de cõtrouersia Hiobis & amicorũ pro nunciat, neq; etiam à Domino, cõdemnatus est impietatis, si enim omnino reprehẽsibilis fuisset, Dominus, iudicio suo, quo tres amicos condemnat, ut habes ultimo Cap. eum non præterijsset.

Respondet Elihu filius Baracheel Buzites, & dixit,

Iunior ego sum annis, & uos seniores, propterea expaui, & timui explanare sententiam meam uobis.

Dixi, dies loquantur, & multitudo annorum doceat sapientiam.

Verũtamen spiritus est in homine, & aspiratio omnipotẽtis intellectificat eos.

Non sunt sapientes magistri (nostri) & presbyteri non intelligunt iudicium.

Propterea dico, audi me, explanabo & ego scientiam meam.

Ecce expectaui sententiam uestram, animaduertebam prudẽtiam uestram, donec inuestigaretis sermones.

Et ad uos animaduertebam, & ecce non est, qui Hiobem reprehendat, & respondeat uerbis eius, ex uobis.

Forte dicetis, inuenimus sapientiam,

Deus

Deus proiecit eum, non homo.

Nō est dispositiōis meæ sermo (uester) & iuxta uerba uestra nō respondebo ei.

Exterriti sunt, non respondent ultra, auulsi sunt ab eis sermones.

Quando igitur expectaui, & nō loquū tur, steterunt, & non respondent ultra.

Respondebo certe ego partē meam, explanabo etiam ego scientiam meam.

Quoniam plenus sum sermonibus, coartat me spiritus uentris mei.

Ecce uenter meus est sicut mustū non apertum, lagunculas nouas disrumpens

Loquar ut respirem, aperiam labia mea, ut respondeam.

Non respiciam personam alicuius, & homini non adulabor.

Quoniam nescio si adularer, num paulo post auferat me creator meus.

IVNIOR EGO SVM ANNIS &c.

Hactenus deterruit me à sermone, partim mea iuuentus, partim senum authoritas, dicebam tacitus mecum, dies loquantur, & multitudo annorum doceat sapientiam, id est, maiores natu, loquantur: iuniores audiant, senes doceant, adolescentes discant. Pul-

cherrima disciplinæ sententia, adolescentis enim bonæ indolis est, seniorum consilium ac sermonem expectare, & silentio suo, caniciem uenerari, propterea quod feruens iuuentutis ætas, imprudenter plerunq; & illotis manibus, in præceps consilium irruat, nulla habita imminentium periculorum ratione: senectus uero multo usu occaluerunt, proinde prudentius & circunspectius de quauis re consultant. Nota est historia, de adolescentum & seniorum consilio Rehabeæ dato 3. Reg. 12. Sed ut maxime seniorum consilia expectanda sint, & authoritas eorum ueneranda, non tamen omnia ipsorũ consilia & sensa, citra delectũ, ueluti oracula, suscipi debent, neq; enim consilij spiritus aut prudentiæ, alligatus est ætati, nec annorũ numero captiuus: proinde, honorare presbyteros disciplina est, non ueritatis præiudicium.

VERVNTAMEN SPIRITVS EST IN HOMINE. Id est, re ipsa comperio, prudentiam annis non constare, nec quenquam hoc sapientiorem esse, quo seniorem, sed spiritus, homines facit prudentes & intelligentes, qui non est alligatus Rabinorum authoritati, & magistrorum nostrorum capitijs, nec presbyterorum aut seniorũ annositati, unde Esa. 11. inter alia spiritus dona enumerãtur etiam, sapientia, intellectus, consilium, & scientia. Similiter 1. Cor. 12. huic per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ

scientiæ &c. omnia hæc, efficit unus ille et idem spiritus, diuideus peculiariter unicuiq;, sicut uult, non sicut nos uolumus, ubi enim spiritus est, ibi libertas est, proinde dona spiritus, nulli ætati, nulli hominum statui, nulli tempori, nulli loco, adeoq; nulli omnino creaturæ, captiua fiunt, sed pro libertate spiritus, distribuuntur, in quosuis hominum status, in quasuis ætates, quocunq; tempore & loco ipsi adlubescat. Iam quanquam prudentiæ & consilij dona, spiritussancti opera sint, non tamen iustificant, ut uides in Achitophele, & in Ethnicis, tam apud Græcos, quàm apud Romanos, nobilibus, sola uero fides, donum illud eximium est, quo iustificamur.

NON SVNT SAPIENTES MAGISTRI

Ex hoc loco, ruit impiorum argumentũ, quod ab authoritate maiorũ ducere solẽt: nã & sic apud Hierem. cap. 18. dicunt: non peribit lex à sacerdote, neq; consilium à sapiente, nec sermo à Propheta, hoc est, maiores non errant, quasi uero alligata sit ueritas maiorũ seculo, non item omnibus ætatibus communis.

PROPTEREA DICO, AVDI ME &c.

Id est, propter causas iam enumeratas hactenus silui, non tam mea iuuentute, quã uestra canitie deterritus: sed quando sapientes desipiant, & senes delirent, ac nullus sit, qui Hiobem ea parte, qua reprehensione dignus est, arguat: age, tempus nũc est, ut et

iuniores loquantur, siquidem uana fuit hactenus exspectatio mea, qua speraueram me, doctiorem à uestra controuersia discessurum.

FORTE DICETIS &c. Id est, Respondebitis forsitan, uos prudenter agere tacendo, quando in propatulo sit, Hiobem esse impiũ, & à Deo protectum, nec hominũ egere argumẽtis, ut impius probetur, propterea quod sese iustificet, Deũ aũt iniquitatis condemnet, hoc enim nõ solũ stultũ, uerumetiam insanũ esse, quemuis, quãlibet deplorati ingenij, intelligere posse, & stulto iuxta stultitiã suam respondere prohibet Solomon, ne ipsi similis efficiaris: nõ tamẽ est dispositiõis meæ, sermo uester, hoc est, aliter ego Hiobem reprehendam, quàm uos, non enim priorem eius uitam culpabo, nec causam eius iniustam criminabor, quod enim crucem fert, Domini fauore, non ira fert, sed adcusabo importunitatem eius, imò blasphemias, quas in hoc iudicio in Deum indignabunde, exput.

EXTERRITI SVNT NON RESPONDERE.

Quasi contemptu quodam, tertia persona, prosecunda utitur: uide, inquit, quàm imprudentes sint isti senes, effutierunt hactenus multa, ubi nihil opus erat cæterũ, ubi maxime respondendũ, & arguendũ esset, ibi piscibus magis muti sunt, quando igitur obmutuerunt & ignorantiam suam, ac imprudentiam silentio

fatentur,

fatentur, explanabo ego sententiã meam & eloquar, quod spiritus domini me docuerit.

QVONIAM PLENVS SVM &c.

Rumperer medius, si non erumperet sermo intra me conceptus, usq; adeo cogit me animus meus quod sentio, loqui: Porrò, siue hæc adroganter, & è carne siue è spiritu loquatur Elihu, non pronuncio: certum est talia uerba, ut maxime carnalia & arrogantia uideantur, posse tamen esse spiritualissima, ut Hiere. 4. Ventrem meum, uentrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me, non tacebo: & 20. Factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususq; in ossibus meis & defeci, ferre nõ sustinẽs. Ita Elihu ait, nisi eloquerer quæ sentio, nõ posset fieri quin uenter meus creparet medius, adeo me coartat sermo conceptus. Pulchra autem similitudine declarat, quantum sermo in corde eius æstuauerit, quemadmodum enim nouum mustum, nondũ bene decoctũ, disrupto uase effluit, nisi aërem admittas: ita uẽter meus disrumperetur, nisi loquerer ut respirarem.

NON RESPICIAM PERSONAM.

Nihil loquar ad gratiam, nec adulor in hac oratione cuiquam hominum, nam & Paulus ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, & Hiere. 17. Diẽ hominis non desyderaui: proinde uera, inquit Elihu, loquar, nõ respiciens ullam hominis

Pius semper talis inuenia tur.

personam, propterea quod nesciam, quãdo ex h mundo, & hoc corporis ergastulo, me sit uocatu creator meus, omni hora & momento expecto m tem, expecto aduententem patremfamilias, si ign me imparatum, hoc est, iniqua agentem, aurã popu rem captantem, & ad gratiam hominũ concionant inueniret, quantis plagis uapularem?

CA. XXXIII.

QVãobrẽ audi Hiob sermonẽ meũ, et omia uerba mea animaduerte.

Ecce aperui os meum, loquetur lin/gua mea in gutture meo.

Simplicitas cordis mei uerba mea sunt, & scientiam labia mea pure loquentur.

Spiritus Dei fecit me, & spiraculũ om nipotentis uiuificauit me.

Si potueris respõde mihi, aduersus fa ciem meam consiste.

Ecce ego iuxta sermonem tuum, Dei sum, de luto formatus sum etiam ego.

Ecce frons mea, non terreat te, & incli natio mea super te non grauet.

Enimuero dixisti, in auribus meis, & uocem sermonis audiui.

Purus

Purus sum ego sine scelere, innocens ego, & non est iniquitas in me.

Ecce causas contra me inuenit, reputat me inimicum sibi.

Posuit in neruo pedes meos, obseruat omnes semitas meas

Ecce hoc ipso te non iustificatũ esse respondeo, qm̃ lõge excellit Deus hominẽ

Quare cum ipso contendisti, quod ad omnia uerba tua non responderit?

Si semel loquatur Deus, postea an retium sit, non est inuestigandum.

QVAMOBREM AVDI.

Elihu excusata adulescẽtia sua, nam & Paulus Timotheo scribit: Nemo iuuentutem tuam despiciat, similiter captata beneuolẽtia à necessario, coactũ enim se dicit ut loquatur, non tam obmutescentia senũ, quã spiritu uentris sui, proinde, se ea loquuturũ, quæ non sint ad aucupandã gloriam, & auditoris adplausum composita, sed simplicia, & uera, siquidem simplex est ueritatis oratio: audi, inquit, quoniã omnino mihi loquendum fuerit, ea maxime loquar, quæ simplicia, pura & uera sunt: faciant ambages, discedant hominũ nugæ, quod loquar, simplex ueritas erit.

SPIRITVS DEI FECIT ME &c.

Contemptus fratrũ tollitur his argumentis.

Non est ut in sermone meo, quantũuis adulescẽs contemnar, quãdo & ego perinde ac tu, Dei sim, Spiritus Domini etiam me fecit, & ex luto creans, spiraculo suo me uiuificauit. Est autem hæc potißmãratio, cur alterum, alter non contemnat, nec naso suspendat adunco: nam ab eodem Deo per idem Verbum in eodẽ spiritu, ommes formati sumus: communiter terram, aquã, aërem, & cœlum habemus. Quod si Christianos respicias, habent illi arctius uinculum, quo colligantur, sic enim Ephesijs 4. dicitur: Vnũ corpus, unus spiritus, unus Dominus, una fides, unũ baptißma, unus Deus & pater omniũ. Sic & Roma. 14 Noli fratrem perdere pro quo Christus mortuus est: quod si hæc sentẽtia alta fide repositа fuerit, nulla difficultate retraheret nos ab iniurijs, cõtemptu, & blasphemijs fratrũ, nempe si crediderimus, tantæ dignitatis fratrem esse, ut Christus unigenitus Dei filius, propter eum è celo descenderit, & sanguinem fuderit.

SI POTVERIS RESPONDE MIHI.

Qualiacuuq; locutus fuero, semper dabitur tibi respondendi copia, non enim agam tecum imperio, sed authoritate, non cogo, ut in uerba mea iures: si quid ueri dixero, adripe: sin falsi aliquid, reijce.

ECCE EGO IVXTA SERMONEM.

Nullam habes me contemnendi occasionem, propterea quod & ego, quemadmodũ tu ipse adseueras, Dei

Dei creatura sim, & ex puluere formatus: sepone igitur adulescentiam meã, sepone cõditionem meam uilem, & memineris me, Dei hominem esse, ut diligentius ad orationem aures arrigas.

ECCE FRONS MEA.

Græcus frontem exposuit δυ φόβον terrorẽ, hoc est, non durius tecum loquar, quàm par sit: proinde, confide, ne obstupescas, responde si quid potes: non egemus, pro Papistarũ ingenio & consuetudine, qui non audita uel responsione, uel excusatione, aduersarũ, nisi mox palinodiã canat, hæreticũ pnunciant, ad ignẽ cõclamant, & diris uotis Satanæ tradunt: nos uero, tractabimus causam nostrã mitius & humanius.

ENIMVERO DIXISTI.

Ad causam tractandã Elihu accedit, dicens: Amici tui tres calumniati sunt uitam, è qua iniquitatem tuã probare conabantur, mihi alia tecum ratio est, nam iniquum te, probabo, non è uita tua priori, sed tuo ipsius uerbo, & testimonio, hoc est, proprio te gladio confodiam, dixisti enim innocens & iustus sum, nulla est iniquitas in manibus meis, nulla sycophãtia decepi proximum, Dominus tamẽ inimiciter adfligit me, & iniuria adficit, propterea, quod citra omnem iniquitatis causam posuerit pedem meum in uerno, hoc est, cruciat me, & omnes semitas meas obseruat, quasi impie egerim, omnem meam uitã cruce explo-

rans. Agnoscis opinor, uerba tua, probabo itaq; e
ipsissimis tuis uerbis, te iniustum esse, nullus enim in
stus & innocens, cum Deo cõtendit, nec iniustitiæ d
adcusat, quis enim illi fuit à consilijs? aut quis prior,
dedit illi, & reddetur ei? et quis audet dicere, cur hoc
facis? quoniam ut est Esa. 55. Sicut exaltantur, inquit
Dominus, cœli & terra, ita exaltatæ sunt uiæ meæ, a
uijs uestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus ue
stris, proinde, cum tu Hiob, Deum iniustitiæ adcusas,
præterea indigneris quod facti sui, tibi non det ration
nem, quî potes esse iustus & innocens?

SI SEMEL LOQVATVR DEVS

Deus ut iustus, ita & sapiens est, proinde quicq
fecerit, etiamsi captus humanus nõ intelligat, iuste et
sapienter esse factum cõfitendum, non curiosius inue
stigandum est, confessio enim iustitiæ operũ Dei, obse
quiũ fidei declarat, inuestigatio uero infidelitatẽ cor
dis, arguit. Est igitur huius loci sententia. Noli Hiob,
rationem factorum Dei curiosius inuestigare, et si nõ
adsequeris, eum iniustitiæ calumniari, quod enim se
mel, Deus aut loquitur aut facit, hoc postea, nõ est hu
mana prudẽtia inuestigandũ, num uere dictũ, aut iu
ste factũ fuerit, sed obediẽtia credendũ est, & fide ad
orandũ: tradidit Dominus te potestati Satanæ, ut pi
bidine sua te, tuaq; omnia tractare possit: crede igitur
hoc, prudenter factũ, utcunq; eã prudentiã, humana
ratio

ratio nõ captat. Disces etiã ex hoc loco, cõcilia, quæ uocãt Generalia, aut Synodus. Verbũ Dei cõfirmare nõ posse, nec iudicare, qd' enim deus semel loquitur, hominis testimonio aut cõfirmatione nõ eget, & concilia humana ex Verbo authoritatem adcipient, nõ autem Verbum, ex concilijs, aut hominum decretis. Verbũ Dei iudicat omnes, at ipsum nemo iudicat.

In somnio uisionis nocturnæ, cadente somno super uiros, in dormitionibus superlectum.

Tunc aperit aurem uirorum, & in eruditione eorum terrefacit eos.

Vt auertat hominis opus, & corpus a uiolentia protegat.

Vt auferat animã eius a corruptione, & uitam eius ne transeat in gladium.

Et arguit eum dolore in lecto suo, & iudicat ossa eius fortiter.

Vt abominabilis fiat ei in uita sua panis, & anima eius cibum non desyderet.

Tabescit caro eius ut nõ uideatur, conteruntur ossa eius ut euanescant.

Et appropinquat ad corruptionẽ anima eius, & uita eius ad mortuos.

IN SOMNIO VISIONIS NOCTVR.

Antea Elihu Hiobem iniustum probauit, propter a-

eā quod importunior aduersus iudicium Dei conten
derit, & iniquitatis eum arguerit, nunc explicat ſi
gellorum & operum Dei in homine rationē, quan
do ſcilicet, & quare contingat adflictio, ait enim De
us adflictionem incipit in ſomnio uiſionis nocturnæ,
dum ſopor occupat homines, hoc eſt, præſto adeſt ad
flictio, eo maxime tempore, quum omnia horrendis
tenebris, & cæco ſilentio plena ſunt, quum longe
aliud cogitamus, & mente noſtra aliò peregrina-
mur: quemadmodum & Hiob, longe aliud propter
ingentē Domini benedictionē, quàm crucem, futurū
ſuſpicabatur. Porrò ſcriptura, repētinos caſus, et in
opinatos euentus, per nocturnū tempus deſcribere
ſolet, quo omnia ſummū agunt ſilentiū, & propter
ſomnum, incuria iacent, ut Matth. 25. Medio noctis
clamor factus eſt: Ecce ſponſus uenit: & 1. Theſſ. 5.
Dies ille Domini, ut fur, in nocte ita uenturus eſt. Eo
itaq; tempore, quo aliàs, uiſiones & ſomnia fiunt, ut
Dañ. 7. & quo omnes homines ſecuri quieſcūt, adpe
rit Dominus aurem hominū, turbans eos per legem
occidentem, & erudiens per crucē. Nam hæc præci
pua ratio eſt, cur Deus homines lege occidat, & cru
ce adfligat. Adfligit enim nō ut perdat, ſed ut hominē
erudiat, ab infœlicitate et impijs operibus uindicet,
à tyrānide et inſultu Satanæ defendat, ne anima eius
æterno tradatur ſupplicio, & uita eius, ſempiternæ

morti

mori. Quis uero, omnia crucis bona enumerare pos sit? nanq; crux uoluntatis Dei schola, morũ disciplina, fœlicitatis meditatoriũ, gaudij spiritus sancti officina: breuiter, bonorũ omniũ thesaurus, nunquã enĩ Dominus pium propius complectitur quã in cruce.

ET ARGVIT EVM &c. Conijcit Deus hominẽ in oĩa mala, ossa eius et uires, p crucẽ ita eneruat, ut cibus ei nauscam fiat, caro eius ita præ dolore cõtabescit, ut pẽdere putares pectus, et à spinæ tantũ modo crate tenerum ita indurescit cutis, ut per eã spectari uiscera possent. Adeoq; nõ contẽtus his malis Deus conijcit hoĩem etiã in medias mortis, & inferni fauces. In his opibus nemo Deo cõtradicere audet, nec arguẽdo cũ eo expostulare. Deus enĩ est, nõ homo. Omnia aũt Dei opa iusta, recta & sapiẽtia sunt,

Crux adeidit securis.

Si fuerit pro eo angelus, mediator unus de mille, ut annunciet pro homine rectitudinem suam.

Tunc miserebitur eius & dicet, libera eum, ne descendat in corruptionem, inueni propiciationem.

Germinet caro eius ab adolescentia, reuertatur ad dies iuuentutis suæ.

Orabit ad Deum & gratificabitur ei, & ostendet ei faciem suam in iubilo,

& retribuetur homini iustitia eius.

Adspiciet ad homines, & dicet, peccaui, & uere deliqui, & nondum æquo supplicio adfectus sum.

Liberauit animã meã ne abiret in corruptionem, & uita mea lumen uideret.

Ecce omnia ista facit Deus tribus uicibus cum uiro.

Vt reducat animam eius a corruptione, ut illuminet eum, lumine uiuentiũ.

Animaduerte Hiob, audi me, tace, & ego loquar.

Si fuerit tibi sermo, respondemihi, loquere, ut placeat mihi iustitia tua.

Si uero non, audi tu me, tace, & docebo te sapientiam.

SI FVERIT PRO EO ANGELVS.

Paucis antea uerbis Elihu, legis uim, et crucis rationem exposuit, aperit enim, inquiens, Dominus per noctu, & terrefacit homines: hoc est, per legem occidit: nam, etiam si Hiobis tempore nondũ lex fuerit scripta, habet tamen unusquisq; eam in corde suo insculptã, attestante cõscientia, & cogitationibus inter se adcusantibus, aut etiã excusantibus, qua patefacta, occiditur eõscientia: dein crux oritur, & mors

qua

quæ est peccati per legem ostensi, authoramẽtum. Quid igitur in tantis angustijs faciendũ? si enim lex intus occiderit per peccatũ, & foris crux, morte comitata adflixerit, quo confugiendum est? Respondet Elihu, Euangelij energiam clarissime ob oculos ponens: si fuerit inquit, pro eo angelus mediator, hoc est, territa per legem cõscientia, & toto homine per crucem cõcusso, non est alia spes, quàm in Euangelio in Christo Iesu Domino nostro, qui est magni cõsilij angelus, mediator, ac intercessor inter Deũ & hominem, per quem omnis conscientia, quantũcumq; per legem occisa, uiuificatur, per quem, omnis crux uitæ & liberationis initium est, qui est propiciatio, pax, redemptio, & sanctificatio nostra. Vides autẽ quàm clare hoc loco Elihu de Christo cõcionetur? putares, eum nõ ante legem, quo Christus adhuc occultißime latebat, sed post Euãgelion reuelatũ prædicasse. Cæterum q; uocet eum angelũ unum de millibus, hoc est missum, quod Esaias dicit, consilij magni angelus. Nec mireris q; simpliciter angelus dicatur, quando & Mose eum prophetã uocauerit, Deut. 18. est enim angelus, sicut inquit, pater misit me ut facerem uoluntatem eius, sed & angelorũ Dominus: est prophetæ, sed & Prophetarum omniũ κορυφαῖος. Pro mediatore Hebræus habet מליץ quod à לוץ descendit, et significat interpretem agere, mediare uerbis,

Vis euãgelij

unde מליץ interpretem, mediatorẽ, et intercessorem significat. Sic Christus à Paulo dicitur 1. Tim. 2. Vnus mediator Dei & hominũ: & Hebr. 8. Prestantioris testamenti intercessor.

VT ADNVNCIET PRO HOMINE

Si unus ille mediator, suam iustitiã homini cõmunicauerit, & pro eo interceſſerit, tunc miserebitur eius Dominus, & liberabit animam eius à corruptione, qui enim credit in filium, nõ perit, sed habet uitam æternam, & qui sermonem eius seruauerit, non gustabit mortem in æternum.

LIBERA EVM. Verba Dei sunt liberantis hominem à maledictione crucis per Euangelion, & absoluentis eũ à iure peccati, ubicunq; enim inuenit Dominus filiũ suũ mediatorẽ, ibi propiciationem inuenit, ipse enim est propiciatio pro peccatis nostris.

GERMINET CARO EIVS. Adhuc Deus loquitur, uiuificãs Euangelio eum, qui antea per legem mortuus erat: redeat, inquit, ad adulescẽtiam, & resumat omnes uires suas, ante per furorem iudicij mei collapsas: nolo enim mortem morientis, sed magis ut conuertatur & uiuat.

Fructus regenerationis.

ORABIT AD EVM. Ex regeneratione et uiuificatione Euangelij, uberrimi fructus pullulant. Primus, oratio qua maius donum, ferè à Deo homini cõtigisse nõ poterat, hoc enim ipso, quo spiritũ orãdi

largitur

largitur Dominus, largitur etiam orationis impetrationem, hoc est, una cũ spiritu orandi, se captiuũ dedit: sic Iacobo captiuus factus est, Geñ. 22. Sic Mosi Exod. 32. per orationem à fide profectam.

ET OSTENDET EI FACIEM &c.

Secundus fructus est, gaudiũ spiritus sancti quod est facies Dei iucunda, exhilarãs cõscientias nostras.

RETRIBVETVR HOMINI &c.

Qui enim bona egerit, ibit in uitã æternã, & his q ad dextrã sunt, dicetur, Venite benedicti patris mei.

ASPICIET AD HOMINES. Tertius fructus regenerationis est confessio, non illa auricularis, sed quæ est uera cordis, agnitio peccatorum, hæc enim confessio Deo grata est, si agnoscamus omnes uires nostras sub peccato, et Satana captiuas fuisse, et nihil in uniuersa carne nostra situ esse, qđ Deo gratũ fuerit: sic enim se humiliare, est se exaltare: sic se peccatorẽ agnoscere, est se in Domino iustificare.

ET NONDVM AEQVO. Ita enim fides dicit: Domine si iniqtates obseruaueris, quis sustinebit? adfluxisti, sed nondum pro merito peccatorũ: punisti, sed maiora sunt delicta, quã ut tantilla cruce expiari possint. Infidelitas autem, semper putat se minus peccasse, quàm adfligatur.

LIBERAVIT ANIMAM &c.

Confessio eius, qui per Euãgelion renatus est: li-

berauit Dominus me à morte, peccato, et inferno:
est quod nunc timeam illos Satanæ insultus, habita
cõfidenter, siquidem eo lumine illuminatus sum, q
illuminat Deus oẽm hominẽ in hũc mundũ uenien

ECCE OMNIA ISTA FACIT.

Omnia hæc, inquit Elihu, Deus operatur in u
quouis, per Euãgelion renato, idq; tribus uicibus, h
est, sæpe & frequenter, nunc enim eleuat pium, n
rursum deijcit, iam exaltat, iã humiliat, modo mort
ficat, modo uiuificat, p ut suo animo allubescat: nam
& Hiobem ad eundẽ modum tractauit, primũ eum
exaltando: deim humiliando per crucem & iudiciũ:
postremo rursum eleuãdo, ut est in ult. cap. hac enim
uarietate erudit pios, ut in solã ipsius manũ respiciãt
& ex ipso uitam, salutem, & omne bonum petant.

ANIMADVERTE HIOB, AVDI ME.

Id est, uerissima nũc dixi: proinde æquum erit, ac
obtices cas, & aures arrigas. Quod si existimaueris
me inique pronunciasse, te esse iniustũ: age itaq; mea
daciũ meum arguito, & tuã declarato iustitiã, si fo
te & ego persuasus, iustitiæ tuæ patronus fiam: nunc
uero quum nihil habes, quo possis patrocinari tuæ iu
stitiæ, quam habebas quidẽ, prusquã adfligereris, sed
posteaquã iudicio Domini comprehẽsus es, euanuit
omnis iustitia. Proinde diligẽter audi sermonem me
um, prudenter enim de tua causa pronunciãbo.

CAP.

CAP. XXXIIII.

ADdens Elihu, dixit.

Audite sapiẽtes sermonem meum, & docti animaduertant me.

Quoniam auris sermonem probat, sicut guttur gustat cibum.

Iudicium eligamus nobis, cognoscamus inter nos quid bonum.

Quoniam dixit Hiob, iustificatus sum, & Deus declinauit iudicium meum,

Super iudicio meo mentior, flagellor sagitta mea (etiãsi) nullũ scelus (in me sit)

Quis uir sicut Hiob, bibens subsannationem quasi aquas?

Et gradit ad participandũ cũ facientibus iniquitatẽ, & uadit cum uiris impiis.

Quia dixit, non reputatur uir, etiamsi ambulauerit cum Deo.

Idcirco uiri cordati, audite me, absit, ut Deus impius sit, & omipotens iniquus.

Quia opus suũ hoĩ retribuit, & iuxta uias suas unũquẽq; inuenit (seu iudicat)

Vere eñ Deos, non impie condemnat

& omnipotens non peruertit iudicium.

Quis constituit cum ipso terram? & q
posuit orbem uniuersum?

Si poneret ad se cor suum, spiritum su
um, & flatum ad se congregaret.

Consumeretur omnis caro pariter, &
homo ad puluerem reuerteretur.

AVDITE SAPIENTES SER. &c.

Secunda oratio Elihu, qua probat Deum nõ esse iniquum iudicem, tum quod sit mundi iudex, tum quod omniũ rerũm potens administrator sit. Audite inquiens, ô sapientes sermonem meum, & docti de eo iudicent, q. d. nolo ego meipsius iudex esse; iudicent inter nos sapientes ac eruditi.

QVONIAM AVRIS SER. &c.

Similitudo est, quod guttur est cibo, hoc auris est sermoni: iam guttur cibum probat, sapidus ne an insipidus sit: ita aurium iudicium probat sermonẽ, uerus ne an falsus sit, nã ut nõ credis nisi audias, fides enim ex auditu est, ita probare spiritus nõ licet, nisi sermonem audieris: hinc delicatas aures habere dicuntur, qui nullum sermonem, nisi ad unguem expolitum probant. Agite itaq;, inquit Elihu, uos sapientes, iudicate inter me et Hiob, uter uerius sentiat: iudicium prudentum non detrecto. Ergo VERBVM

Dei iudicio hominum cõmittẽdum est? absit, VERBVM enim Dei ueritas est, omnis autem homo mẽdax: iam quî posset mendacium, ueritatem iudicare? Item VERBVM Dei est omnipotẽs, per quod homo creatus est: quomodo igitur posset creatura iudicare suum creatorem? Adhæc VERBVM Dei, hominis iudex est: siquidem pater dedit omne iudiciũ filio, qui est VERBVM. Proinde fieri nequit, ut homo, VERBVM iudicem suũ iudicet: cur ergo Elihu uerbum suum, quod iactat esse Dei VERbum, hominum iudicio permittit? Respondeo, nullus homo, quantumcunq; spiritualis, potestatem habet iudicandi VERBVM Dei, sed uerbũ hominum, hoc est, an quod homines pronunciant, docent & statuunt, sit VERBVM Dei? ut Christus effudat sanguinẽ pro peccatis nostris: hoc VERBVM iudicare, nulli hominum concessum est, sed oportet omnes sese huic captiuos dare & credere: interim tamẽ multi, multa & uaria de hoc VERBO pnunciarũt: initio enim ecclesiæ Christianæ, ut est Act. 15. aliquot Apostoli docebant, etiam legem ad expiationem peccatorum necessariam esse, aliquot diuersum: sola scilicet fide purificare cor hominis: igitur spirituales iudicabãt, non ipsum Dei VERBVM, sed ꝯs inter diuersa sentiẽtes, VERBVM Dei loqueretur. Hinc Paul. ait 1. Corinth. 2. Spiritualis omnia

Verbũ Dei alios iudicat, ipsum non potest iudicari.

Iudicandũ an sit Verbum Domini.

dijudicat, & 1. Corinth. 14. Prophetæ duo aut tres l
quantur, & cæteri dijudicent. Quid? VERBV
Dei? absit, ipsum est enim omniũ hominũ iudex; se
uerbum & doctrinã hominũ, an fidei ac VERBO
Dei consentanea fuerint: & probẽt spiritus, non De
sed hominũ, an ex Deo sint. Omnes igitur in eccles
sed iusto ordine, & disciplina, audiendi sunt: nemo
quantumuis abiectus contemnendus est: nam et Do
minus asinæ os aliquando aperuit, & sæpe etiã es
holitor ualde opportuna loquutus. Sed pro dus es
sermo & doctrina omniũ, per spirituales, a sit dei
sermo & fidei Doctrina: id quod fit, si hominum do
ctrina non ad captũ humanũ & rationẽ carnis, sed
ad VERBVM Dei & fidei regulam exigatur.

QVONIAM DIXIT HIOB &c

Hæc est Hiobis sententia, ego inquit, iustus sum,
nihilominus tamen adfligor et crucior ueluti iniust
simus, oportet igitur Deum iniustum esse, qui decli
net iudicium meum, id est, mihi iusto et bono æquita
tem iudicij deneget: appello quidem æquum iudiciũ
ut supra cap. 19. & 23. sed ipse flagella, flagellis ad
dit, clamorem meum ueluti surdus, negligens, cũ ta
men in me, ne tantillum quidem sceleris, inueniatur.
Adhæc super iudicio meo mentior, hoc est, cogor, ue
lim nolim, mendax esse, ut Deus uerax sit, quicquid
ego loquutus fuero, mendaciũ oportet esse, quicquid

uero

uero Deus dicit, uere dictũ est, quicquid agit, recte actum est, siue meo merito, siue immerito: quomodo igitur potest esse iustus iudex, tyrannide potius, quã equitate iudicans? Hæc Hiobis, inquit Elihu, sententia est, sed quàm pia, uiderint nunc iudices, siquidem nemine: unquam uidi Hiobe, aut stultiorem, aut magis furibundum: bibit enim subsannationem, quasi aquas, hoc est, stulticia & furore, quasi aquarum inundatione, totus plenus est, nihil prorsus differẽs ab extreme iniquis & impijs, propterea quod palã dicat, ut supra cap. 13. & 19. Deum nullum respicere quantumuis iustum & bonum, nec reputare ambulantem in uijs eius, præ iniquo, & mãdata eius contemnente, sed in uniuersum, omnes simul perdere & conculcare, siue iustos, siue iniustos. Est autẽ ambulare cũ Deo, iuste uiuere, sicut scriptum est de Enoch Gen. 5. Ambulauit Enoch cum Deo. Ambulare cũ Deo quid sit.

IDCIRCO VIRI CORDATI &c.

Id est, quãdo iudices aurem præbuistis Hiobi benuolam, eam & mihi concedite: nam natura uidetur, ideo duabus auribus hominem donasse, non ut quod una aure audiamus, per alteram auolet: sed ut altera auris actori, altera reo, patula reseruetur.

ABSIT VT DEVS IMPIVS &c.

Ratione probat Deum non esse impium, quia iudex mũdi est: quomodo aũt iudex impius esse posset?

Eadem Paulus Ro. 3. iusticiam Dei iudicando probat, dicens: Quod si iniusticia nostra, Dei iusticiam commendat, quid dicemus? num iniustus Deus, qui inducat iram? Humano more loquar: absit, nam quomodo iudicabit Deus mundum, scilicet, si iniustus esset? Ille igitur iudex unumquenq; iuxta uias suas iudicat, & reddit unicuiq; iuxta facta sua, nõ aliena; hoc est, iuxta fidem: sola enim fides impletio mandatorum Dei est, & legem factis exprimit.

VERE ENIM DEVS NON &c.

Quod Deus non inique condemnet, aut iniuste iudicet, ac adfligat, alia probatur ratiõe, quia omnium rerum creator est. Quomodo autem creator iniustus esse posset? ait enim Elihu.

QVIS CONSTITVIT CVM &c.

Id est, Deus creauit solus terram, adeoq; uniuersum orbem: quis igitur tanto Heroi iniusticiæ notam inurere posset? Huc adcedit potentia eius: nam si animo suo allubesceret, uno momento posset omnia creata perdere, & spiritum suum omnia uiuificantem, ad sese retrahere: spiritus enim Domini supercreturas uolitans, omnia fouet, uiuificat, conseruat, alioqui mox in cineres ruitura: nam et homo, spiritu Domini, per Verbum creatus est, Gen. 2. Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam

nam uiuentem. Iam si Dominus Verbum suum, una cum spiritu, ad sese reduceret, quomodo constaret homo? nonne mox in puluerem reuerteretur?

SI PONERET AD SE.

Id est, si animo suo placeret, tunc posset manum suam & potentiam retrahere, qua creaturas continet, & omnia rursus in nihilum redirent.

Si intelligis, audi istud, animaduerte ad uocem sermonis mei.

Nunquid qui odit iudicium, ideo rebellet, & iustum tumidus condemnet?

An dicet quispiam regi, Belial? impii ad principes?

Qui non respicit faciem principum, & nō agnoscit magnificum (uel diuitem) præpaupere, quoniam opus manuum eius omnes sunt.

Subito moriuntur, & media nocte conturbantur populi, ac pessum eunt, & auferentur potentes sine manu.

Quoniam oculi eius super uias uniuscuiusq;, & omnes gressus eius respicit.

Non sunt tenebræ, neq; umbrositas, ut abscondantur illic faciētes iniquitatē.

Neq; est in cuiusquam potestate situm

ut ueniat cum Deo in iudicium.

Conterit multos nullo numero, & ſtatuit alios pro eis.

Propterea quod agnoſcit opera eorum & ſubuertit noctu, ut conterantur.

Simul impios cõcutit in loco uidentiũ.

Propterea quod receſſerunt ab eo, & omnes uias eius non intellexerunt.

Vt ingrediatur ad eum clamor pauperis, & clamorem adflictorum audiat.

Si ipſe quietem dederit, quis condemnabit? ſi abſconderit faciẽ, quis aſpiciet eum, & inter gentes & homines ſimul?

Regnare facit hominem hypocritam ad capiendum populum.

SI INTELLIGIS, AVDI &c.

Si in te eſt Hiob, ullus prudentiæ ſenſus, diligẽter rogo, animaduertas, et alta mẽte, quæ dico reponas nõ enĩ ideo iniuſtus eſt Deus, qd' tu aut odio habeas, aut nõ intelligas iuſticiam diuini iudicij, adflixit te dominus, non quidẽ merito tuo, ſed tamen nec iniuſte, iuſtitiæ enim eius non eſt numerus, nam, etiãſi in te adflictionis meritũ non inuenerit, inuenit tamẽ in ſe ipſo cauſſam, quare cõducibile ſit, ut adfligaris: proinde, nõ eſt qd' ideo rebelles iudicio Dei, qua tu indi-

generis, nec ratione capias iustitiam eius: nec ideo cõ
demnes iustũ Deum, iniustitiæ, quod tu arroganter in
flatus aduersus prudentem eius administrationẽ, qua
te innocentem adfligit, sed trade te, manui eius capti
uum, & crede, si enim crediderit, intelliges

AN DICET QVISPIAM &c.

Argumentum à minori: non impune fert, qui re=
gem quempiam huius terræ, iniustum, Belialẽ, aut Sa
tanæ ministrũ adpellauerit: nec impunitus relinqui=
tur, qui principes huius mundi, impietatis adcusat, et
impiorum cognomine uocat, quanquã errare ut ho=
mines possunt, nolunt tamẽ erroris, aut impietatis re
prehendi, & tu putas, te impune laturum, quod iniu
stum & impietatis calumnieris regem omnium re=
gum, ac principem omniũ principum: putasne, Deũ
aut surdastrum esse, qui tanta cõuitia non audiat? aut
impotentem, cui uires sese ulciscendi desint?

QVI NON RESPICIT FACIEM.

Alia probat ratione, Deũ non esse iniustũ iudicẽ, Deus nõ respi
siquidẽ nõ respicit personas, de iustis enim iudicibus cit personas,
scribitur, quod personas nõ admittentur, ita in iudicio ideo iustus.
Dominus non respicit uel principem, uel diuitẽ, præ
ablecto & paupere, sed caussam: si iustam pauper
caussam habuerit, pro paupere, contra principẽ pro=
nunciat, si uero iniustam, pro principe contra paupe
rem decernit, quia omnes, tã principes quàm uulgus,

tam diuites quàm pauperes, opera manuum eius sunt & in potestatem eius concluſi, nec ulli hominum licet, siue ille primas, siue infimas fuerit, sententiæ eius iudicium detrectare, aut aliò adpellare.

SVBITO MORIVNTVR &c.

Ad iustitiam Dei, & rectum eius iudicium, adcedit potentia, quem enim recto iudicio condemnat, eum subito conterit, & media nocte, hoc est, inopinato conturbat, quantumuis potentes, nullis externis uiribus, sed sine manu, & duntaxat oris sui spiritu, Esa. 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium.

QVONIAM OCVLI EIVS &c.

Non est Deus ut homo, qui iuxta speciē & externā laruā iudicet, sed ītimas et occultas uniuscuiusq; uias cognoscit, iuxta quas sententiā suā pronūciat, nō enī potest se abscōdere impius, ne in impietate sua cōprehēdatur, nullæ sunt tenebræ, nullū est latibulū tā opacum, quo celari possit, Psal. 138. Quo ibo à spū tuo, et quo à facie tua fugiā? Amos 9. Nō erit fuga eis, & si fugerit ex eis, nō saluabitur, si descēderint usq; ad infernū, inde manus mea educet eos, si ascenderint usq; ad cœlū, inde detrahā eos, si abscōditi fuerint in uertice Carmeli, inde scrutās, auferam eos, si cælauerint se ab oculis meis in profundū maris, ibi mādabo serpenti, & mordebit eos, si abierint in captiuitatē corā inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos.

Neq;

NEQVE EST IN CVIVSQVAM &c.

Omnia Deo patent.

Quæcunq; Dominus fecerit, recta & iusta sunt nec est situm in hominis potestate, diuina opera, pro suo arbitrio uel iustificare, uel condemnare ut supra cap. 33. Si semel loquatur Dominus, postea an rectum sit, non est inuestigandum, & Rhoma. 9. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, cur me fecisti?

CONTERIT MVLTOS &c.

Mutatio regnorũ, opus Domini.

Mirabilia sunt Dei opera, non tamen iniqua, hos enim humiliat, illos exaltat, hos exaltat, illos humiliat & ut potẽter, ita nõ iniuste, innũerabiles è sublimi deiecit, agnoscit enim opera eorũ impia, propter quæ non immerito opprimuntur. Porrò, huius gnomæ exempla, habes in omnibus ferè huius mundi regnis, nã Babylonicum seu Assyriacum regnum, principio toti orbi dominabatur, quo contrito, surrogauit Dominus regnum Persarum, hoc item deiecto, ortum est regnum Græcorum, quo similiter subuerso, Romanorum subinde excreuit potentia, quia enim Dominus, impietatem regum agnoscit, ideo inopinatis malis cõterit eos, ut Daniel. 5. de Balthazare.

SIMVL IMPIVS CONCVTIT &c.

Impij florent aliquandiu, & uidentur impunes, sed iudicante Domino, omnes simul prouerbium ac fabula fiunt, & in extremas derisiones conijciuntur, nam

quod hoc loco dicitur, in loco uidentium, hunc hab
sensum. Videre in scriptura, plerũq; pro gaudio e
ci sumitur: impij ergo concutiuntur in loco uiden
hoc est, sic deijciũtur, ut eorum casus, magno gaud
aduersarios afficiat. Cæterũ, quod impij pereant, n
fit citra causſam: recedũt enim à Domino, nec inte
gunt uias eius. Verbum contemnũt, & opera eius
lumniantur, opprimentes pauperem & regenum n
gligentes: proinde, intrante pauperum clamore in
conſpectum Dei, pereunt impij, ut habes in Phara
ne, qui clamore filiorum Iſraël ad Deum, turpiſſim
morte tandem occubuit.

SI IPSE QVIETEM DEDERIT &c.

Saluante Deo, & conſcientiæ pacem dante, nemo
condemnare poteſt, Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis
contra nos? quis eſt qui cõdemnet? Chriſtus Ieſus, qu
mortuus eſt & reſurrexit, ac interpellat pro nobis.

SI ABSCONDERIT FACIEM &c.

Domino ſe abſcondẽte, nemo eum reperire pote
& Domino gratiam abnegante, nemo ſaluat, ſed om
nes quotquot in terra uiuunt homines, pereunt, unde
etiam extra Domini, datur impius magiſtratus, et hy
pocrita: nam ut populi ſalus externa, è pio magiſtra
tu cõſtat, ita deuaſtatio eius ex hypocrita manat, nec
enim quiſquàm aut pernicioſius, aut τυραννικώτερ
ρως dominatur, quàm hypocritæ: quemadmodum

Crudele imperium hypocrytæ principis.

apu

apud Ethnicos, Philosophi, & inter Christianos prin cipes, Papistæ & Abbates religiosi, ac Episcopi, non tam mira, quàm gladio, non illo, qui est Verbum Dei sed euaginato & cruento conspicui. Porrò, ubi nos legimus, ad capiendum populum, Hebræus habet, מִמְּקֹשִׁים .i. à laqueis, aut decipulis popu li. Sunt autem leges iniquæ, et exactiões iniustæ prin cipum hypocritarum, laquei, & decipulæ, quibus po pulum sibi subiectum uenantur & capiunt.

Quoniam pro Deo dictũ est intermit tam (sermonem) non addam (aliquid)

Si non adprehẽdero, tu doce me, si ini quitatem feci, non adiiciam.

Nonne a te responsio danda est, quoni am spernis (aliorum benedicta) cum tu incœperis (seu elegeris) & nõ ego? quod igitur noueris loquere.

Viri cordati loquantur mihi, & uir sa piens audit me.

Hiob non prudenter loquitur, & uer ba eius non sunt sapientia.

Pater mi probetur Hiob usq; ad finem propterea quod conuertat se ad uiros ini quitatis.

Quia addit ultra peccatum suum ini

quitatem, inter nos concutiatur, & con-
tendat uerbis suis cum Deo.

QVONIAM PRO DEO &c.

Quia nunc finiui orationem meam, & uindicem
Deum ab iustitia, cuius tu eum insimulas, igitur cùm
receptui, cessabo loqui, neq; quicquã adijctam, quod
si non omnia assequutus fuero, doce tu meliora, si ma-
le loquutus sum, testimonium perhibe de malo, & iu-
ctum me fatebor, neq; committam ut plura loquar,
siquidem tibi nunc respondendum est, tum quod alio-
rum benedicta rideas & contemnas: tum quod prior
hanc contentionem mouisti, non ego: proinde nihil
habes quo te ab improbo silentio excuses.

VIRI CORDATI LOQVANTVR &c.

Stultus ego sum, qui à te in hac caussa, prudentiã
sententiam expectem, cum hactenus uana & impru-
dentia loquutus fueris. Sapientes potius uiros, & pru-
dentes iudices adpellabo, qui me audient, & deinde
ius caussæ sententiam ferant.

PATER MI PROBETVR HIOB.

Quid? oratne Elihu, ut Hiob adfligatur? an non
etiam inimicis bene precandum est? Respondeo, Eli-
hu non imprecatur Hiobi aliquid mali, sed rogat, ad
Hiob in cognitionem blasphemiæ suæ ducatur, id quod
non potest fieri, nisi per crucem & adflictiones: pro-
inde, quum orat ut crucifigatur, usq; ad finẽ, orat etiã
ut resipiscat.

ut resipiscat: quando crux resipiscentiæ schola sit, quemadmodum & Dauid sæpe precatur in Psalmo ut impij inimici confundantur, Spiritus enim non rogat, ut impietas non imputetur pro peccato, sed orat, ut impio per confusionem & crucem impietas reueletur, ne impietatem pro ueritate credendo pereat. Ita & Elihu precatur Dominum, ut tãtisper Hiobem adfligat, dum eruditus cruce, agnoscat suum errorem et resipiscat: ait enim, Domine Deus, fac ut Hiobẽ nõ prius à cruce liberes, q̃ suã blasphemiam agnoscat: nunc enim conuertit se ad uiros iniquos, hoc est, impijs similis efficitur, propterea quod suam iniquitatem excuset, & sibi quasi iure quodam licere putet, quicquid contra Deum loquutus fuerit: adeoq; peccata peccatis, blasphemias blasphemijs addit: quid igitur optarem, nisi ut probe per crucem concutiatur? Si forte Domini uoluntatem per eam discat: deinuero, cruce affectus, contendat, uel insemputernum cũ Deo quàm diu libuerit, ut mea autem fert opinio, si paulo durius eum tractaueris, non libebit diutius aduersus Deum insanire, & eius iudicia basphemare, sed potius humiliatus ueniam precabitur.

Oratio cõtra inimicos, ut confusi resipiscant.

CAP. XXXV.

REspondens Elihu, dixit,

An istud existimas pro iudicio, quod dicis iustior sum Deo?

Quod ais, quis reputatur coram te? qd proderit (si recessero) a peccato meo.

Ego respondebo tibi sermonem & amicis tuis tecum.

Aspice cœlum, & uide, & contempla re nubes, altiora te sunt.

Si peccaueris qd facies ei? & si multiplicatæ fuerint ipietates tuæ, quid ages ei?

Si iuste egeris quid dabis ei? uel quid de manu tua accipiet?

Viro tibi simili impietas tua (nocebit) & filio hominis iusticia tua (proderit)

AN ISTVD EXISTIMAS &c.

Obmutescente Hiob, manifestius Elihu blasphemias eius pponit, dicēs. An istud pro iudicio existimas? hoc est, credis ne hoc uere & recte te sentire, quod pronuncias te, multo iustiorem Deo esse? nam quamquàm hæc non conceptis uerbis protuleris, ea tamen est animi tui sententia, cum enim te iniuste & inique à Deo adfligi adseras, & Deum iniusticiæ adcuses qd ex hoc aliud conijci posset, quàm quod te iustiorem Deo existimares? Ad hanc blasphemiam addis aliam,

Deum

Deum scilicet, non respicere iustitiam, nec quicquàm prodesse, etiãsi quis ab iniquitate recesserit, ut supra capite 9. Etiamsi innocens fuero, deprauabit me, & postea, si lotus fuero aquis niuis, & purificauero in fonte manus meas, tamen sordibus intinges me, id est innocẽtia & iustitia nihil prosunt, coram Dei iudicio quid igitur iuuabit ab iniqtate recedere, & iusta operari? Sic Hiob manu Domini in iudicio destitutus sentit, sic & impij quiq; sentiunt, Roma. 9. nam cùm audiant omnes tam pios quàm impios, iudicio Dei obnoxios esse, & neminem posse aut cursu suo, aut uoluntate & conatu humano, sed sola Dei gratia, salutem consequi, mox obiiciunt, quid ergo de nobis conqueritur Deus? agite, uiuemus pro libidine nostra: utcunq; enim uixerimus, sententia Dei super nos lata, non retractabitur.

Caro sic stupet ad prædestinationẽ & iudicium Dei

EGO RESPONDEBO TIBI &c.

Id est, quia Hiob falso, Deum calumniaris, quod neminem iustũ respiciat, aut parcat: igitur audi, ego non tam tibi quàm amicis tuis recta respondebo: principio, quod dicis iusticiam tuam non prodesse Domino, adde, nec impietatem tuam ei obesse, uera loqueris: altius enim est cœlum, quod est Dei sedes, altiores sunt nubes Dei habitacula, quam ut poßis impietatibus tuis, ea penetrare, & Deo incõmodare. Præterea quum Deus sit omnium bonorum thesaurus,

Deo non commodare iusticia possumus nec incommodare iniqtate

tantum abest, ut possis & aliquid tua iustitia cõferas, ut citius, mare uastum, unica aquæ gutula, auctius rideas, Psalmo 49. Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues, Mich. 6. Nunquid offeram Deo holocautomata, & uitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus milibus arietum? &c. Cui igitur prodest humana iustitia? aut cui obest iniquitas? Sequitur.

VIRO TIBI SIMILI IMPIETAS &c.

Deo nihil obest nostra iniustitia, nec prodest iustitia, sed homini nobis simili, hoc est, prodest iustitia, & obest iniquitas, nobis ac pximis nostris. Sũt enim duo opera, iuxta quæ Dominus iudicaturus est, scilicet, fides & charitas: utrũq; uero, nec tantillũ quidẽ Deo confert. fides enim oĩa bona à Deo adcipit, tantum abest, ut aliquid ei largiatur, ita & charitas proximum, non Deũ iuuat. Cõtra, infidelitas nihil Deo incommodat, sed nobis potius, propterea quod per infidelitatem bona Dei prædicatiõe Euãgelij, nobis oblata, repellamus, similter Φιλαυτία, cum charitate ex diametro pugnans, Deo nihil aufert, sed proximo nostro, quem præ nostri amore negligimus. Cur ergo Deus adfligit peccatores, si propter peccata hominũ nihil suæ maiestati decedat? Ad hoc respõdet Elihu in fine capitis, dicens: iudicũ coram Domino est, nam etiamsi

Per iniquitatem nobis & proximo nocemus.

Cur Deus puniat iniquitatem.

etiamsi nostra iusticia, Deo nõ proderit, nec iniquitas obe-
rit, est tamẽ peccatores puniturus, tum quòd per
infidelitatem suam ipsorum salutem neglexerint, &
bona misericordia Dei oblata, cõtempserint, tum qđ
sibi factum computet, quodcunq; proximo fecerimus
siue bonum siue malum, Zacha. 2. Qui tetigerit uos,
tanget pupillã oculi mei, sic enim habet uetus lectio,
Matth. 22. Amen dico uobis, quatenus feciſtis uni de
his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Propter multitudinẽ calũniantiũ cla
mabũt, uociferabunt a brachio magna.

Et non dicunt, ubi est Deus fa (tum.
ctor meus, dans carmina in nocte.

Docens nos præ beſtiis terræ, & præ-
uolatili cœli sapientificans nos

Illinc clamabunt, & non exaudiet, a fa
cie superbiæ adfligentium.

Profecto uanitatem non exaudit Deus
& omnipotens non respicit eum.

Etiam tu dicis, non respicis nos, iudi-
cium coram eo est, & expecta eum.

Et nunc quoniam non uisitat ira eius
& non cognoscit iniquitatem multam.

Ideo Hiob uane adperuit os suum (&)
nulla scientia, sermonem multiplicat.

PROPTER MVLTITVDINEM &c.

Quod Deo non incommodet iniquitas humana impij conijciunt, partim ex tyrannide impiorum qui miseri quiq; tantum non dilaniantur, partim è ualido, sed tamen frustraneo clamore, uim & calumnias patientiũ, nam si quicq̃ Deo officeret hominum malitia, quomodo posset tantam impiorũ tyrannidem tam diu ferre? aut clamores iniqua patientium non exaudire? Vnde Elihu ait, clamant oppressi, & uociferantur propter brachium, hoc est, tyrannidem magnatũ sed quia tyrannis non cessat, nec mox liberãtur, ideo non curant Deum, & contemnunt, ut sequitur.

ET NON DICVNT, VBI EST &c.

Qui enim tyrannide premuntur, clamant quidem, et uociferantur aduersus oppressores, sed quia non clamant ex fide, non exaudiuntur, non autem exauditi, contemnũt Deum, neq; requirunt eum nam cũ sinat impios, pro sua libidine in se miseros furere, conijciũt Deum, non curare mortalia: proinde, eo contempto, dicunt Flectere si nequeo superos Acheronta mouebo. Atqui sic à Domino recedere, summa est impietas quasi uero Dominus non dederit sufficientissima, præsentiæ suæ, in adflictionibus argumenta: primũ enim nos creauit, an qui creauit, in adflictione nos derelinqueret? absit, qui enim nos fecit, idem ille est, qui & nos fouet, conseruat, ac sustentat in omnibus aduersis

Argumenta præsentis dei in adflictione

deiu

dein, carmina dat in nocte, hoc est, Dominus excitat in nocte, carmina & concentum auium, quo ueluti aperto argumento, testatur se in adflictiõibus præsentem esse, & gaudio afficere, cor contritum & humiliatum: nox enim per sese, horrendis tenebris et alto silentio, terrorem hominibus incutit: sed rursus, terrorem mitigant, nocturni cantus auium præsertim luscinarum, de quibus Plinius scribit, luscinijs, inquiẽs diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus, sine intermissu cantus, ita & adflictiones molestissimæ sunt, sed rursus, consolatione Euangelij mitigantur. Postremo, nonne & hinc colliges, nobis Deum præsentẽ ac fauentem, quod prona cũ spectent animalia cetera terrã, Os homini sublime dedit. cœlumq; uidere, iussit & erectos, ad sydera tollere uultus: nã cum bestias et uolucres finxerit ἄλογα, nos homines ita creauit, ut essemus sapientes, ratiõe præditi, & creaturarum domini, Gen. 1. Creauit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ suam, &c. Quis igitur, hæc alta mente consyderans, in adflictionibus Dominum non inuocaret, aut eius auxilium non speraret?

ILLIC CLAMABVNT &c.

Hoc est, impij à tyrannis oppressi, clamant, sed nõ exaudiuntur, propterea quod non ex fide, sed ex impatiẽtia doloris clament, nec expectant Domini auxiliũ sed nisi mox liberauerit, ad alienos Deos cõuertũtur

Impij oppressi si frustra clamant.

aut desperant. Non igitur mirũ, quod clamantes propter tyrannidẽ et superbiam adfligentium, non exaudiantur, siquidem Deus non respicit uana uota, nec omnipotens exaudit infidelem orationem.

ETIAM TV DICIS NON &c.

Impie sentit caro, Deũ sua non curare.

Non solũ ij, quos modo rensui, Deum propterea quod nõ mox ut adfligãtur, eos liberet, perfricta fronte contemnunt, uerumetiam tu Hiob in eodem impietatis luto hæres, opinaris enim certo, Deum non respicere nos, nec curare quid nobis accidat, sic enim supra dixisti cap. 9. Si inuocauero & exaudierit me, non credo quod audiuerit uocem meam, & cap. 30. Si clamauero ad te, non exaudis me, si stetero coram te, non animaduertis me: quid autem hoc aliud est, quàm abnegare Dei curam, quam in adflictos habet? promisit enim se adfore in adflictionibus: iam quum conscientia sentit eum absentem, non potest non negare Dei curam & sollicitudinem pro adflictis

IVDICIVM CORAM EO EST &c.

Vel tandem respondet Elihu, non tam ad Hiobis, quàm omnium impiorum sententiam, qua pronunciant Deum negligere res humanas, nec prodesse iusticiam, nec obesse iniquitatem, quandoquidem sinat, quæq; pro sua libidine ferri, & nec parcat iusticiæ, nec puniat iniusticiam, ait ergo: iudicium est coram

Domino

Domino, expecta eum, hoc est, Deus nequaquã mortalia negligit, sed est uerus & iustus iudex, exequutionem tamen iudicij sui, reseruat usq; in illum diem, quem solus nouit: expecta igitur tu, noli festinare, infidelitas enim festinat, fides uero expectat: proinde, si expectaueris fide, uidebis tandem Dominum, gratuitate supplicij, tarditatem suam, & in futuro seculo recompensaturum.

IDEO HIOB VANE ADPERVIT.

Id est, quandoquidem Dominus, non mox punit furore suo, tyrannos malos, ac quodammodo uidetur iniquitatem impiorum nescire, ob tolerantiam suam, nec continuo clamantes exaudit, ideo Hiob imprudenter dicit, eum non respicere mala agentes, & contemptores non iudicare: atqui patientia, inquit, & expectatione opus erit: nam etiam si seruus ille malus, in Euãgelio Matthæi 24. dixerit, in corde suo cũctatur Dominus meus uenire, cœperitq; percutere seruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet tamen Dominus serui illius in die, quo non expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & stridor dentium: ad eos autem qui à dextris erunt, dicet: uenite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis, ab exordio mundi.

CA. XXXVI.

ADdens Elihu, dixit.

Sustine me paululũ, & indicabo tibi quoniã adhuc pro Deo nomen (habebo)

Repetam scientiã meam a lõginquo & creatorem meum probabo iustum

Etenim uerus, absq; mẽdacio, sermo meus est, perfecta scientia (mea) corã te

Ecce Deus potentem non abiicit, potens robore cordis.

Non uiuificat impium, sed iudicium pauperibus dat.

Non subtrahit a iusto oculos suos, & reges a solio, & sedere facit eos in æternum ut eleuentur.

E si uincti fuerint, in cathenis (&) comprehendantur in funiculis miseriæ.

Tunc adnunciat eis opera eorum, & impietates eorũ, quod tyrannos egerint.

Et reuelat aures eorum, ut erudiantur & dicit ut reuertantur ab inquitate.

Si audierint & seruierint, iuuetera/scẽt dies eorũ in bono, & anni eorũ in iocunditate.

Et si

Et si non audierint, per gladium transibunt, ac peribunt inopinato.

SVSTINE ME PAVLVLVM

Nondum pro sua dignitate, inquit Elihu, iustitiam Dei declarauí: proinde altius repetam, ac è longinquo, hoc est, ab operibus Dei, ut comprobem Deum iustum esse, uera loquar, non ero mendax, nec sermo meus coram te reprehẽsibilis erit: suffer igitur adhuc paulisper sermonem meum, donec iustitiam Dei uindicauero, recensebo enim, potentia & magnifica eius opera, è quibus unicuiq; cognobile fiat, Deũ quã longissime ab iniustitia abesse.

ECCE DEVS POTENTEM &c.

Vbi nos potentẽ habemus, Hebræi habẽt כביר id est fortẽ, grandem, Græcus interpretatur ἀκακον id est innocentẽ, & habet hanc sententiam: quando Deus sit innocens, iustus, magnus, & potens, robore fortitudinis suæ, igitur non abijcit nec spernit innocẽtes, & iustitiæ nomine, præclaros: impiũ quidem abominatur, nemo uero unquam dixerit, pium à Domino sperni, quî enim posset spernere sibi cognatũ, aut similẽ? nam ut est in cõmuni Prouerbio, pares cũ paribus, facilime congregãtur, ita nunq; contingit, ut Dominus sibi parem pietate, innocentia, & id genus bonis, abominetur. In lege dicitur Deus ignis consumẽs propterea, quod uniuersa sibi dissimilia deuorat ac cõ

sumat, igitur sibi similima, maxime complectitur, tantum abest, ut ea consumat.

NON VIVIFICAT IMPIVM &c.

Impius à Domino maledicitur, sed pius adflictus, oppressus, & pauper adiuuatur, modo manũ Domini patienter ferat, & expectet. Sic & diua virgo canit: Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes. Est enim Deus, adiutor in necessitatibus: promde conniuet ad piorum adflictiones, donec in extremã necessitatem uenerint, ut ex desperatis periculis liberando, gloriã suæ liberationis celebriorem reddat, sic enim ad Paulum Dominus ait: uirtus mea in infirmitate perficitur. Igitur tu Hiob, falsò accusas Deũ quòd te quamuis pium, adflictũ tamen & pauperem, suo auxilio destituat: si enim pius fueris, non derelinquet te Dominus, ut maxime conijciat in crucem, & extremas calamitates: quomodo enim à iusto oculos suos auerteret, cum sit promissionibus, adeoq; iuramento, iustis fidelibus addictus?

ET REGES A SOLIO &c.

Iusti Reges prosperãtur eternum.

Accedit aliud opus, quod Dei iustitiam declarat: nam Dominus, reges iustos & Principes, in lege Domini ambulantes, non deijcit è solio regio, sed firmat regnum eorum de progenie in progeniem, eleuans eos maiestate, potentia, & gloriæ celebritate, ut habes de Dauide 2. Samuel. 7. Fidelis erit domus tua, & regnum

regnum tuum usq; in æternum, Ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Similiter de Iehu 4. Regum. 10. Dixit Dominus ad Iehu, quia studiose egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti, contra domum Achab, filij tui, usq; ad quartam generationẽ sedebunt super thronũ Israel. Contra impios reges et iniustos Principes Dominus è solio regni deijcit, ut in captiuitatem ducantur, & in uincula miserabiliter conijciantur, in quibus reuelat aures, aperiens eis sua ipsorum scelera, ac in subditos tyrannidem, & quos antea nulla lege, nulla admonitione, nullis promiſsis, potuit erudire, & ab iniquitate auertere, eos postea erudit unculis & captiuitate: huius gnomæ exemplũ habes, in Manasse Rege impiſsimo, & Sedekia. Impij Reges adfliguntur.

SI AVDIERINT ET SERVIERINT.

Si reges aut Principes, nõ ut in libertate sic in captiuitate & uinculis, eruditionem Domini contemperint, sed potius recta monenti & per crucem castiganti obtemperauerint, resipiscentes à scelere suo, tunc propicium habebũt Dominũ, qui ignoscet quæcunq; ante facinora designata fuerint, & inueterascent dies eorum in bono, & anni eorum in iocunditate, hoc est, Dominus eius benedicit, ut nõ tam diu q̃ iucunde uiuant: huius rei exemplar, similiter in Manasse habes, qui compedibus uinctus, & in Babylonẽ

ductus, postquàm coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam coram Deo patrũ suorum: exaudiuitq; Dominus orationem eius, & reduxit eum in Hierusalẽ in Regnum suũ 2. Chron. 33.

Quod si uero nec in cruce resipiscant, qualis propemodum est mos impiorum, qui quo plus à Domino percutiuntur, eo longius ab ipso recedunt, quid superest, nisi ut gladio occidantur, & inopinato pereant? ut Pharao, qui nullis minis, nulla adflictiõe ad obsequium Dei flecti potuit, sed subinde indurator fiebat: proinde tandem aqua obrutus, ad sempiternum interitum descendit.

Si hypocritæ cordis disperdantur ira, non clamant, quoniam uincti sunt.

Moritur in tempestate anima eorum & uita eorum inter fornicarios.

Liberat pauperem in miseria sua, & reuelat in adflictione aures eorum,

Atq; etiam eripiet te ab ore angustiæ lato, sub quo nullum est fundamentũ, Si requieſcet mẽsa tua impleta pinguedine.

Tu uero causam impii imples, causſa & iudicium (impii) sustentantur (a te)

Quoniam ira forte incitauit te, in cõcussione, & multitudo munerum (seu uiolarũ) declinare te fecit.

Num-

Nunquid constabit potētia tua nulla tribulatione, & oīa robora fortitudinis.

Ne postules noctem ut extermines populos in ea.

Custodi ne uertaris ad iniquitatē, quoniam elegisti eam præ miseria.

SI HYPOCRITAE CORDIS DISPERDANTVR. *Vt in regibus, ita & in Hypocritis deus suum iudicium declarat, hypocritæ enim in prosperis rebus solum confidunt. Nam imaginantes è cultibus sacrificijs, ac nugis à sese conceptis, sibi propicium Deum, tantisper constant, dum imaginatio eorū constat: ea non diutius durat, quàm prospere: itaq; in aduersis, cum uincti fuerint, & calamitatibus obruti, ut derelinquūtur à Deo, falsa opinione imaginato, illa desperant, & clamare ad Deum nec sciunt, nec audent, quem enim adclamarent, cum nullum iam Deum sibi relinquū sentiant? Sic iudæi uerbū Prophetarū abominantes, Aegypto tanquā Deo confidebat: sic & Sedekias, contempto Verbo, in templum, & carnales cultus, tanquam in Deum sperabat, sed iudicio reuelato, & deuastatione ob oculos posita, nō potuerunt uera fide, eum inuocare, cuius Verbum antea cōtempserant. Hypocritas igitur, ore Deū confitentes, cæterum corde contemnentes, necagnoscentes se uinculo meritos, nihil manet nisi desperatio, & turpis*

Hypocritarū iudiciū confusio.

confusio: quod hoc loco dicitur, uita eorum interfo
nicarios erit, hoc est, hypocrita peribit turpiter.

LIBERAT PAVPEREM. Aliud iudicium, quo iudicium dei manifestum fit, liberat enĩ Dominus pauperẽ de adflictione, & aperit aures eius, hoc est, consolatur eum in adflictione. & eripit eum ab ore angustiæ, à perditione, & inferno, ubi summa est profunditas, & nullũ fundamentũ, qui enĩ semel in infernũ cadit, subinde magis atq; magis decidit, nullũ unq; fundum attingens: ab hoc periculo liberat Dominus pauperem adflictum, & ex fide sese inuocantem.

ATQVE ETIAM ERIPIET.

Vt Dominus pauperes liberat, ita & teipsum liberabit ab inferno & abysso perditionis, modo patienter manum eius sustineas, et in fide eum inuocaueris: requiescet quoq; mensa tua pinguedinis plena, hoc est impleberis omnibus Dei bonis, produces uitam tuam gaudio Spiritus sancti, & pace conscientiæ, & abundabit mensa tua benedictione diuina.

TV VERO CAVSAM IMPII &c.

Iudijs iniustis uidentur iudicia Dei.

Ex his modo recensitis, manifestum est, corã Deo esse iudiciũ, tu uero Hiob Deum blasphemans, quod non iusta iudicet, impiorũ calumniã imples, ac iustificas, & caussam, iudiciumq; eorũ, uera ac iusta, Deum uero iniustũ esse pronuncias. Solent enim impij falsò Deum adcusare iniustitiæ, siquando pro eorum libidi-

libidine nõ iudicet, neq; unquam eis diuinum iudiciũ, placet: ait, negant: negat, aiunt: proinde, quũ tu Hiob, nunc in hac adflictione qua adfectus es, Deum inuſtitiæ adcuſes, ſententiam impiorum confirmas, & opinionem de Deo impiam, tuo calculo comprobas ac ſuffulcis. Poteſt & hæc eſſe ſentẽtia, ideo tu Hiob blaſphemas, quia maledictiones & iudicia impiorũ ſuſtines, & tanquam impius adfligeris: proinde, cura ut patiẽti animo, manũ Domini feras, & liberaberis.

QVONIAM IRA FORTE INCITAVIT. Quando igitur impiorum ſententiam, tua blaſphemia comprobas, uide quæſo, ne te huc impulerit magnitudo træ, hoc eſt, adflictiõis, & doloris, quẽ ſuſtines: excute te ipſum, ne tribulationum grauitas, qua conciteris, in has blaſphemias te incitauerit, aut ne forte multitudo uillarum, hoc eſt, ingens amiſſarũ opum dolor, quibus & multis & precioſis ſpoliatus es (fuerunt enim uillæ ueterum opes & diuitiæ) te à pietate & patientia in blaſphemias & impatiẽtiam coniecerint: ſunt enim diuitiæ ſpinæ, quibus facile manum ledas: et ut Apoſtolus inquit, diuites huius ſeculi incidunt in laqueum & tentationes Satanæ: itaq;, noli Hiob Deum inuſtitiæ adcuſare, ſed uide potius, ne tu paulo infidelius et ſeruilius diuitias tractaueris, ut propter earũ amiſſionem, nunc in Deum blaſphemes, qui enim animum ſuum, prorſum ab opibus

Diuitiæ ſpinæ & laqueî

abdicarunt, & sic utuntur, ac si non possiderent, non solent ob earũ amissionem, tanta animi indignatione in Deum debacchari. Hæc aũt Helihu paræneſis, ut de pia est, neutiquã contemnenda, nam quantumcũq; pius fueris, si manu Domini destituaris, nõ potest fieri, ut graue damnũ, grato animo feras, fuit enim & Hiobi, præsente adhuc Domino, nõ difficile opes suas latronibus relinquere: postq; uere Dominus manũ sua subduxisset, nihil est, qd patienter tolerare potuerit.

NVNQVID CONSTABIT POTENTIA

Nulla fœlicitas sine calamitate.

Nulla contingit in rebus humanis fœlicitas, citra calamitatem: nullũ priuilegium citra incommodum; & unaquæq; huius mundi prosperitas, suam crucem habet adnexam: falso itaq; Hiob existimasti, tuam potentiã & diuitiis, tibi æternũ duraturas fuisse, nulla admixta tribulatione: gratum erat quondam quod potens, quod diues, & magnificus incedebas: gratum item nunc sit, quod Dominus priorem fœlicitatẽ cruce obduxerit, & adflictione condierit. Porro si percurramus omnia terrenorum bonorũ genera, nullum reperitur sine suo malo: diuitiæ comitem habent curã & solicitudinem: maiestas regia, insidiarũ timorem, & molestiæ carnificinam: uoluptas, tristitiam: uertete quocunq; uolueris, nihil syncerum, & à sua cruce alienum, nisi in futuro seculo inuenies. Stultus igitur es Hiob, qui putasti te, opes tuas & maiestatem possessurum

sessurum, usq; ad ultimum uitæ exitum, citra molestiam & anxietudinem.

NE POSTVLES NOCTEM.

Id est, Noli impie agere: uidetur enim mihi hic uersus periphrasi quadam describere impietatem. Nam ut latrones ad iugulandos homines noctu surgẽtes, impie agunt: ita qui Deũ in aduersis blasphemant, & impatienter eius manũ ferunt, impie agunt: proinde, inqt Elihu, ne postules Hiob, noctem sicut latrones solent, hoc est, ne sis impius, sed ab impietate recede, ut clarius sequitur, custodi, hoc est, cura ne ad iniquitatem uertaris, nam huc uidetur te nunc miseria atq; dolor impulisse, ut non nisi blasphemias ex ore tuo spires, capesse potius crucẽ, quæ est iustitiæ uia, et pietatis instrumentũ, impijs quidẽ crux, impietatis est occasio: pijs uero cognitiõis Dei, & gratiarũ actiõis officina.

Ecce Deus excelsus est in fortitudine sua, quis est legislator sicut ipse?

Quis uisitat super eũ uias eius? & quis dicit, facies iniquitatem?

Meméto quod ignores opus eius, quẽ admodum cecinerunt uiri.

Omnis homo uidet eum, unusquisq; adspicit eum de longe.

Ecce Deus magnus & incognoscibilis,

numerus annorum eius est imperuestigabilis.

Quoniam diminuit guttas aquæ, distillat pluuiam ad nubem suam.

Vt fluant nubes, & stillent super homines multos.

Quod si decreuerit dispersiones nubium, ablationes tegumenti eius.

Ecce expandit super ea lumen suum, & radices maris tegit (lumine.)

Quoniã per illa iudicat populos, dat cibum multipliciter.

Manibus tegit lumẽ, & præcipit ei ut rursus occurrat.

Adnunciat de eo amicus eius, & qui ab eo possidet (annunciat) etiã de excelso.

ECCE DEVS EXCELSVS EST.

An adhuc quispiam cõqueritur de iniustitia Dei, et quod nullum coram Deo sit iudicium: at quomodo potest is esse iniustus, qui non tam fortitudine sua, magnus, quàm æquus legislator est, & omnis iusticiæ absolutißimum exemplar, si enim lex Domini sancta & immaculata est, quomodo non & legislator sanctus & immaculatus esset? quis igitur ille est qui Deum iniquitatis adcusat? & opera eius calumniatur?

Qui

Qui dicere audet ad Deum, impie facis: tu enim homo, ut Paulus inquit, quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum.

MEMENTO QVOD IGNORES.

Etiam si uideatur nunc Deus, te iniuste adfligere, non tamen audes eum iniquitatis adcusare, quia opera Dei, non sic cognobilia sunt, ut obuia: uidemus quidem & sentimus opera eius, at nondũ sapientiam & iustitiam operum intelligimus, id quod & prudentes uiri, olim ueluti gnoma quadam, & communi sententia dictarunt, dicentes: omnis homo aspicit & uidet Deum de longe, non prope, habitat enim Deus in caligine & nebula, & opera eius abscondita sunt: proinde nemo potest Deũ, nisi ex longinquo (id est, per fidem) aspicere, nec possunt opera eius intelligi, nisi postremo & nouissime. En adcipe tibi passionẽ Christi quæ est opus Dei, sed ita absconditum, ut prima facie, non nisi perditio uisa fuerit: in nouissimo igitur hoc est, in resurrectione, clarissime adparuit, passionem non aliud fuisse, quàm resurrectionis meditatoriam, & ascensionis officinam: proinde, si te Hiob, Dominus adfluxerit, & auxilium suum distulerit, noli propterea iniustitiæ eum adcusare, sed crede, expecta, & adparebit, uel tandem. Pro ignores, Hebræus habet תשגיא, cuius radix ignorare, & exaltare

significat, ambo aũt hæc significata, clariorẽ reddit huius uersus sententiam. Ideo enim opera Dei ignorat captus humanus, quia exaltata et magnifica sunt

ECC DEVS MAGNVS. Tu ne Deum prope uideres, aut ratione comprehenderes, qui est maximus omniũ, & numerus annorũ eius imperuestigabilis? hoc est, æternus et perpetuus: æternitas uero nulla ratione comprehẽdi potest, ita & Paulus aiẽs profunditatem diuitiarũ & scientiæ cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Porrò hanc immensam Dei imperuestigabilitatem, utcunq; opera eius declarant, sed ita, ut partim ea, ueluti per transennam ostendatur, partim abscondatur. Ostendit enim Deus operibus se aliquã tum esse, sed quantus sit, rursus operibus inuolut,

QVONIAM DIMINVIT GVTTAS. E pluuia cognoscitur utcunq; Dei maiestas. Diminuere enim aquæ guttas, hoc loco, est pluuiam facere, id quod Deus mirabiliter operatur. Primum enim aqua, hoc est, humida & aliâs propter uapores fumida caligo, exhalat è terra in aërem, in sublime: deinde in nubem cogitur, & distillatur: postremo effunditur aqua in nubem coacta, super terram & super homines, Psal. 146. Operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.

QAOD SI DECREVERIT DISPERSIONES

SIONES. Post pluuiam, adducit Dominus serenitatem, quæ & ipsa mirabiliter fit, hoc ordine: prumũ dispergit Deus nubem uento, & aufert eas ne obducant, & abscondant cœlum (sunt enim nubes cœli tegumentum) dein expandit lumen solis super uniuersum orbem, terram & mare, è quo potissimum per exhalationes generantur nubes, unde mare hoc loco nubium radix dicitur.

QVONIAM PER ILLA IVDICAT.

Per illa, id est, pluuiã & serenitatem, seu siccitatẽ benedicturus enim Dominus populum suum, dat pluuiam matutinam & serotinam, ut habeant uaria ciborum genera: maledicturus uero, facit cœlum æneum, ne pluat: & terram ferream, ne frumenta producat, ut homines fame pereant, Deut. 28. Leuit. 26.

MANIBVS TEGIT LVMEN.

Id est, utcunq; Deo placuerit ita operatur, nũc enĩ obducit cœlum nubibus, ut quodammodo manu sua uideatur splendorem tegere: nunc rursus præcipit soli, ut expandat lumen suum, & splendore suo nos inluminet. Sed quis tam mirabilia Dei opera agnoscit, & de eis prudenter disserere potest? Addit Elihu dicẽs,

ADNVNCIAT DE EO AMICVS.

Amicus Dei est, qui credit, proinde, solus fidelis agnoscit mirabilia Dei opera, & de eis artificiose disserere potest. Solus quoq; is, qui per fidem Dei seruus

Fideli hominicognita

opera Dei.

& possessio factus est. intelligit excelsum Deum, & excelsa ac mirabilia eius opera. Impius autem non Deum nec opera Dei intelligit, quia non credit Verbum eius.

CA. XXXVII.

ETenim propter hoc expauit cor meum, & exiliit de loco suo.

Audite terroré uocis eius, & murmur quod ab ore eius egreditur.

Subtus omnes cœlos ille aspicit, & lumen eius super terminos terræ

Post eum rugit sonitus, tumultuat uoce magnitudinis suæ, & nemo retinebit ea, cum audita fuerit uox eius.

Tonat Deus uoce sua mirabiliter, facit magna & inscrutabilia.

Si ad niuem dixerit, tunc est (super) terram, & hymbri pluuiali, tũc hymber Pluuiarum fortitudine sua (adest)

Opere cuiusq; hominis signatur, ut agnoscant omnes uiri, opus eius.

Ingreditur bestia in latebras, & in habitaculis suis habitat.

A commotio-

A cõmotione uenit tempestas, & a dispersione nubium frigus.

A spiraculo Dei datur glacies, & latitudo aquarum in effusione.

Etiam densam cogit nubẽ, ut dispergat nubes lumen suum.

Etipse circumgyrationes (nubium) circumuertit funiculis suis, ut faciãt omnia quæ præcepit eis super faciem orbis terrarum.

Siue super generationẽ, siue super regionem cum misericors inuenitur.

ETENIM PROPTER HOC EXPAVIT.

Ex alijs operibus probat Elihu sapientiam Dei, et iudicũ eius imperuestigabile: nam quoties & mihi inquit, diuinæ mateſtatis abyssus, in mentem uenerit, expauescit cor meũ, usq; adeo exhorrens, ut præ horrore tantum non contabescat, & è loco suo concutiatur: primum enim è cœlo, tonitruum strepitu, suam mateſtatem Deus declarat, dicitur autem tonitruum tumultus, hoc loco, terror uocis Dei, & murmur oris eius. Deinde excitato tumultu, fulgur emicat, & corruscatio, omnia sub cœlo usq; ad terminos terræ, subito splendore inlumnans. Postremo rugit sonitus, hoc est auditur tonitru, & ingens tumultus: quanq; ante

Tonitru uox Dei.

fulgur fiat, sed nos citius fulgur uidemus, quàm ton
trua audiamus, uisus enim obiecta citius ad uisum p
netrant, quàm obiecta auditus, ad auditũ. Porrò tã
est tonitruũ fragor, ut præ horrore eius, nemo possi
homines continere, quin exhorrescant aut fugiant,
& tanta est eius tumultus potentia, ut eum nemo po
sit cohibere & impedire. Hæc autẽ omnia manifestis
sime ob oculos ponũt, immensam Dei maiestatẽ. Por
rò Physici aiũt tonitruũ causari ex ἀναθυμιάσει
exhalationis calidæ & siccæ, in humido & calido nu
clusæ: quæ per calidum & humidum tam in nubem
coactum erumpere gestiens, frangit nubem, & hor
rendum illum sonitum, quẽ tonitruum uocamus, ex
citat, quemadmodum calor ignis, superueniens humo
ri calido in lignis incluso, fragore quodam erumpere
cogit, humorem intus latentem, de qua re Plinius li. 2
cap. 43. ita scribit. Non eam inficias, posse in nubes,
ignes stellarum superne decidere, quales sereno sæpe
cernimus, quorum ictu concuti aëra uerum est quan
do & tela uibrata, stridunt, cum uero in nubem per
uenerint, uaporem dissonum gigni, ut candẽte ferro,
in aquam demerso, & fumidum uorticem uolui, hinc
nasci procellas, & si in nube luctetur flatus, aut uapor
tonitrua edi, si erumpat ardens, fulmina, si longiore
tractu nitatur, fulgetra &c. hactenus Plinius. Neque
est quod putes hæc, quæ naturali quodã ordine fiunt

Vnde toni-
trua fiant
Physicis.

inter

inter miracula & opera diuina, non esse referenda. Habent enim opera Dei hanc rationem, quod quædã fiant ordine, quem nos naturam uocamus, quædam uero citra ordinem, nam ut Christus unigenitus Dei filius in Euangelio aliquot sanauit, quarundam rerũ interuentu medio: sic enim fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos cæci, sic manu tetigit adulescentis demortui feretrum, aliquot uero citra media & ordinẽ, sanitati restituit, sed solo Verbo, ut Cẽturionis filiũ: ita Deus in orbe terrarum, quædam operatur communi ordine, & hæc naturalia uocamus, quædam solo nutu, & nullo ordine nec medio, & hæc miracula dicuntur, magis nostro sensu, quàm facti ratione, utrobiq; enim est par Dei potentia, utrobiq; sunt miracula, è quibus per fidem, inuisibilia eius cognoscuntur, ut disserit Paulus Roma. 1.

Omnia opera Dei sunt mirabilia.

TONAT DEVS VOCE SVA &c.

Expositio priorum, facit enim Deus magna, quia tonitru omnes hoies terrefacit, & fulgure, oĩa sub cœlo adspicit, & orbem terræ subito splendore inluminat, quis igitur non admiretur Dei maiestatem?

SI AD NIVEM DIXERIT &c.

Deus niuẽ creat Verbo suo, & pluuiam, ut est in psal. 148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, fiunt à Verbo eius &c. Iam habent & suæ generationis ordinẽ nix & pluuia, fiunt enim è uapore

humido, à terris eleuato, & in aëre in nubem coacto per frigidum: quæ nubes, postea & in nues & in pluuias resoluitur, quemadmodum et in homine μικροκόσμῳ ascendunt uapores in caput, ubi ob cerebri frigiditatē mutātur in densum & nubeculas, quæ post in aquā resolutæ fluxus generant, atq; hæc iā enumerata, operis ordo sunt, nō causſa. Deus enim solus, nuis & pluuiæ opus, potēti suo uerbo operatur.

OPERE CVIVSQVE &c.

Ratio tonitruum est, maiestatem Dei agnoscere.

Hoc est, ipso hominum opere, ueluti sigillo quodam, confirmatur potentia & maiestas Dei, cū enim insonuerit tonitru, aut immineat hymber repentinus usq; adeo exterrētur, ut omnes ad latibula sua fugiāt: hoc enim ipso declarant suam ipsorum infirmitatem, & creatoris maiestatem, & fugiendo agnoscere se testantur, Dominum suum in cœlis habitantem: nam externo hoc sonitu, qualiscunq; iræ diuinæ umbra, delineatur, unde & cum lex dabatur in monte Synai, præsentiam suam, & legis rationem tonitru testatus est, lex enim iram operatur &c.

INGREDITVR BESTIA &c.

Id est, propter fragorem tonitruum, non solum homines, sed & bestiæ quærunt latebras, & fuga sua testantur Dei maiestatem.

A COMMOTIONE VENIT &c.

Vbi nos habemus commotione, Hebræus habet

חרר quod terrorē & cōmotionem significat, Lutherus interpretatus est meridiē, Græcus ἐκ ταμιείων, id est, ex penetralibus: uetus tralatio habet, ab interioribus. Pro dispersione nubium, Hebræus habet מזרים quod Lutherus interpretatus est septentrionem, uetus tralatio habet arcturum, Græcus ἀπ' ἀκροτηρίων, id est à promontorijs, seu extremitatibus. Ego simplicissime sic intelligo hunc uersum, & tempestates, & frigora, opus Dei sunt, tempestates tum maxime oriuntur, quum solis æstus feruentissimus est, ut in æstate, frigus uero in hyeme, utrumq; Deus operatur, quo suam maiestatem declarte.

A SPIRACVLO DEI &c.

Venit, qui spiracula Dei dicuntur, congelant frigore aquas, & in glaciē cogunt, similiter pluuiæ & hymbres, à uentis adducūtur, idq; rursus mirabili dei ope.

ETIAM DENSAM COGIT &c.

Aliud opus diuinæ maiestatis indiciū, nā dominus nūc cogit nubes, ut lumē solis abscōdatur; nūc rursus dispergit, ut lumē solis fulgeat, & à nube nō intercipiatur. Ratio hæc omnia uentis adscribit, qui omnes nubes pellūt, solus Cæcias adtrahit, fides uero non in ordinem operis, sed in authorem, oculos suos dirigit.

ET IPSE CIRCVMGYRATIONES.

Vertit Dominus et reuertit, ducit & reducit nubes quasi funē quodam, pro ut animo suo collibitum fuerit

Nubes træ aut fauoris Domini inструmenta.

nemine prohibente, adeoq; & ipsæ nubes, domini suo promptissime obediunt, & quicquid eis ille præcepit, exequuntur, nam Dominus nubes ita tradidit, ut his, uel iuxta iusticiam suam adfligat homines, pluuiam retinendo, uel iuxta liberalitatem suam & misericordiam benefaciat, dando serotinum & matutinum hymbrem, ut habes 3. Regum 17.

SIVE SVPER GENERATIONEM.

Id est, Dominus per nubes toti familiæ & regioni benedictionem suam effundit, si modo beneficus & liberalis esse uoluerit. Contra, propter impietatē, per nubes toti familiæ & regioni maledicit. Sūt enim nubes, diuinæ iræ & misericordiæ instrumenta.

Animaduerte istud Hiob, sta, & intelli ge mirabilia Dei.

An nouisti quādo ponat Deus (istud) super eas, & educat lumen nubis suæ?

An nouisti reuolutiones (uel distincti ones) urbiū mirabilia perfectis cognita?

Quomodo uestimenta tua calida sunt, dum quiescit terra a uento meridionali?

Extendes cum eo nubes fortes adspectu (sicut) fundamentum.

Demōstra nobis quid dicamus ei (nos enī) nō penetramus (illuc) præ tenebris.

An

An recẽsebitur ei quod loquor? si quis loquatur deuorabitur.

Et nunc non uidetur lumen, lucidita tem ipse in nubibus (facit) & uentus tran siens clarificat eas.

Ab aquilone aurum uenit, ut Deus ter ribilis laudetur.

Omnipotentem non inuenient, ma gnum fortitudine, iudicio & cauſſæ iuſti tiæ non reſpondebit.

Propterea timent eum homines, ipſe autem nullos ſapientes corde timet.

ANIMADVERTE ISTVD HIOB &c. *Quæ hactenus recenſuit Hiob, mera Dei mirabilia ſunt, quanq̃ enim uideãtur cõmuni naturæ curſu fieri, eorum tamen omniũ potẽs author deus eſt. Proinde ut hæc intelligas, non adrigẽdæ ſunt aures cærnis, ſed fidei, quæ ſola poteſt in mirabilia Dei penetrare.*

AN NOVISTI &c. *Tu ne conſiliarius Dei fuiſti, ut ſcias quãdo nubes ſuas circumgyraturus ſit? aut quando gentes & regiões fœcunditate benedictu rus, aut ſiccitate maledicturus ſit? putas ne deũ in his operibus, præceptore quodam egere, qui præſcribat, quando lumen ſolis ſit producendũ, et quando nubes ſint pellendæ? ſcis ne nubium reuolutiões, qua ratiõe* Opera ſeu mi rabilia Dei ſo lis ſpirituali = bus cognita.

iam huc, iam illuc impellantur? Atqui hæc Domini mirabilia, solis perfectis, i. credentibus, cognita sunt, & spiritalibus: nemo enim nouit ut Paul. ait, ea quæ dei sunt, nisi spiritus Dei, & hi quibus spiritus datus est, nam quod carnales mirabilia Dei non intelligant, uel hinc manifestum est, quod nondum inter philosophos uel sapientissimos, de tonitruum, fulgurum, nubiũ & pluuiarum ratione cõueniat. Aliter enim de ijs disputat Anaximãder, aliter Metrodorus, aliter Anaxagoras, aliter Stoici, aliter Aristoteles, cui adcedendum? quãdo omnes ex æquo ferè sapientes fuerint, & unusquisq; sua habeat probabilia, de quibus si uoles, uide Plutarchum in placitis Philosophorum. Non autẽ potest fieri, quin mundi sapientes frustrentur per suas cogitationes, propterea quod diuina opera humano conceptu, non fide tractent. Iam si nemo prudens, mirabilia Dei in rebus naturæ cõmunibus intelligat, quî possit homo abscondita eius opera, hoc est, crucem comprehendere? Proinde cum tanta sit Dei maiestas, ut cõ sua potentia creauerit, & sua sapientia administret, non debet protinus iniustitiæ adcusari, si non cõtinuo rationem operum eius adsequatur.

QVOMODO VESTIMENTA &c.

Agnoscis ne rationem, qua uenti à Domino gubernantur, nam quod nobis exiccẽtur, & calida fiant uestimenta nostra, cũ quieuerit pluuius ille Auster, &

est uentus meridionalis, qua quæso ratione à Domino
administratur? tu ne eius es consiliarius, ut hæc omnia
pernoscas? Puto autẽ Elihu sub unius uenti nomine, Auster.
intelligere omnium uentorũ administrationem, quã
miro quodã modo dominus pro sua libidine dispẽsat:
quod uero dicat, calida nobis fieri uestimẽta quiescen
te austro, hinc uenit, quia auster uentus est pluuialis,
unde & dictum esse uolunt, austrum ab hauriendis
aq̃, siue Græce ὑότου ἀπὸ τοῦ νοτίδος, ab humore
propterea quod terra nubibus assiduis, pluuioq̃; ma
descit ab austro.

EXTENDES CVM EO NVBES &c.

Ironia est. q. d. Tu ne ille gigas es, qui deum in=
uenit quando præparabat cœlos, quando circulũ cõ=
stituebat abyssо, quando nubes certa lege disponebat
que nubes adspectu adeo fortiter compactæ sunt, ut
udeãtur firmamentũ esse? an ne igitur tuo auxilio do
minus hæc omnia ordinauit & disposuit? Age itaq̃;,
si tantus uir es, quantum te ostentas, dum audes ad=
uersus Dei iudiciũ contendere, et cum eo cõgredi, de
monstra nobis diuinæ œconomiæ rationem, & doce
nos, quid Deo respondendum sit, quum à nobis suo=
rum operum rationem postulabit? nos enim abiectæ
sortis, & deplorati ingenij homines, non possumus
præ imbecillitate intellectus nostri, in tantas diuinæ
maiestatis tenebras penetrare. Hæc oĩa mordaci iro=

ria dicta sunt, quia Elihu Hiobem argut, quod impiu
Dei iudicium, sensui & captui humano impereſtiga-
bile, iniusticiæ adcusauerit, & non se per fidem, expe
ctationemq; in manus Domini adfligentis, captiuum
dederit, nã quod Hiob conqueſtus sit, se iniuria à Deo
affectum, supra ex orationibus eius, manifeſtum eſt.

AN RECENSEBITVR.

Id eſt, omnino Deus in abſcondito & in nebula ha
bitat, ad quem nullus mortaliũ penetrare poteſt (niſi
fide per Chriſtum) Proinde, nec uerba mea, inquit E-
lihu, coram eo recenſebuntur: altior enim eſt Deus, q̃
ut humana uerba, ad eum aſcẽdere poßint, & fragi-
liora sunt hominum uerba, quàm ut in tantam altitu-
dinem, in qua Deus habitat, peruenire queant: ergo
nec orationem Deus audit? abſit, audit enim & ui-
det, quicquid ex fide proficiſcitur, ſine fide autem, nec
reſpicit hominem, nec audit uerba eius.

SI QVIS LOQVATVR &c.

Hoc eſt, ſileat à facie Domini omnis terra, quicũq;
enim corã eius iudicio loqtur, & ei reſiſtit, is à gloria
maieſtatis diuinæ deuoratur, & in æternum perit.

ET NVNC NON VIDETVR &c.

Verum lumen, quod eſt Deus, non poteſt uideri,
nec offert ſeſe oculis carnalibus: uidemus quidẽ ſplen
dorem quendam nubium, uidemus lucem ſolis, quan-
do à uentis nubes pelluntur, uidemus etiam, ab aqui-
lone

lone aurum uenire, hoc est, ut Græcus interpretatur ἀπὸ βορρᾶ νεφέλη χρυσοῦ ἔρχεται, id est, à Borea (qui est uentus frigidissimus, impetuoso strepitu, à septentrione flans) nubes uelut aurum splendentes, et claram serenitatem oriri, quæ omnia sunt spectacula è quibus pius animus, ad laudem Dei magni & terribilis, assurgit, ut sicut cœli enarrant gloriam Dei, ita homines ex operibus diuinis, Deum uerum agnoscãt & glorificent.

OMNIPOTENTEM NON.

Quamuis opera Dei, utcunq; nobis obuia sunt, ipse tamen incomprehensibilis est, maximus enim est potẽtia, & clarissimus maiestate: proinde à nullo hominum, in ius uocare potest, ut respõdeat iudicio & accusationi, tu enim homo quis es, qui ex aduerso respondeas Deo? aut cur creatura, creatorẽ in ius uocaret? num dicit figmentũ ei, qui finxit, inique mecũ agis? Nõ igitur æquũ fiut, mi Hiob, quod tanto fastu, aduersus Deũ & eius iudicium, tanq̃ iniquum cõtenderis, uixisti quidem probe, & iustitiæ tuæ, Deum te stem habes, sed posteaquàm Dominus te dereliquit, pro more impiorum, in diuinam iustitiã debacchatus es, magis præfracte, quàm pie: est enim solus Deus timendus & tremendus, ante quem omnes creaturæ genua flectunt, & Dominuum suum agnoscunt, ipse uero, nullos quantumuis sapientes & sanctos, timet:

proinde oportet sese manui eius captiuos dare, & o
pera eius iusta confiteri, siue adsequatur ea, siue no
adsequatur humana ratio.

CA. XXXVIII.

REspondens Dominus Hiobi, de tur
bine dixit.

Quis est iste, qui abscondit consilium,
sermone imprudenti?

Accinge sicut uir lumbos tuos, inter
rogabo te, & demonstra mihi.

Vbi eras cum fundabam terram, ad
nuncia, si noueris intelligentiam?

Quis posuit mẽsuras eius, an nouisti?
aut quis extendit super eã perpendiculũ.

Super quid columnæ eius defixæ sunt?
aut quis posuit lapidem angularẽ eius?

Cum laudarent (me) simul stellæ ma
tutinæ, & iubilarent omnes filii Dei.

Quis occuluit ostiis mare, cum erum
peret (quasi) de uulua egrediens?

Cum ego ponerem nubẽ uestimentũ
eius, & caliginem, inuolutionem eius.

Cum contererem fluxum eius, & statu
to meo, & ponerem uectem, ostia.

Et

Et dicerẽ, usq; huc uenias, & non pergas, & hic colloces tumentes fluctus tuos.

RESPONDENS DOMINVS &c.

Hactenus Elihu, oratione sua uindicauit Deũ ab iniusticia, qua adcusauerat eum Hiob, cõquestus se iniudicium, magis seuerum, quàm iustum coniectum esse: preterea docuit, è matestate diuinorum operum, nulli hominum licere Deo resistere, & creatori suo dicere, quia facis? eum enim solum habere, rerum omnium potestatem, cui nemo resistere, nec audeat, nec possit: nunc Dominus suipsius patronus factus, & huius disputationis sequester, his sequentibus capitibus à calumnijs & iniusticia, authoritatẽ suam uindicat, docens id, quod breui quodam compendio, Paulus Ro. xi. complexus est. O profunditatem diuitiarũ, & sapientiæ, & cognitiõis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius, quis cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à cõsilijs? tam si imperuestigabiles sunt uiæ Domini, quis tanq; omniũ consiliorum eius gnarus, audebit eum iniusticiæ, in operibus suis, dum adfligit pios, adcusare? Est autem huius orationis dei status, nemini licere dominum, iniusticiæ adcusare: confirmatio eius est, qa Dominus solus, est omnium rerum CREATOR que confirmatio, amplificatione quadam, per singulas ferè creaturarum partes probatur. Porrò, Domi-

Disputatio.

Dominus iustus est, quia omnium creator.

Turbo. nus dicitur de turbine loqui, quia quæ sequuntur, h gis uerba sunt, quibus declaratur & authoritas ma statis Domini, & imprudens, ac impiũ Hiobis pecc tũ: lex enim nõ datur nisi tumultu & tempestate, u habes in Exo. & aliás è tali etiã turbine, locutus e Dominus Heliæ, cũ corrigeret falsam eius opinionẽ existimãtis se solũ, in Israël relictũ, q Deũ uerũ colat, sed audit ex turbine, dereliq mihi septẽ milia uirorũ, quorũ genua nõ sunt curuata ante Baal 3. Reg. 19.

QVIS EST ISTE QVI ABSCONDIT.

Procemij interrogatio, tratum ostendit Deum, ha bet enim in se, nescio quid, latẽtis mordacitatis & ira cundiæ, interrogatio: loquitur aũt Dominus, non de Elihu, qui probe perorauit cõtra Hiobem, sed de Hio be, dicens: quem hic audio mihi resistentem, mea tu ditia blasphemantem, me iniusticiæ arguentem? quis est iste Hiob, qui aduersus me, & occulto cordis cogi tatu ac murmure, & sermone impio insargit? Tu ne Hiob, audes uel hiscere contra meã maiestatem? age itaq; para te, & ut mihi respõdeas, accinge sicut uir, lumbos tuos, id est, expeditus esto, accingere enim lumbos, est sese parare, ut in Euangelio: sint lumbi uestri accincti, id est, sitis parati & expediti. Tu igi tur Hiob, paratus sis, ut audias me, & contra mihi re spondeas: quanquàm enim possem uel sola authorita te mea, tibi os cohibere, rationibus tamen tecum agẽ

me

ne rursum conqueraris, te potius authoritatis maiestate, quàm iure causſæ, opprimi.

VBI ERAS CVM FVNDABAM.

Probat Dominus à creaturarum conditione, nemini licere, diuinam authoritatem, iniusticiæ adcusare, aut et resistere, nemo enim ex omnibus creaturis, dei consiliarius fuit, nec ei quicquàm in orbis conditione, auxilij contulit: proinde, potest pro sua uolũtate, citra omnem iniquitatem, quasuis creaturas tractare, et aliud uas in honorẽ, aliud in contumeliam, ut pro animo suo collibitum fuerit, creare. Principio Deus, nullo consiliario, nullo auxiliatore, terram creauit in sua mensura, numero, pondere, & stabilitate: extendit, super terram, perpendiculũ suum, hoc est, suis finibus eam circumscripsit, & columnas eius defixit, hoc est, manu sua, quasi columna, terram sustinet, ne in aquas demergatur, natura enim sua, terra, medium aquæ centrum adpetit, sed potenti manu, & VERBO Domini, ex aquis eleuata est, Gen. 1. Congregentur aquæ sub cœlo in unum locum, & adpareat arida. Deus quoq; suppositi terræ, angularem lapidem hoc est, fundauit terram firmiter, tanquàm fundamento, ne in profundam aquarum abyssum, pro natura sua decidat: quis autem hæc omnia facientem, & inenarrabili sua sapientia disponentem, audebit iniusticiæ, in operibus suis adcusare? nam etiam si in aliqui

Perpendicula terræ.

Columna terræ.

Angularis lapis terræ Verbum.

bus uideatur nobis iniustus, semper tamen, quia inscrutabiles sunt uiæ eius, iustus & bonus prædicandus est, fieri enim potest, ut qs sine merito sicut Hiob adfligatur, non tamen fieri potest, ut Dominus iniuste & impie, quantumuis pum hominem, adfligat: quemadmodũ econtra fieri potest, ut quis merito adfligatur, qui tamen adfligit, immerito et iniuste adfligit ut Iudæi iustissima causſa, deuastati sunt, propter impietatem, tempore Hieremiæ: sed Nebucadnezar rex Babylonis, iniuste eos deuastauit, quia sine fide: omne autem quod non ex fide est, peccatum est. Porrò

Filius Dei, sapientia est patris.

Deus in creatione, nullum auxiliatorem aut consiliatorem habuit, præter VERBVM, quod est, æternũ patris consilium, IESVM Christum, qui est thesaurus sapientiæ & scientiæ Dei. Prouerb. 8. Dominus possedit me ab initio uiæ suæ, ante opera eius eram, ab æterno ordinata sum, ab initio ante terram.

CVM LAVDARENT ME SIMVL.

Omnis creatura laudat Dominum.

Vbi eras, cum initio creabã stellas, & filios Dei qui sunt angeli, laudem meam adnunciantes? omnia enim ad laudem Dei prædicandam, creata sunt, & ut aues cantu, ita stellæ splendore suo, & angeli inenarrabili uoce clamantes: sanctus, sanctus, sanctus, Dominum creatorem celebrant.

QVIS OCCVLVIT OSTIIS MARE.

Est & mare incõprehensibile sapientiæ Dei opus: primum

primum enim erupit mare ex ὀυστέρᾳ, tanquam ex ulua materna: dein, erāt tenebræ super faciē abyßi, hoc eſt, maris ſeu aquarum, ut habes Gene. 1. quæ tenebræ hoc loco dicuntur nubes & caligo, quibus mare inuolutum erat, poſtremo, cum aquæ cœleſtes diuiſæ eſſent ab aquis ſub cœlo, congregauit Dominus mare, ſeu aquas in unū locum, & concluſit eas ſuis terminis & oſtijs, ne latius erumpant, quàm à Domino mandatum fuerint, Gen. 1. Congregentur aquæ ſub cœlo in unum locum. Hoc uerbo, Dominus concluſit fluctus marinos, ut ſequitur: poſui uectem & oſtia, & dixi, uſq; huc uenies &c. hoc eſt, Dominus mandauit mari, ne ultra progrediatur quàm conceſſum ſit, quo mandato tanquā uecte & freno cōtinetur, ne pro natura ſua totam terram inundet. Porrò ſi allegoriam ſpectes, ſunt & marinis fluctibus, hoc eſt, adflictionibus huius mundi, ſui limites poſiti: non enim ſinit nos Dominus tentari, ſupra id quod poſſumus. Mare opus Domini.

Nunquid in diebus tuis præcepiſti matutino oſtendiſti auroræ locum ſuum?

Vt adprehendantur fines terræ, & concutiantur impii de ea.

Subuertetur ſicut lutum, ſignaculum & ſtatuetur ſicut ueſtimentum.

Et remouebitur ab impiis lumen eo
rum, & brachium excelsum conteretur.

Nūquid ingressus es usq; in profundi
maris, & in exploratiõe abyssi ambulasti?

Nūquid reuelatæ sunt tibi portæ mo
tis, & portas umbrositatis uidisti?

Intellexisti quantæ sunt latitudines ter
ræ? adnuncia, si noueris omnia.

Vbi est uia qua habitat lumen? & ubi
est tenebrarum locus?

Vt adducas illud ad terminum suum,
& intelligas semitas domus eius?

Sciebas quod tunc nasciturus eras, &
numerum dierum tuorum multum?

Nunquid ingressus es ad thesauros ni
uis, & thesauros grandinis uidisti?

Quæ abscondi ad tempus tribulatio
nis, ad diem pugnæ & belli.

Quia uia spargitur lux? dispergitur
uentus orientalis super terram?

Quis diuisit inundationi cursum, &
uiam adparitioni tonitruum?

Vt pluat super terram, ubi nullus est,
in desertum, ubi non est homo.

Vt implea

Vt impleat desolata loca, & deserta ac faciet germinare florem herbæ.

NVNQVID IN DIEBVS TVIS.

Sunt et mane et aurora mirabilia Dei opera, Psal. 73. Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem

VT ADPREHENDANTVR &c.

id est, quis tenet terram, ut impij de ea concutiantur, nisi solus Deus: nam ut Deus creauit & fundauit terram, ita solus eam in manu sua tenet, excutiens de eamptos, nunc diluuio: nunc incendio (ut Sodoma) nunc deuastatione, & id genus malis: unde sequitur: Subuertetur sicut lutum signaculum, hoc est, securitas impiorum, qua ueluti sigillo quodam, ratificati & confirmati sibi esse uidentur, dicētes: percussimus fœdus cum morte, & pactum cum inferno fecimus, cōculcabitur & dissipabitur sicut lutum: confunduntur enim impij in sua confidentia, & sicut uestimentum flaccescunt, hoc est, inueterascunt, computrescunt & pereunt: quanquàm enim uideantur aliquādiu probe constare, repentino tamen interitu aufertur ab eis lumen, & fœlicitas eorum & superbia eorum: ac fastus adrogās cōteritur, ut habes in diuite apud Luc. 12.

Domini opus est impiorum de terra perditio.

NVNQVID INGRESSVS ES VSQVE. &c. *Solus Deus omnia scrutatur, nihil est ei inuium, abyssus non tam profunda est, quin in ea nō*

deambulet, huius rei unica hæc est causſa, quia Deus est omnia in omnibus, & omnia implet, ut Psalmo 138. Quo ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es &c. Qua autem ratione, & quibus modis fiat, mens humana comprehendere nequit. Iam ſi nemo inueſtigare poterit œconomiam eius, qua profundiſsima quæq; , & abyſſos altiſsimas adminiſtrat, quis explorare poterit rationem iuſtitiæ eius, multo plus occultatam, aut ſi non comprehenderit adcuſare?

NVNQVID TIBI REVELATAE &c.

Mors est omnium rerum obſcuriſsima, & foueæ tenebricoſæ undiq; concluſæ caligine, ſemper tamen illuminata coram Domino patet, Prouerb. 15. Infernus et perditio Deo patēt: quāto magis corda hominū &c. Nobis autē mors est undiq; tenebricoſa, & horrendis tenebris obaucta: proinde, nemo est qui ſine maximo damno, ingrediatur in mortem, niſi uero lumine munitus ſit, qui est Ieſus Chriſtus: qui ſermonem, inquit, meum ſeruabit, nō guſtabit mortem. Si igitur nemo ſine malo, ingreditur noctis portas, quomodo quis ingredi poſſet abyſſum iuſtitiæ?

INTELLEXISTI QVANTAE &c.

Eccleſ. 1. Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundū abyſſi, quis dimēſus eſt? iam ſi nullus hominum dimetiri poterit corporalia & uiſibilia, quāto minus

minus potest spiritulia & inuisibilia, ut sunt sapientia & iustitia Dei perscrutari: hinc etiam colligis Geometrarum computationem esse uanã, propterea quod nec terra, nec cœlum, mensura humana comprehendi queant.

VBI EST VIA QVA HABITAT &c.

Quis unquam tam sapiens fuit, qui ratione explorauerit, unde, è qua domo, è quibus regiõibus ueniãt ad nos alternis, & ordine uicario, lux ac tenebræ? & quò rursus abeant? solus enim Dominus adducit lumẽ & intelligit semitas eius, & fides in Verbum Domini respiciens, non nihil in his rebus comprehendit.

SCIEBAS QVOD TVNC NASCIT.

Solus Dominus creat, solus igitur ante creationẽ nos agnouit: ait enim Apostolus Ephes. 2. Elegit nos in Christo, antequam fundamenta orbis iacta essent: nascimur autem nobis planè inscijs & ociosis. Proin de si mirabilem Dei, in nobis operationem, priusquã nascamur, explorare nequiuerimus, quomodo possemus iustitiam eius inscrutabilẽ, inuestigare? Porrò ut in creatione, tũc ꝓpinquissimus nobis fuit Dominus, quũ nihil minus nobis conscijs erat: ita in adflictiõe, tũc nobis proximus est, quũ lõgissime abesse uidetur.

NVNQVID INGRESSVS ES AD &c.

Nemo potest ascendere in sublime, ubi niues & grandines generantur: quis igitur poterit in cœlum

ascendere, ad explorandam diuinam iusticiam et Dei sapiẽtiam, in operibus eius, nisi quis fide conetur? Est autem grando, iræ Dei instrumentum quo adfligit homines propter peccata, & idolatriam, Exod. 9. Percussit grando in omni terra Aegypti, cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usq; ad iumentum, Iosue 10. Mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserãt filij Israël. Vnde ait hoc loco quam abscondi ad tempus tribulationis, hoc est, repono grandinem, ut proferam eam ad pœnam impiorũ hominum, & ea adfligantur.

Grando iræ Dei instrumẽtum est.

QVA VIA SPARGITVR LVX &c.

Lux uenti, aquarum cursus, tonitru adparitio hymbres, & pluuiæ deserta irrigantes, & florem germinare facientes, habent suas semitas & uias, quibus ad nos feruntur, quas quis hominum explicare potest?

Quis est pluuiæ pater? uel quis peperit guttas roris?

De cuius utero egressa est glacies? & pruinam cœli quis peperit?

Vt quasi sub lapide, aquæ abscondantur, & facies abyssi comprehendantur.

Nunquid cõiunxisti colligatiões Pliadum, uel uincula Orionis adperuisti?

Nũquid produces Luciferum in tempore suo, & arcturũ ad filios suos duces?

Nunquid

Nunquid nouisti statuta cœli, aut pones præconem eius in terra?

Nunquid eleuabis ad nubes tonitrum, & copia aquarum teges te?

Nunquid mittes fulgura ut eant & dicant tibi, ecce hic sumus?

Quis posuit in absconditis sapiẽtiam, uel quis dedit cogitationi intelligentiã?

Quis numerabit nubes in sapiẽtia, & lagenas cœli, quis facit quiescere?

Dum cogitur puluis in effusione, & glebæ compinguntur.

QVIS EST PLVVIAE PATER?

Pluuia, ros, pruina, & glacies, quo aquæ, quasi in lapidem coguntur, & quæ usq; ad profunditates fluminum penetrat, non ab homine, nec ab ulla alia creatura fiunt, sed à Domino. Simpliciſsime autẽ, hunc locum intelligas, cum dicitur, Deus *est pluuiæ pater, peperit guttas roris, peperit pruinam, de eius utero egressa est glacies, quod nihil aliud est, q̃* Deus *creat & dat pluuiã, guttas roris, pruinam, & facit glaciẽ.*

VT QVASI SVB LAPIDE &c.

Aqua enim, ita in glaciem indurescit frigore, ut Crystallinum putares, siue glacies ita tegat aquas, sub se nondũ congelatas, ut uideantur quasi sub lapidibus

abſconditæ: præterea, nõ in ſuperficie ſolum aquarũ concreſcit glacies, ſed congelatur etiam uſq; ad imas fluminum profunditates, quod hic ait, comprehendit facies abyſsi.

NVNQVID CONIVNXISTI &c.

Non ſolum pluuia, rore, & glacie, Deus ſapientiã ſuam oſtentat, ſed etiam in mirabilibus ſtellarũ conũgit enim colligatiões Pliadũ. Pro Pliadibus Hebræus habet כימה, de quo etiam ſupra, cap. 9. Scribunt aũt quidã eſſe cõgregationem ſeptem ſtellarũ, in fine ſigni Arietis, unde hoc loco, dicũtur colligatiões Pliadum cõiungi: ſunt enim ſeptẽ illæ ſtellæ, quas gallinas uocant, ita diſpoſitæ, ut abinuicẽ nõ ſeparentur, ſicut nec gallina à pullis ſuis. Pro Oriona Hebræus habet כסיל quod ſcribunt ſydus eſſe ex ſtellis fixis, unde forte, quia ſydus fixũ eſt, hoc loco dicitur, neminẽ ad perire uincula eius, ut fiat erraticũ. Pro Lucifero Hebræis eſt מזרות, quod ſcribũt eſſe conſtellationẽ meridionalẽ: Græcus intactũ reliquit μαζαρώθ. Pro arcturo Hebræus habet עיש quod plauſtrũ uocãt, & eſt totũ ſydus draconis, ab adglomeratiõe & collectione plurium ſtellarum, ſic dictũ: ſignificat enim עוש cõuenit, uel agglomerauit, unde hoc loco dicitur: ducés ne paluſtrum ſuper filios ſuos, id eſt, tua ne potentia ſic adglomeratur plures Draconis ſtellæ?

NVNQVID NOVISTI STATVTA.

Nemo

Nemo nouit cœlorum statuta, aut ut uocant, influentias, nec quisquàm inter homines, potest esse cœlorum præco & caduceator, qui adnunciet ac præcipiat eis, ueluti dominio quodam, ut nunc hâc, nunc illâc circumuoluantur, & nunc hanc, nunc illam uirtutẽ ex se præbeant.

NVNQVID ELEVABIS &c.

Dominus tonitru, iram suam declarat, neq; est ulla creatura, quæ sua potentia, tam horrendum sonitũ in nubibus, excitare possit: tormenta illa bellica quas bombardas uocamus, horrorem quidem tumultu suo incutiunt, sed collata ad tonitrua, uix sibilus sunt.

ET COPIA AQVARVM &c. Id est, an uẽ potes efficere, ut in caput tuum pluuia descendat de cœlo? si igitur Iob, hæc nõ potes tam pusilla, consulo ut obmutescas, & me tanquam inustum iudicem, non accuses.

NVNQVID MITTES FVLGVRA.

Eiusdem omnipotentiæ est fulgura excitare, quod opus humana imbecillitas, admirari duntaxat potest, efficere non potest, nam etiam si homo, fulguri quidpiam præcipiat, nõ tamen emicat, quod si Deus dixit uel minimum uerbũ, mox præsto adest, & mandatum eius exequitur.

QVIS POSVIT IN ABSCONDITIS.

Homo cum brutis, si externos sensus respicias,

utcunq; conuenit, longe autem excellit, si rationem sapientiam, aliâsq; animi dotes consyderaueris: posse enim Deus sapientiam, in hominis abscondito, id est, in corde et intellectu, in animo, quæ sunt egregia Domini dona, sed ad suas, non alienas functiones deputata: nam ut inter corporis membra, unumquodq; suã habet munus: ab alieno abstinẽs, neq; enim manus audet, neq; oculus ingreditur, neq; pedes audiunt: ita et animæ dotes, sua habent munera: prudentia enim & ratio, ad tractandas res ciuiles ordinatæ sunt, ad diuina uero prorsus sunt incõmodæ, propterea, quod diuina, fide, non ratione comprehendi queant.

QVIS NVMERABIT NVBES. &c.

Dominus enim est νεφελληγερέτης, id est, nubes coga, nubes congregans & disponens: inter homines uero, nullus reperitur, qui possit aut cogere, aut concludere cœli lagenas (quæ sunt nubes) ne aquã effundant, postq; terra satis fuerat compluta, & glebæ eius sufficienter pluuiarum guttulis cõpactæ sint: tam si hæc pusilla, non potueris Hiob, qua fronte, audes mihi hæc omnia operanti, resistere?

CAP. XXXIX.

NVnquid uenaberis leenæ prædam, & bestiis catulos implebis?

Vt in

Vt incuruentur in habitaculis, sedeant in tabernaculo ad insidias?

Quis præparat coruo escam suã, quando pulli eius ad Deum clamant, errantes sine cibo?

Nunquid cognouisti tempus partus rupicaprarum, partum ceruarum obseruasti?

Dinumerasti mẽses quibus impregnãtur, & cognouisti tempus partus earum.

Inclinantur in partubus suis, dissecantur, partus suos proiiciunt.

Pigue scunt filii earum, crescũt foris, egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.

Quis dimisit onagrum liberum? & uincula onagri quis soluit?

Cui dedi desertum pro domo, & pro habitationibus suis, sterilia loca.

Ridet tumultum ciuitatis, clamores exactoris non audit.

Inuestigat montium pascua, & omnia uirentia inquirit.

Nunquid desyderabit Rhinoceros seruire tibi? aut habitabit ad præsepia tua?

Nũqd alligabis Rhinoceroti in sulco

iugũ suũ? aut occabit profunda post te.

Nunquid confides ei, propterea quod multæ sit fortitudinis, & dimittes ei labores tuos?

Nunquid credes ei, ut reducat frumentum tuũ, & in horreũ tuum congreget?

NVNQVID VENABERIS. &c.

Hactenus à creaturis in animis, Dominus suã maiestatem declarauit, nunc eandem, à bestijs terræ, & uolatilibus cœli probat, ut per exempla manifestum fiat, uias Domini esse impuestigabiles, & iudicia eius incomprehensibilia, utcunq; sese aliquatenus in creaturis prodãt: porrò, ut leo inter bestias princeps est, ita hic principem locum tenet. Plinius & Aristoteles scribũt, leones multa solida, sine ullo dissectu, deuorare: quis igitur tantum ciborum, leoni uenatur? unde parantur bestiæ, quibus cibentur Leonum catuli? Quis sic docuit, catulos Leonum, in speluncis suis alijs bestijs insidias tendere? nonne hæc omnia, à Domino fiunt? ut legis Psalmo 193. Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi, omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore: Et Psalmo 144. Oculi omniũ, in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno, aperis tu manũ tuam, et imples omne animal benedictione.

Leones maiestatis Dei iudices.

QVIS

QVIS PRAEPARAT CORVO ESCAM SVAM. Aiunt quidam, coruũ derelinquere pullos suos recens natos, donec plumæ nigrescant, arbitrantur enim pullos nõ suos, cum uiderint plumas eorum albescere, interim pulli à parẽtibus derelicti, muscas nidum circumuolantes captant: ita Domino mirabiliter disponente, ut eo maxime tempore, quo à parentibus derelinquuntur, muscæ nidum circumuolitent: sed huius rei fides, penes authores sit, certius est, qđ tradunt Plinius & Aristoteles: coruus, aiunt, incubat uiginti diebus, & pullos nido expellit: quis igitur interim eos cibat, dum grandescant, & cibum quærere discant? Dominus: nam & huius auis pulli, aliâs nobis in scriptura, in fidei argumentum proponũtur, Psal. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, Math. 6. Respicite uolatilia cœli, quæ nõ serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa: nonne uos pluris estis illis? *Coruorũ pulli nos docent fidem.*

NVNQVID COGNOVISTI. &c. Sunt enim capræ syluestres, quas rupicapras uocant, quæ inter petras, nullis hominibus habitabiles, pariunt.

PARTVM CERVARVM &c.

De cerua ita scribit Aristoteles lib. 9. cap. 5. de natura animalium: inter quadrupedes, inquit, cerua maxime prudentia præstare uidetur, tum quia circa

Prudẽtia Dei in ceruis.

semitas pariat, quo scilicet beluæ, propter homi-
minus adcedunt: tum etiam, quia quando pepe-
uolucrum primum excedit, mox seselim herbã pe-
quam cum ederit, redit ad prolem, præterea hin-
lum ducẽs in stabula, assuefacit quo refugere debe-
saxum, hoc est, abruptum, uno aditu: quo loco ce-
quis inuadit, expectare repugnareq; affirmant. Ha-
item, quum pinguerit, pinguescit autem admodu-
idq; autumno, nusquàm adparet, sed longe secedit,
qui pondere, suæ corpulentiæ capi se, posse facilu-
sentiat: cornua etiam locis difficilibus amittit, & qu-
inueniri nequeant, unde illud prouerbium ortũ. Qu-
cerui amittunt cornua, quasi enim sua amiserit arma,
cauet ne inermis reperiatur, hactenus Aristote. Qua-
eo copiosius libuit hic referre: partim, quod in hoc
animali maxime omnium, sese declaret diuina maie-
stas: partim, quod nonnihil faciant ad huius loci se-
sum, recenset enim Dominus, non tam partum ce-
uarum, quàm partus gestum, & mores, ut eo alu-
suam prudentiam, utcunq; in cerua adumbratam,
culcet. Ceruæ, inquit, incuruantur, & inclinant se
in partu disrumpuntur, ut partus in lucem proijci-
hinnuli uero & mares, iam adulti pinguescunt, ho-
autumno, ut iam ex Aristotele relatum est, & tum a-
dunt sese in secretiora loca, ut non conspicuantur, n-
propter corpulentiã capi possint, qd' hoc loco dicit
egrediũtur & nõ reuertũtur.

Vbi nos habemus, foris: Hebræis est בבר quod significat foris, sed uidetur mihi cõmodum esse, si pro duabus dictionibus sumatur ꝑ (in tritico, seu pabulo) est enim בר frumentum uel pabulum, ut conueniat cum eo, quod supra dictũ est: Mares pingueſcere autumno, frumenti tempore.

QVIS DIMISIT ONAGRVM &c.

Onager beſtia eſt, minime omnium domabilis, mõ tibus gaudet, ridet tumultum hominũ, quod ſciat ſuæ fortitudini neminem poſſe reſiſtere, non curat clamores inſequentium, in montibus eſcas quærit, & uirẽtia prata inquirit: hæc igitur beſtia, non mediocre mirabilis Deo potentiæ ueſtigium eſt. Sub onagris autem Scriptura, ſæpe nobis proponit indomita adoleſcentum ingenia, & feroces tyrannorum animos, qui nullis Dei beneficijs, nulla gratia, cicurari poſſunt, Onager. Adoleſcentes Tyranni, onagri.

NVNQVID DESYDERABIT RHINOCEROS. Rhinoceros, ſimiliter animal indomabile eſt, unius in nari cornu, hoſtis Elephanti: cornu ad ſaxa limato, præparat ſe puguæ, in dimicatione aluum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem: in hac igitur beſtia, rurſus prodit ſeſe ſapientia Domini quam nobis propoſuit, ueluti exemplar, & doctrinã ut diſcamus, quibus artibus ſit cum hoſte congrediendum, hoſtes enim ea maxime parte, aduerſariorum urbem adgrediuntur: qua infirmior eſt: ſic & Satanæ

æstus discendi sunt, ut eos caueamus, nam & ipsa parte nos oppugnat, qua sumus imbecilliores, scilicet per concupiscentias & uoluptates quibus facile capimur. Porrò, Rhinoceros usq; adeo indomabilis est, ut nulla arte ad præsepia alligari possit, & sub iugum mitti, ut aret agros equorũ aut boum more, & occare sulcos paulo profundiores. Nam etiamsi currui adigatus fuerit loris, non tamen ob natiuam eius ferocitatem audebis ei credere, ut uehat ad horrea laboris tuos, hoc est, frumenta pabula et uina. Quod si hanc qualẽcunq; bestiam, in tuã potestatẽ redigere nõ poteris, quomodo præualeres contra eius creatorem?

Penna struthionum iucunda est, præ penna ardeæ & accipitris.

Cum dereliquerit in terra ouasua, tu ne in puluere calefacies?

Obliuiscitur quod pes conculcare ea posset, & bestia terræ triturare

Induratur ad filios suos quasi non essent sui, frustra laborat nullo timore,

Quoniam priuauit eum Deus sapientia, & nulla est ei pars in intelligentia,

Tempore quo eleuatur & exaltatur, irridet equum & ascensorem eius.

Nunquid dabis equo fortitudinem?

nunquid

nunquid uestíes collum eius hinnitu.

Nunquid tremefacies eum quasi locustam (uel allisione manuum) gloria narium eius terror.

Fodit in profundū, & lætat in fortitudine sua, egredit ad obuiandum armato.

Ridet ad formidinem & non terretur neq; retrocedit a facie gladii.

(Etiamsi) contra ipsum insonuerit pharetra, acies lanceæ & clypei.

In fremitu & tumultu deuorat terrā, & non credit quod uox tubæ (clangat)

Fortiter (clangente) tuba dicit Hui, & de lōginquo olfacit bellum, tumultum principum & iubilum.

PENNA STRVTHIONVM IVCVNDA

Supra in principio orationis suæ, Dominus contra Hiobis insultum, probauit sapientiam suam inperuestigabilem esse, utcunq; in creaturis adumbratam, ut Paulus ait, ex uisibilibus cognoscūtur inuisibilia dei: hinc fit, ut totus mundus miraculis plenus sit, quanq̄ ob frequentiam uilescant. In eodem adhuc perseuerat argumento, ex multis pauca enumerat, quibus suam admirandam sapientiā ostentat, ut adparet in strubio camelo. Pro strubione Hebræus habet רננים *quē*

nonnulli pauonem esse scribunt, aspectu pennarũ i
rum admirabilem, unde & hoc loco dicitur, penn
pauonũ esse aspectu iucũdiorẽ, pennis ardeæ aut e
pitris. Sunt & qui dicant esse nocturnam, horren
clamoris auem. Ego Struthiocamelum esse puto h
maxime causa, quod quæ hic enumerantur de natu
huius auis, ferè conueniant cum his, quæ aliâs de stru
thiocamelo scripta sunt: primũ enim, pennæ eius su
perant, iucũditate & aspectu pennas ardeæ & acc
pitris, nam in precio habentur, propterea qd' conse
bellicos, & galeas adornant. Cæterũ, authore Plinio
auiũ grandissimi, & pene bestiarũ generis sunt Stru
thiocameli Aphrici & Aethiopici: altitudinẽ equitis
insidentis equo excedũt, celeritate uincunt: ad hoc de
mum datis pennis, ut currentem aduuent: cætera, nõ
sunt uolucres, nec à terra tollũtur, ungulæ ijs cerui
similes, quibus dimicant, bisulcæ: cõprehendẽdis lapi
dibus utiles, quos in fuga contra insequentes ingerũ
pedibus, concoquendi sine delectu deuorata, mira
natura. Sed non minus stoliditas, in tanta reliqui cor
poris altitudine, cum colla frutice occultauerint, late
re sese existimantium, hactenus Plinius.

Huc adde, quod hoc loco de natura eius refertur,
adeo enim stolida auis est, si modo auis est dicenda: ut
oua (quæ propter magnitudinem proualis habẽtur)
in harenam abscondat, & eorum oblumscatur, nec

curã

curat, siue conculcentur, siue deuorentur à bestijs, cũ aliâs, uniciuiq; animali natuum sit, pro suo fœtu curare: ex ouis autem in harena derelictis, propter calorem solis incubantem, fœtus tandem excluduntur: unde hoc loco dicitur, iduratur erga filios suos, quasi nõ essent sui, quia obliuiscitur ouorum, nec curat quid eis in arena absconditis adciderit, secure uiuens, nullo fœtus affectu. Nisi forte uolueris hoc, quod dicitur frustra laborat, referre ad stolidtatem eius, quod se frustra occultet capite, cum interim tota corporis mole promineat.

Pro ardea Hebræus habet חסידה quod uetus tralatio uertit herodium, aut porphyrionem, Græcus retinet nomen Hebræum ἀσίδα ciconiam.

TEMPORE QVO ELEVATVR.

Hoc est, quod Plinius ait, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritate uincunt. In hac itaq; bestia, summa dei maiestas adumbratur: primũ enim huic, ut ita dicam, moli, prudentiam ademit, ut scias fortitudinem corporis, prudentiam non conferre: exemu & curam fœtus sui, ut declaret hoc opus, pro fœtu curare, non naturæ proprũ, sed Dei authoris esse, si enim esset naturæ, cur nõ & in hac bestia eluceret? deinde declarat Deus in hoc animali, se & prudẽtiæ et insipientiæ dispensatorem esse: prudenter enim Struthio ingerit lapides, contra insequentes, imprudẽter

collum frutice dumtaxat occultat, putans se latere. Postremo etiam hinc elucet mirabilis Dei sapientia, qui Struthioni pennas affinxit, pennis ardeæ aut accipitris aspectu multo iucundiores, uirtute interim uolãdi adempta, pennæ enim Struthionis currentem solum adiuuant, uolatilem non reddunt, id quod tamen reliquarum auium natiuum est. Hinc uerum discis, deum uni non omnia dare, nec omnes omnia posse, ut ille ait οὔτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα δίδοῦσι, ἀνδράσιν.

NVNQVID DABIS EQVO &c.

In equo maiestas Dei relucet.

Vbiq; est obuia Dei gloria, omnia clamant Deum, & laudem eius enarrant. Nam & equus, mirabilis Dei sapientiæ, exemplar est, quis fortitudinem eius explicabit? scribunt & in eo docilitatẽ esse, uniuersus enim, ut Plini. ait, Sybaritani exercitus equitatus, ad symphoniæ cantum saltatione quadam mouebatur: ijdem præsagiunt pugnã, quod hic dicitur de longinquo olfacit bellum, & amissos lugẽt dominos: lachrymasq; interdum desyderio fundunt. Interfecto Nicomede rege, equus eius inedia uitã finiuit. De Bucephalo item Alexãdri equo, mira legis. Porrò Dominus hoc loco, ita equi naturam describit, ut uenustus describi nõ potuerit, est enim admirãdæ fortitudinis, hinnitus sonori, nulla manuum complosione terretur tantum abest ut formidet arma, ut olfactu nariũ, gloriationem

riationem suam, aduersus bellorum strepitus demonstret, & si qua sonum procul arma dedere, stare loco nescit, micat auribus et tremit artus, collectumq; premens uoluit sub naribus ignem, cauat tellurem: & solido grauiter sonat ungula cornu, qd' hic dicitur fremitu et tumultu deuorat terram, id est, cauat. ἀφανίζει uel euertit, demolitur: & quod ille ait, quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum, clangentem tubam negligit: non credit, id est, non curat eam, sed insilit in armatas acies, fremitu, qui hoc loco Hui dicitur, & potius clangore tubæ, in prælium accenditur quàm quod deterreatur. Est igitur equus ingens, contemplandæ diuinæ maiestatis, instrumentum. Iam cũ ubiq; obuia sit, Dei sapientia & maiestas, quis tu es Hiob, qui ex aduerso respondes Deo?

Nunquid per tuam intelligentiã plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum,

An ad præceptum tuum eleuatur aquila, & exaltat nidum suum?

In petra manet, & habitat super prominentes & præruptas petras.

Illinc explorat cibum, ad longinquum oculi eius prospiciunt.

Pulli eius lambunt sanguinem, & ubi cadauera, illic adest.

NVNQVID PER TVAM INTEL

Hebræam dictionem אבר quidam interpretatur, uolat: simpliciter intelligas, accipitrem expansis alis, in aërem ad aues aucupandas uolare. Homines enim & accipitres societate quadam aucupantium hi ex syluis & arundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt: quidã interpretantur plumescere, propterea quod accipiter, singulis annis flante austro meridionali uento, alas suas expãdat: ut excußis uetustioribus pennis, nouæ succrescãt: ad hanc sententiam uertit Græcus, ἐκ σῆς ἐπιστήμης ἔστηκεν ἱέραξ ἀναπετάσας τὰς πτέρυγας ἀκίνητος καθορῶν τὰ πρὸς νότον. i. an ex tua scientia stetit accipiter expandens alas, immotus aspiciens ea quæ sunt ad austrum? Habes rursus in hac aue, unde Dominus creatorem admireris

AN AD PRAECEPTVM &c.

De aquilarum natura lege Plinium lib. 3. cap. 10. & Aristotelem de natura animalium lib. 9. cap. 32. Habitant autem aquilæ in mõtibus & syluis, nidulantur in locis non planis, sed celsis, præcipue quidẽ arduis saxis, & præcipitibus sed arboribus, etiam uolãt sublimes, ut perquàm maxime procul aspiciant, ueneantur lepores, hinnulos, uulpes & reliqua, quæ uincere ualeant: unde hoc loco dicitur, pulli eius lambũt sanguinem, id est, sanguinolenta corpora, conduntenim

enim & reseruant in suo nido corpora, unguibus lacerata, ut pulli habeant unde uiuant.

ET VBI CADAVERA &c.

Quo loco Christus Matth. 24. utitur, & in Proverb. traducit, ubicunq; fuerit, inquit, cadauer, illic cõgregabuntur & aquilæ.

Respondens Dominus Hiobi, dixit.

Nũquid contendens cũ omnipotente recedet? arguens Deũ nõ respondebit?

Respondens Hiob Domino, dixit.

Ecce maledixi, quid respondebo tibi? manum meam ponam ad os meum.

Semel loquutus sum, & non respondere possum, proinde secundo non adiiciam (ut loquar)

NVNQVID CONTENDENS CVM.

Quasi diceret, Ex his iam recensitis mirabilibus, uides Hiob nunc clarissime, quanta impietate iudicio meo resisteris, & iniustitiæ me adcusaueris. Quid enim est homo, ut resistat Deo, tantarum rerum mirabilium, quæ tam aliqua ex parte enumeratæ sunt, creatori, Domino? nunquid igitur uel tandem ab impietate tua recedes? an putas, tibi nunc impune licere ut abeas, & ad ea non respondeas, quæ tibi obieci.

ET RESPONDENS HIOB &c.

Agnoscit Hiob peccatũ suum, Domino dicens, blas-

phemaui, quid igitur respondere? silētio agnoscā, & confitebor iniquitatem meā: Domino enim arguente nullus hoīm respōdere potest. Habacuc. 2. Sileat à facie eius omnis terra, & Zach. 12. Sileat omnis caro à facie Domini, qui surrexit de habitaculo sancto suo, semel inquit Hiob, loquutus sum, hoc est, peccaui resistendo, & loquendo aduersus iudicium Dei, tacebo nunc, & manui Domini me captiuum reddam.

CAP. XL.

REspondens Dominus Hiobi de tur bine, dixit,

Accinge sicut uir lumbos tuos, interrogabo te & notifica mihi.

Nunquid irritum facies iudicium meum? condemnabis me ut iustificeris

Etiamsi brachium quasi Dei tibi esset & uoce, quanta ipse, tonares.

Orneris sublimitate, & eleueris, gloria & honore uestiaris.

Disperge indignationes iræ tuæ, & aspice omnes elatos, & deiice eos.

Aspice omnes superbos, & humilia eos & præcipita impios deorsum,

Absconde eos in puluere simul, facies eorum obuolue, abscondito.

Tunc & ego laudabo te (sed confitebor tibi) quod saluet te dextera tua.

ACCINGE SICVT VIR &c.

Rursus è turbine, Dominus maiestatis suæ potentiam declarat: turbo lex est, quæ increpat & docet peccatum, accingere autem lumbos, est sese promptũ exhibere. Hortatur itaq; Dominus Hiobem ut paret se, ad respondendam, & blasphemias suas excusandum si posset. Confertur autem, in principio huius capitis humana imbecillitas cum diuina potentia, ut manifeste concludatur, ex ingenti Dei potentia & extrema hominis οὐδενία, nihil posse ab homine criminis deo imputari, nec ullum hominem quantumuis fortẽ, posse maiestati diuinæ resistere.

NVNQVID IRRITVM. Scriptura pronunciat omnes homines mẽdaces et uanos esse, ut igitur Deus sit uerax, qui hanc sententiam super omnes homines scriptura pronunciante, tulit, oportet unumquemuis hominem sese mendacem agnoscere, Roma. 3. & Psal. 50. Tibi soli peccaui, ut iustificeris in sermonibus tuis &c. Impij uero diuersum sentiunt, ut enim ipsi ueraces sint, oportet deum mendacem esse. Nam pius, quanquam in se non uideat adflictionis caussam aut ullius peccati externi, sibi male conscius sit, & per omnem uitam honestißime uixerit, tradit tamen se in manu Domini adfligentis, & rectum iudici-

Omnis homo mendax.

um eius probat, ab hoc animo, omnino alienus est im
pius, qui mox Dominũ adfligentem adeusat, quã pri
mum adflictionis causſam non uiderit: quod, qd aliud
est, quam Deum condemnare ut homo iustificetur?
Ita & Dominus, ad Hiobẽ ait: an iudicium meũ quo
aut adfligo pios, aut pronuncio omnes homines esse
mendaces, tua sententia uanum erit, & irritum? an
oportet me iniustũ esse, ut tua iustitia constet? iustus
quidem es, cuius rei testimonium à me ipso habes, su-
pra Cap. 2. Sed non propterea tibi licebit iudicia Dei
calumniari, in adflictionibus.

ETIAMSI BRACHIVM &c.

Confertur humana imbecillitas cum potentia Dei
ut cognobile fiat, Deum nũquàm posse ab homine in
iustitiæ adeusari, siue ille merito adfligatur, siue inme
Brachium. rito. Brachium in scriptura pro potentia sumitur, po
tentia uero Dei, undequaq; diffusa est: cœlum inquit
mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorũ: pro
inde, habet brachium extentiſsimum, cui nemo resiſte
re potest. Confer nunc hominis quãtumcunq; magna
tis brachium: reges terræ dominantur quidem, sed re
gionibus nõ usq; quaq; latis. Deus uero dominatur in
omni creatura, præterea, quem inter homines, reperi
as tãto tumultu & horrore tonantẽ, quãto dominus
tonat? quem inuenias tanto decore, gloria et horrore
coronatũ, quanto Deus est? uel unum hominẽ ostenta
de, cuius

de, cuius indignatio promoueat: nã etiamsi multi sint qui irascantur, multi tamen ex altera parte sunt, qui eam iram palàm contemnunt. Quoties autẽ Deus indignatur, tunc nemo est qui eius iræ resistere, aut eã effugere possit: habet enim ira Domini suam energiã semper promouet, nunquam egreditur uana. Adhæc tãta est ei potestas, ut omnes elatos deijciat, omnes superbos humiliet, omnes impios solo spiritu oris sui conterat, in puluerem deducat et annihilet. Oppone nunc hominis uirtutem, quid quæso inuenies? quæ enim conuentio immensi & dimensi? quæ comparatio fortissimi & inualidissimi? Quid enim de homine fragilius & contemptius dici posset, quã si suo proprio nomine uocetur homo? Esaiæ 31. Aegyptus hõ et nõ Deus &c. Quod si uero, in homine uel tantillum esset, quod conferri posset cum diuina maiestate, non iniuria forte homo Deum accusare posset: & ego, inquit Dominus, si tu Hiob, uel minima eorum quæ nunc recẽsui, exequi posses tua propria potẽtia faterer me uictum, & uictoriæ palmam cõcederem, ac summis laudibus celebrarem.

Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum sicut bos comedet.

Ecce uirtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in umbilico uentris eius.

Constringitur cauda eius sicut cedrus,

nerui testiculorum eius perplexi sunt.

Ossa eius fortia æris, ossa eius quasi baculus ferreus.

Ipse est principiũ uiarũ Dei, qui fecit eum, adpropinquat (ei) gladio suo,

Fruticem montes ferunt ei, & omnis bestia campi, ludit coram illo.

Sub umbris dormit, in abscondito calami & luti.

Tegunt eum umbræ obumbrantes, circundant eum salices torrentis.

Ecce absorbet flumen, & non trepidat confidit quod haurire possit Iordanem in os suum,

Oculis suis capitur ipse, decipulis perforatur naris.

ECCE BEHEMOTH QVEM &c.

Supra per bestias, ceruum, leonem, corum, rhinocerota, struthionem, equum, accipitrem & aquilam, inuisibilia Dei, hoc est, potentia eius æterna, & diuinitas eius declarata sunt: in eodem adhuc perseuerat argumento Dominus, docens, uastas illas, et grandes bestias, Behemoth, ac Leuiathan, præcipua diuinæ potentiæ exemplaria esse, oportet enim planè eũ esse Deum, qui tam immẽsas beluas, aut moles potius creauit: rursus oportet eũ potentissimum esse, qui Be-

Behemoth Leuiathan argumentũ potentiæ Dei.

hemot in terra, & Leuiathan in mari uinciat, ne ille terram, hic totum mare conturbet. Est autem Behemoth Hebræum nomẽ pluralis numeri, cuius singulare est בְּהֵמָה behemah, Latine animal aut bestiam significans, Behemoth uero multitudinem animaliũ terrestrium, aut si mauis ingentes bestiarum moles, Græcus uertit θηρία, id est, feras. Sub Behemoth autem abscõdite describitur hoc loco Sathanæ potentia, sic enim Dominus Behemoth, quasi corporalem quandam bestiam proponit, cum interim in Sathanã oculos dirigat, ut primum declaret se potentißimum esse qui solus Sathanam uincere posßit: deim, hominẽ esse maxime omnium imbecillem, qui uel sola natiuitate, Sathanæ captiuus fiat. Postremo, ut doceat nulli creaturæ licitum esse, Deo resistere tantarum bestiarum creatori & uictori.

QVEM FECI TECVM.

Nam Behemoth, hoc est, Sathan, angelus principio à Domino factus est, quemadmodum & homo, non quidem eodem tempore, sed eisdẽ donis, homo enim creatus est in similitudinem et imaginem Dei, hoc est in sapientia, iustitia & bonitate, in eisdem donis, omnes angeli tam boni quàm mali initio conditi sunt. Imago Dei in qua homo & angeli cõditi.

FOENVM SICVT BOS COMEDET.

Hoc est, tanta est mea potestas, ut quantumcunq; ingẽs Behemoth moles sit, captiuetur tamen mea po

tenti manu, & cicuretur solo etiamnũ oris mei spiritu. Videtur enim mihi quoties de feris bestijs dicitur, quod fœnum comesturæ sint, sicut bos, metaphorica quadam facie dici, qua innuitur, eas mansuefieri et cicurari, ut de leone scribitur Esaiæ 11. Leo sicut bos comedet paleas, id est, mansuescet sicuti bos, & 65. leo & bos comedent paleas, id est unà cicurati habitabũt Hanc autem cicurationem Sathanæ manifestauit Dominus, per Iesum Christum filium suum, qui in Euangelio ait. Nunc princeps huius mundi ejectus est. Alij interpretantur Sathanam deuorare fœnum, hoc est, homines. Omnis enim caro fœnum, & homo sicut fœnum uelociter exarescet.

ECCE POTENTIA EIVS &c.

Vt igitur scias quanta mea sit potentia, enumerabo Sathanæ potentiam, enumerabo eius uires, quibus aperte cognosces neminem, nisi solum Deũ uincere eum posse. Ecce fortitudo eius in lumbis & umbilico eius est, Sathanæ enim potestas, ut semper est paratissima, ita & fortissima: proinde nõ tam princeps q̃ deus huius seculi dicitur, residet enim potẽtia in lumbis, hinc impotentes elumbes uocamus. Et ut umbilicus in homine mediũ est, ita fortitudo medium Sathanam circumplexa est, hoc est, totus est potens & fortis.

CONSTRINGIT VR CAVDA &c.

Id est, bestia illa Behemoth longissimam habet cau-

dam

dam, quemadmodũ cedrus exaltata in Libano, & nervos testiculorũ perplexos ac fortes, quare adumbratur impiorũ numerus et potẽtia, impij enim Sathanæ pedissequi sunt, & cauda eius, quorũ ipse caput est.

OSSA EIVS FORTIA &c.

Ossa Sathanæ, sunt potestas & fortitudo eius: hæ autem sunt, æs & ferrũ, hoc est, fortissima & potentissima, totum enim humanum genus, adeo potenter captiuum tenet, uinculis non tam ferreis, quàm adamantinis, peccato scilicet, morte & inferno: ut nemo etiam potentissimorum regum, potuerit sese aut alios ab huius regis tributo uindicare, unus est Christus Iesus, qui Sathanam uicit.

IPSE EST PRINCIPIVM &c.

Est enim Sathan principio conditus & decoratus excellentissimis Dei donis, propter quæ in arroganti am elatus, thronum suum altissimo æqualem ponere uoluit. Proinde in profundissimam abyssum proiectus est, ducens secum in idem baratrum omnes, quot quot mendacio credunt.

QVI FECIT EVM, ADPROP. &c.

Id est, tantæ est potentiæ, ut nunquàm uinci possit, nisi gladio illius, qui fecit eum, qui gladius est Verbum, seu spiritus, neq; ullus hominum ei adpropinquare audet, nisi hoc gladio munitus fuerit.

FRVTICEM MONTES &c.

Loquitur de Satana, quasi de bestia campi, quæ pascua sua in montibus quærit, & minores bestias, pro libidine sua tractat, et est sensus: Satan ubiq; circumquærens quem deuoret, est enim mundi princeps, & in omni loco dominatur, & omnis bestia campi, hoc est, omnis homo ludit coram Satana: omnes enim nos natura nostra, propter Adæ prævaricationem, in uinculis Satanæ tenemur, & ut sic dicam, ludus eius sumus, propterea quod nos pro libidine sua tractet, Auaricia (exempli gratia) Satan est, quod si quem inuaserit, uide quibus modis eum tractet, noctes cogit insomnes ducere, peierare, decipere, furari, & quid non mortalia pectora cogit, auri sacra fames? Sic & inuidia ipsa suum est supplicium, idem de superbia, & id genus malis dicendum est.

Omnes hoïes peccati ret, captiui Sathanæ.

SVB VMBRIS DORMIT.

Pulcherrime adfingũtur Sathanæ et corpus & corporales actiões, ut eo clarius, eius & impiorum natura, ob oculos ponatur. Sic enim & humanus captus, solet corpora carnalia, inuidiæ, famæ, fami, & id genus incorporalibus rebus adfingere. Quod uero dicatur Sathan sub umbris dormire, hũc habet sensum, nihil abominabilius est Sathana, proinde nõ audit aperta fronte, sed latet in umbrosis locis, abscondit se illic ubi calami & iunci crescunt, inter salices steriles sese occultat, amat enim sterilia & lutosa. Cæterum si

prodierit, non nisi alia specie, utpote angelo lucis tectus, prodit, ut Paulus ait. Transfigurat se in angelũ lucis, nam & auaricia, usq; adeo sua facie abominabilis est, ut non aperte prodeat, sed si prodierit, prouidentiæ uocabulo se uestit. Sic & inuidia Pharisæorum & Scribarum in Christum, non aperte sese manifestabat, sed Reipublicæ nomine, non enim dicebãt perdamus Christum, quia inuidemus ei, sed ne Romani ueniant, & tollant locum nostrum & gentem. Ita & Cato ait. Equidem nos uera rerum uocabula agnoscimus, quia bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo uocatur.

ECCE ABSORBET FLVMEN &c.

Insatiabilis est potestas Sathanæ, ut & Salomon dixit. Infernum & perditionem nunquam replert, totum enim fluuium Sathan absorbet, id est, omnem populũ humanũ (aquæ enim multæ, populi multi sunt) atq; nihil trepidãs, omnia deuorat: neq; á Iordane os suum cohibet, confidit enim se eum totum ebibiturũ, Iordanis populus electus est, ad Iordanem enim habitarunt Iudæi, gens sancta & electa: igitur Sathan nõ solum mala, malis intentat, uerum etiam bonis et pijs quæq; pessima subingerit, ut uides in Hiob, & Apoc. 12. accusator fratrum nostrorum dicitur.

OCVLIS SVIS CAPITVR &c.

Quantumcunq; bestia fuerit Behemoth, capitur

tamen, sed oculis dũtaxat & naribus: nam alioquin luti anguilla lubrica est, & quo plus eam compresseris, eo citius elabitur, nisi eam comprehendas oculis, ac naribus suis, hoc est, astus & consilia Sathanæ deprehendenda sunt, spiritu fidei, alioqui enim capi nõ potest, propterea quod soleat nobis semper, bonã speciem imponere. Potes & sic intelligere hunc locum, Satan non uincitur, nisi oculis & naribus præhensus, hoc est, suis ipsius armis: unde & Christus non alio pugnæ genere, eum uicit, quàm proprio gladio, scilicet peccato, morte & inferno. Sunt enim persecutio & crux, Satanæ commentum: itaq; Christus adceptã in humeros suos cruce, pugnauit contra eius potestatem, & glorioſe triumphauit: neq; est alia uictoria celebrior, quàm quæ paratur paßione.

CAP. XLI.

EXtrahes ne Leuiathan hamo, & fune eligabis linguam eius?

Nunquid pones circulũ in naribus eius? & spina perforabis maxillam eius?

Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur ad te mollia?

Nunquid percutiet fœdus tecum, ut adcipias eum in seruum sempiternum.

Nunquid

Nũquid ludes cum eo, quasi cum aue, aut ligabis eum puellis tuis?

Concident eum socii, diuident eum inter mercatores.

Nunquid implebis sagenas pelle sua, & fiscellam piscium capite eius?

(Si) posueris super eum manum tuã, memineris belli, ne adiicias.

Ecce spes eius frustrabitur, & manifeste proiicietur.

EXTRAHES NE LEVIATHAN.

Sub Leuiathã Satan describituri.

Vt antea sub Behemoth, Satanæ potẽtia descripta est, ita nunc describitur sub Leuiathan, quemadmodũ & spiritus aliâs Esaiæ 27. facit: est autem Leuiathan, draco marinus, unde & Græcus uertit δράκοντα, qui non capitur hamo, nec fune ligari potest, nec uncino apprehendi, nec à furore suo compesci: nam circulum seu uncinum in naribus ponere, est furorem cõpescere, & à conatu retrahere. 4. Reg. 19, Ponam circulum in naribus tuis, & chamum in labijs tuis, & reducam te in uia per quam ueneisti &c. Metaphora ducta à Bubalis, qui circulo naribus iniecto, ducũtur. Iam ut iste marinus Draco, nullis retibus capi, & nullo fune ligari potest, ita nec Satan, ullis humanis uiribus, astutijs, aut consilijs prehenditur, nec cõpescitur

ne pro libidine sua dominetur, à solo autem Domino nostro Iesu Christo, unici potest, & per eum ab omnibus credentibus.

NVNQVID MVLTIPLICABIT AD TE. Natura sumus filij iræ: proinde, Satan non allicit nos in sui potestatem, blandicijs, quando nos captiuos teneat, natiuitate nostra, præterea tanta est eius sæuitia, ut nõ precibus, sed potenti manu & tyrannide, totum orbem occupet.

NVNQVID PERCVTIET FOEDVS.

Impij existimant se, cum Satana confœderatos, securi enim uiuũt, perinde ac nullus esset Satan, percussimus, inquiunt, fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, uerum enimuero tam immanis, et efferus tyrãnus est Satan, ut nullo fœdere, nobis concilietur, nec ullis delinimentis in obsequiũ nostri ducatur. Iam, quum uideamus, quanta sit Satanæ in nos tyrannis, facile conijcere licet, quàm necessarius nobis sit Christus, per quem uincamus.

NVNQVID LVDES CVM EO.

Solent parẽtes pueris suis auiculas captas, filo alligare, quibus ludant, Satanã nõ ita filo alligaueris, ut cum eo ludas, nullis enim uinculis humanis captiuari potest, nec ut aiunt, intelligit ludum, et iocum nescit.

CONCIDENT EVM SOCII.

Tam uastus est hic piscis, ut solus inter socios, ad

mercã-

mercaturam sufficiat: nam quum sint, qui mercaturam exercent, aut panno, aut pipere, aut ferro, possent etiam hoc unico pisce, si in partes diuideretur, complures mercatores, negociationẽ exercere, adeo ingens belua est. Habet autem Satan, propè uniuersum orbẽ in sui negociationem congregatum, omnes enim homines mendaces, & peccatores sunt. Iam cum Satan sit mendacij pater et peccatorũ fons, consectaneũ est, homines in rebus Satanæ, negotiari. Leuiathan igitur in suas partes diuiso, alius auaritia, alius fastu, alius inuidia, alius luxuria negotiatur, unusquisq; suã partem in hac negociatiõe capit, tantus nanq; est, ut uniuersis sufficiat, nec est ulla sagena, quæ pellem eius capiat, nec fiscella, quæ caput, nedum reliquum corpus comprehendat, dominatur enim Satan, in uniuerso orbe, non in uno orbis angulo.

Mundus negociatur Satanæ.

SI POSVERIS SVPER &c.

Id est, si restiteris Satanæ, uel tantillum memineris tibi bellandum esse cũ ipso, & succumbendũ, nisi fide suffultus fueris: mox enim, ut aduersariũ sentit, grauiter insurgit, & bellũ ciet, restiterunt Satanæ prophetæ, tumultuabat igitur per reges et sacerdotes, donec occiderentur: restitit Sathanæ Christus, sed uide, quẽ umultũ inter Scribas & Phariseos excitarit? Restiterunt & Apostoli, sed quid non calamitatum, contra eos machinatus est? hunc Christus ait: in mundo adfli-

ctionem habebitis. Christianus enim, ponit manũ su-
am super caput Leuiathan, id est, adoritur Satanam,
resistit potestati eius: proinde, nihil non mali pio, Sa-
tan intentat, ut maneat mundi princeps.

MEMINERIS BELLI. Id est, tale bellum
excitabis, si restiteris Satanæ, in quo succumbes, &
non uinces, nisi fide.

ECCE SPES EIVS FRVSTRABITVR.

Satan confusus, fugit, quoties æstus eius deprehẽsos sentit.

Quanquàm toto conatu, Satan pijs resistit, non ta-
men uincet, sed frustrabitur spe sua, & manifestissi-
me confundetur: quàmprimũ enim reuelatus fuerit,
confusus abit, propterea quod nõ maneat, nisi aliena
larua, & specie boni tectus fuerit. Exempla confusio-
nis Satanæ habes in Ioseph, nam conabatur populũ
Israel perdere, cuius externa salus, è Ioseph per ora-
culum diuinum electo, pendebat: proinde ferè, in mor-
tem coniectus est Satanæ dolis, liberatus autem, po-
pulum suum frumento pauit, hoc est, confusus est Sa-
tan, in consilijs suis. Agitabat etiam in Pharaone, ut
perderet Israëlem, sed rursum confusus est, quãto eni
magis opprimebãtur, tanto magis crescebãt: quid ue-
ro non agit in Prophetas, Christum & Apostolos do
nec morti traderentur? sed eo ipso, uel maxime om-
nium, spe sua frustratus est: quid nõ & nostra tẽpesta-
te in Euãgelio machinatur, nũc duris Pontificũ mãda-
tis, nũc seditiõibus, nũc hæresibus? sed semp cõfusus
abit.

Non

Non (sic) crudelis (erit) cum fuerit excitatus, & quis est iste, qui coram me consistet?

Quis præuenit me, & reddam ei? omnia sub cœlo mea sunt.

Non facient, ut obmutescam, membra eius, nec uerba potentia, nec (uerba) ad deprecationem composita.

Quis reuelabit faciē indumenti eius in duplex capistrum eius, quis intrabit?

Ostia faciei eius quis aperiet, circuitus dentium eius, terror.

Corpus (sicut) fortia scuta constrictū, obsirmatum angustè,

Alterū alteri adhæret, & spiritus non intrat inter ea.

Vnumquodq; in altero hæret, complexa sunt se, ut non separentur.

Sternutatio eius splēdor luminis (est) & oculi eius sicut palpebræ auroræ.

De ore eius lampades procedunt, qua si tedæ ignis egrederentur.

De naribus eius egreditur fumus, sicut de chaldari feruente, & aheno.

Halitus eius carbones adcẽdit, & flamma de ore eius egreditur.

In collo eius habitat fortitudo, & ante ipsum gaudet dolor.

Discrimina carnis eius adhærent (sibi inuicem) anguſtiant eum, ne cõmoueat.

NON SIC CRVDELIS ERIT &c.

Crudeliſsimus eſt Satan, ſi pie et fideliter uiuendo à iuſtis excitatus fuerit, uide enim, quanta tormenta in Prophetas, & in Chriſtianos martyres excogitarit, alij diſtenti ſunt, alij ludibrijs & flagris explorati ſunt, inſuper et uinculis & carcere, lapidati ſunt, diſſecti ſunt, occiſiõe gladij occubuerũt, Eſaias, ſerra ſectus dicitur, Amos, palo per tempora transfixo, interemptus eſt, quibus uero tormentis, & quàm crudelibus, martyres ſancti occubuerint, lege Euſeb. in Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ omnia crudelitate Satanæ excogitata ſunt. Sed quid hoc loco Dominus ait? Facile inquit, eũ omnipotẽti meo uerbo, quantũcunq; crudelis ſit, cõpeſcam, quis enĩ eſt, qui poſſet mihi reſiſtere? quis præuenit me beneficijs, aut meritis, ut reddã ei? Quis prior mihi dedit, ut quicquã ei retribuatur: ego ſolus omnia poſſum, omnia in mea poteſtate ſunt, nulli creaturæ obnoxius ſum, ſed omne genu, cœleſtiũ, terreſtriũ, ac infernorũ, in nomine meo ſe flectit, omnia enim

nia enim sub cœlo mea sunt, Psal. 49. Meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues.

NON FACIENT VT OBMVTESCAM &c. Membra Satanæ, sunt impij, per quos in hoc mundo dominatur, nullus autem impiorũ Domnum compescit, aut ei resistere potest, neq; quisquã eorum à Domino aliquid impetrabit, siue manuum potentia, siue precatiõibus: nihil enì coram Domino efficiũt, aut uires, aut preces impiorũ, conantur multa, sed nihil promouent, & potius opus Dei, suo aduerso conatu iuuant, quàm impediunt: opus Dei erat liberatio hominis, uolebat hoc Satan impedire, per impios Pharisæos, sed tantum abest, ut impedierit, ut magis atq; magis adiuuerit.

QVIS REVELABIT FACIEM IND. Satan non uult uideri propria specie, sed occultat se sub boni larua: solus autem Dominus hutc beluæ λεοντὴν detrahit. Similiter & spiritualis, qui per spiritum Domini astus Satanæ intelligit: ut Apostolus ait 2. Corin. 2. Nõ ignoramus Satanæ cogitatiões & aliâs dicitur: probate spiritus, num ex Deo sint.

IN DVPLEX CAPISTRVM &. De Simsone legitur, qnod Leonem in frusta dilacerauerit: at nullus est Simson, qui Leuiathan disrumpat, & manum suam inter capistrum & dentes eius immittat: crudelior enim est, quàm ut uel leniter

tractari queat, & fortior, quàm ut manum illæsam, si in os eius immiseris, extrahas: tantus nanq; terror dentibus eius exertis ineſt, ut ſolo aſpectu adpropin quantes reddat ſtupidos, quæ omnia huc ſpectant, quã Satanæ terror pluſquàm formidabilis ſit, adeoq; in uincibilis: nemo enim hominum, qui cũ eo pugnã init illæſus, & inuictus recedit, ſolus Chriſtus immiſit ma num ſuam, in dentes eius, & reduxit eam illæſam, nam cum peccata ſuſtinuerit, ac mortem & infernũ, quæ ſunt Satanæ dentes, in humeros ſuos ſuſceperit, peccata diluit, & per mortem ac infernum in uitã & cœlum migrauit: proinde quicunq; uolueris cum hac beſtia dimicare, uide, ne tuis uiribus confidas, ſed pri uſquàm ineas pugnam, ſedens prius teçum computa, futuri belli ſumptus, an poſsis cum decem millibus oc currere ei, qui cum uiginti millibus uenit contra te, ut eſt Lucæ 14. Quod ſi defuerint uires pugnandi, ab eo pete, qui dat omnibus ſimpliciter ſine improperio.

Chriſtus nobis uicit Leuiathan.

CORPVS SICVT FORTIA SCVTA.

Corpus & membra Satanæ, ſunt impij, quod uero dicantur eſſe ſicut fortia ſcuta, conſtricta, & angu ſte quaſi ſigillo quodã conligata, alterumq; alteri tam arcte inhærere, ut nec leuis aura ſeu uentus perflare poſsit, deſcriptio eſt cõditionis impiorũ, ſunt enim for tia ſcuta, id eſt, in mundo, non tam ſeculari quod uo cant, quàm ſpirituali poteſtate potentiſsimi, ualent gladio

gladio & hypocrisi, doctrina & tyrannide, authoritate & imperio. Præterea colligati sunt arctissime, nam fœderibus inter se, Principes & Episcopi, ita sunt coniuncti, ut nullus hominũ NODVM dissoluere possit. Quanquàm enim alioqui clericis (ut etiam stultis eorum uerbis utar, laici, oppido sint infesti, & Pilatus non usq; adeo Scribis & Phariseis faueat, sunt tamen inter sese coniunctissimi & amicissimi quoties contra Christum, Verbũ & populũ Dei, aliquid audendum fuerit: nam ut Dæmones inter sese, quasi catena colligati sunt: adducit enim Satan secum septem spiritus peiores se: ita impiorum cohors catena est arctissime cõposita; sed rursus solo Domini spiritũ dissilit. Vsq; adeo potentes sunt impij, si humanas uires respicias: sin Domini spiritum consyderaueris, nihil eis est impotentius. Vetus tralatio habet, cõpactum squamis se premẽtibus: per squamas autẽ arcte compactas, intellige impios, indissolubili humanis uiribus nexu coniunctos.

STERNVTATIO EIVS. &c.

Omnia in hac bestia terribilia inuenies, efflat è naribus ignem, ex oculis eius horribilis splendor emicat, de ore egrediuntur lampades, hoc est, terribiles ignis splendores, fumus de naribus, halitus eius tam feruidus est, ut carbones incendat. Præter alia autẽ terribilia Satanæ machinamẽta in pios, hoc loco pul-

ebre etiã describitur fulmen excõmunicatiõnis, quo hactenus Antichristus in orbe dominatus est. Quid enim aliud est fulmen excomunicationis Papisticæ eiaculari, quàm ignẽ è naribus spirare? halitu carbones incẽdere: breuiter, omnia terribilia minitari? nam ait, quisquis hoc nõ fecerit, nouerit se incursurũ indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorũ Petri & Pauli &c. An hoc non est ignem & infernum spirare? Nõ hic loquor de Christiana excõmunicatione, quã in ecclesia, quis nõ optaret? nec uideo qua disciplina, cœnæ dominicæ cõmunionẽ tractare queamus, desyderata uera excõmunicationis regula. At hoc loco Papistica fulmina intelligas, quæ plerũq; in insontes, perditionis ille filius eiaculatur. Huc etiã adcedit quod Iohan. Apocal. 13 scribit: datum est, inquit, bestiæ os, loquens magna, & blasphemias, & aperit os suum in conuitia ad Deum &c.

IN COLLO EIVS HABITAT FOR.

Satan est princeps mundi, proinde semper uincit fortitudine agendi. Regnum autem Christi, nõ est de hoc mundo, non igitur prævalet fortitudine agendi, sed patiendi: & Satan uincit, ut ita loquar, actione: Christus uero passione: nam cum Satanæ tripudium sit, perditio, ac calamitas, nihil non agit modo perdat & deuastet: contra, Christi gaudium est, saluare, ut igitur saluet, omnia suffert, omnia patitur.

Christus patiendo fert palmam.

DISCRIMINA CARNIS EIVS &c.

Id est, partes & mẽbra Sathanæ, arctißimo & angußtißimo uinculo, sibi inuicẽ adhærent connexa, ut ab inuicem separari non queant, nisi spiritu Domini.

Cor eius durum est sicut lapis, durum sicut pars inferioris molaris.

Ab eleuatione eius terrentur fortes, fluctus turbantur,

Ab attactu gladii non surgit, lanceæ, hastæ & thoracis, reputat pro palea ferrum, pro ligno putrido æs.

Non fugabit eum filius sagittarii, ad stipulam uertuntur ei lapides fundæ.

Quasi stipula reputantur ab eo iacula, & ridet ad trementem clypeum.

Sub eo acutæ testæ, reclinatur (super) clauam dentatam (quasi) super lutum.

Facit ebullire sicut ollam, profundum mare ponit sicut unguentarium.

Post eũ lucet semita, reputat abyssum quasi canum.

Non est super terram similis ei, factus est ut nullum timeat.

Omne excelsum uidet, ipse est rex super omnes filios superbiæ.

COR EIVS DVRVM EST SICVT &c. Satan duricordior est Marpesia cautes, & lapide molari: quomodo igitur ab homine uinci posset? Dicitur autem durus corde, uel propter misericordiam, nullus enim misericordiæ locus apud Satanam est, uel propter fortitudinem & potentiam eius. Græcus pro parte lapidis molaris transtulit ὡς πρὸς ἄκμονα ἀνήλατος, id est, sicut incus indomabilis.

Filij superbiæ id est superbi arrogãtes Hebraismus.

AB ELEVATIONE EIVS TERRENTVR. Vt in mari Leuiathan, sua tyrannide omnibus cetibus quantumcunq; uastis terrorem incutit, ita in mundo dominatur Satan per impios tanta fortitudine, ut etiam potentes eius tyrannidem sustinere nequeant. Pro אלים quod significat fortes et potentes, uetus translatio habet, angeli: quæ expositio huc nihil facit, quando de cetibus marinis sermo sit, non de angelis. Græcus sic interpretatur, φόβος θηρίοις τε πᾶσιν ὑπὲρ γῆς ἁλλομένοις, id est, timor bestijs in terra saltantibus: nam & אלים interim arietes aut ceruos significat.

FLVCTVS TVRBANTVR &c. Vt enim in mari Leuiathan undas commouet, ita in mundo Satan omnia turbat.

AB ATTACTV GLADII &c. Ephes. 6. dicitur: non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus Principatus, potestates

testates, mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, & spirituales astutias in cœlestibus, quapropter assumenda est armatura nõ carnalis, sed spiritualis: Satan enim, nec instrumenta eius impij, nõ timent lanceam, ferrum, æs, gladios, sagittas, lapides bombardarum, iacula, clypeos, & thoraces: proinde, si volueris Satanæ potentiam uincere, alijs armis opus est: nempe patientia, expectatione & fide, ut Apostolus ait: State lumbis circumcinctis baltheo, per ueritatem, & induti thoracem iustitiæ &c.

SVB EO ACVTAE TESTAE.

Vsq; adeo contemnit acutas gladiorũ acies, et clauas dentatas, ut gradiatur super eas, quasi in luto, illæsus: Satan enĩ nullis carnalibus armis lædi aut cõfodi potest.

FACIT EBVLLIRE &c.

Profundum est mare, mare autẽ est mundus: iam ut Draco in mari omnia uertit ac reuertit: ita Satan in mundo procurat, nũc seditiões, nũc bella, nũc intestina odia, nũc alia facinora, quibus nõ tam publicã pacem, quã conscientiarũ tranquillitatẽ concitat, et nunquam discedit sine ingenti damno post se relicto: hoc est quod hic dicitur: Post ipsum lucet semita.

MARE PONIT SICVT VNGVENT.

Hoc est, quemadmodum unguenta inter sese commiscentur: ita Satan, in mundo omnia sursum ac deorsum uoluit ac reuoluit.

REPVTAT ABYSSVM.

Senes & cani homines, per ætatem imbecilles, & inualidi sunt, uiribus suis naturalibus destituti, unde sicut Leuiathan, in abyssо maris dominatur, tanquã potens tyrannus, super impotentem & imbellem populum, ita Sathan in uniuersum mundũ, pro cano & sene homine reputat, nam in eo dominatur pro sua libidine, & impotentiores sunt homines, quàm ut ei resistere poßint, unde sequitur: Non est ei similis super terram, *nullum enim timet, sed omnes terrefacit.*

OMNE EXCELSVM VIDET *Potentißimus est Satan, proinde, pro more potentũ, nõ nisi in excelsis arcibus & montibus habitat, & sola excelsa speculatur, tenet enim in hoc mundo captiuos eos, qui sunt præcipui, scilicet potentes, sapientes, & sanctulos. Rursus de* Domino *scriptum est, Psa. 137.* Excelsus Dominus, & humilia respicit in cœlo & in terra, respicit enim Dominus, cõtrita & humiliata corda, *cum econtra, Satan infimus sit, & excelsa respiciat, qui ergo seipsum exaltat, humiliabitur.*

IPSE EST REX SVPER *&c. Prosuperbe filius Hebræus habet* בני שחץ *quod quidam exponunt, pro filijs potẽtibus & fortibus. Græcus* βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν ὕδασιν, *id est, rex omnium rerũ, quæ in aquis sunt. Cõmuniter autem transfertur, per superbiã, ut sit sensus, iste Dra-*

co mo-

co marinus, dominatur oĩbus potentibus in mari, & superbis, ita & Sathan, est rex omniũ superborũ & arrogantiũ, qui ob arrogantiã suam, in infimũ barathrũ detrusus est. Nunc itaq; uides Hiob, neminẽ posse Deo resistere, quando dominetur etiã super Behemoth & Leuiathan, immanissimas, crudelissimas & uastissimas bestias, alioqui, inuincibiles: cohibe igitur tu Hiob, os tuũ, & aduersus Dominum, ne mutias quidẽ, propterea qđ & potẽtissimus et iustissimus sit

CAP. XLII.

REspondens Hiob Domino dixit.

Noui quod omnia possis, & non absconditur a te cogitatio.

Quis est iste qui cælat cõsilium imprudenter? propterea loquutus sum & nõ intellexi, mirabilia super me, quæ nescio.

Audi obsecro, & ego loquar, interrogabote, & notifices mihi.

Auditu auris audiui te, & nunc oculus meus uidit te.

Ideo reprobo (me ipsum) & pœnitentiam ago in puluere & cinere.

NOVI QVOD OMNIA POSSIS.

Agnoscit secũdo Hiob, blasphemias suas, dicẽs ad Dominum: nunc uere scio, te non solum omnia posse, sed etiam omnia nosse, quando & Sathanam uincas, alioqui inuincibilem, & abscondita cordis mei cognoueris: proinde, non tam stultum, quàm insanũ fuerit, aut tibi resistere, aut consilia cordis arcana, à te occultare, quocunq; enim quis se uerterit, inuenit potentem & præsentem Deum.

PROPTEREA LOQVVTVS. Quæ loquutus est Hiob imprudenter, & nullo intellectu? Male dictus dies in quo natus sum, quare de uulua eduxisti me? utinam consumptus essem &c. Etiamsi clamauero, non audit me Deus, auertit iudicium meum, adfligit me inique, & alia id genus, in iudicũ Dei blasphema, hæc enim traducũt Deum, tanquam impium, mera libidine, & nullo recto discrimine iudicantem, sic uero sentit cor à Domino, suis uiribus relictum, ac interim, cruce & adflictionibus pressum.

AVDI OBSECRO, ET &c.

Hoc est, nunc resigno me tuæ uoluntati, hæc enim est uera humanæ uoluntatis, in diuinam resignatio, si quis interroget, Deum, & non ex se ipso sapiat, est autem Deum interrogare, ex uerbo Domini, non ex ratione humana, uoluntatem eius discere, exempli gratia, si adfligeris immeritus, ut Hiob, unde petenda est uoluntatis Dei ratio? si solas adflictiones respexeris conferens

conferens eas cum innocentia tua, non cohibebis os quin blasphemes, & indigneris, aduersus iudicium Dei, quod si in Verbum, præsentiam Dei, & fauorem in adflictione promittens, oculos direxeris, non solum disces, bonam dei uoluntatem (qua adfligit te ut probet & erudiat, non ut perdat) uerum etiam gloriaberis in adflictione, tantum abest, ut Deum blasphemes, Rom. 5. Gloriamur in adflictionibus.

AVDITV AVRIS AVDIVI TE &c.

Deum nemo uidit unquam, nec auditur auribus carnalibus, cur igitur Hiob ait se uidisse & audisse Deum? Respondeo. Deus non uidetur nec auditur, nisi per Verbum, quod est facies & imago Dei ut CHRISTVS ait: qui me uidet, patrem uidet, hoc est, ego qui sum Verbum, sum & facies Dei: & Iohannis. 1. Deum nemo uidit unquam, filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis, hoc est, Deus est inuisibilis, sed per Verbum quod est filius Dei, fit nobis uisibilis. Itaq; qui Verbum credit is audit & uidet Deum, qui uero Deum uidet, fieri non potest, quin sese adcuset, contemnat & deijciat: sic Mose Deum uidens, factus est impeditioris & tardioris linguæ, sic Esaiæ. 6. Videns Dominum sedentem super solium, exclamauit, uæ mihi quia polluta

Verbum est facies patris

Videntes Deum humiliabuntur.

sum labijs. Non enim certius cognoueris tuam imp
rutatem, quàm si diuina puritas opposita fuerit, ita &
Hiob dicit: oculus meus uidit te, & auris audiuit te,
hoc est, credo Verbum tuum, quapropter, resigno ma
tuæ uoluntati, & adcuso ac reprobo meipsum &c.

ET POENITENTIAM AGO. &c.

Pœnitentiam agere, est pro malo bonum repone
re, ut si blasphemus fueris, pietatem: si fornicarius,
castitatem: si fur, liberalitatem: si inuidus, animum
amicum: si superbus, τὰ πεινοφοσύνλω, reponas:
&, ut breuiter dicam, pœnitentiam agere, est pro
Sathana, in cuius potestate nati sumus, Christum per
fidem reponere, neq; enim uera est pœnitentia: si
pro blasphemia, superstitiosa opera: pro furto, trium
dierum ieiunium: pro impudentia, peregrinationem
sanctorum: pro inuidia, templorum usitationem po
fueris, hæc enim, ut sunt à carne efficta, ita non expu
gant carnis fermentum. Sed quid est illud, quod addi
tur, in puluere & cinere? erant hæc duo quondam,
pœnitentiæ symbola, qui enim cinere aspersi, in pul
uere sedebant, ij facto ipso confitebantur se terram
esse, & perditionem meritos: reuelato autem Euan
gelio

gelio, ut sacrificia, ita & pœnitentiæ symbola abrogata sunt.

Et factum est, postquam loquutus est Dominus, uerba ista ad Hiobem, dixit Dominus ad Eliphaz Themaniten, succenset furor meus contra te, & contra duos amicos tuos, quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut seruus meus Hiob.

Et nunc adcipite uobis septem boues & septem arietes, & ite ad seruum meum Hiob, ut offeratis holocaustum pro uobis, & Hiob seruus meus oret pro uobis, quoniam faciem eius respiciam, ut non imputetur uobis stultitia, quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut seruus meus Hiob.

Et iuerunt Eliphaz Themanites, & Bildad Suhites, Sophar Naemathites, & fecerunt quemadmodum loquutus est ad eos Dominus, & respexit Dominus faciem Hiob.

Et Dominus conuertit se ad Hiob cum oraret pro amicis suis, & adiecit

Dominus omnia quæ habuit Hiob duplíciter.

SVCCENSET FVROR MEVS &c.

Tres amici male loquuti sunt, Hiob bene, cum interim & Hiob male, & amici bene disputarint, amici enim impie sentiebant, ex adflictione iratum Deum, & impium Hiobem statuentes, cætera probe de omnipotentia & sapientia Dei disserunt: & Hiob bene loquitur, quod constanter asseuerat adflictiones, nullo merito sibi adcidisse, nec esse impietatis suæ, aut irati Dei signa: male uero, quod iudicio Dei indignetur, & Deum blasphemet. Iam quum causam contra amicos recte tractet, quanquàm interim in causæ actione peccet, & amici à scopo causæ aberrent, igitur Dominus pro Hiobe, contra amicos sententiã fert, nam blasphemias eius supra redargui-

ET NVNC ACCIPITE VOBIS &c.

Cognobile est omnibus, ueterum sacrificia, umbram fuisse, unici & ueri sacrificij, passionis Domini nostri IESV CHRISTI, & propter hãc fidem in Christum, Dominus ueterum sacrificia re-

spexit

spexit, non quia delectatus fuerit odore, imò potius fœtore combustorum boum, sed quod in solo filio Iesu Christo, complacitum fuerit: iubentur autem amici, septem tauros, & septem arietes immolare, quia perfectissimum est sacrificium Christi, una expiatione omnia peccata delens, perfectus enim numerus, est septenarius: mittuntur autem ad Hiobem, qui pro eis oret, & interim præcipitur, ut offerat holocaustum, quia ut oremus pro nobis inuicem, mandat Dominus, sed oratio pro alio facta, non proderit, nisi proprium holocaustum offerat, ideſt, nisi propriam habeat fidem, & ab impietate resipiscat: unde Hieremiæ prohibetur, ne oret pro populo suo, propterea quod populus incuruiceruicus, noluerit resipiscere, & uerbo Prophetarum credere: orat igitur Hiob, pro amicis, & credunt amici in Dominum: proinde remittuntur eis peccata.

Septem sacrificia.

Resipiscentibus prodest aliena oratio.

ET RESPEXIT DOMINVS FACIEM HIOB &c.

Ergò ne Dominus est acceptor personarũ? absit, Dominus enim, solam fidem respicit, & personam propter fidem: nisi enim oratio Hiobis, ex fide profecta esset, dominus facie eius nunquã respexisset

Ex hoc etiam loco, cognoſces quod Paulus Roman. 9. dicit: non eſt uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei, & cui uult miſeretur: nam ſi Hiobem reſpicias, planè blaſphemus & impius fuit, Domini iudicio indignanter reſiſtens, reſpicit tamen eum Dominus, quia, inquit, miſerebor cuiuſcunq; miſereor, & miſerabor quemcunq; commiſeror.

ET IVVERVNT ELIPHAS &c.

Reſipiſcentia ex fide conſtans

ET ADIECIT DOMINVS OMNIA, QVAE &c.

Nihil carius uēditur quàm quod inique rapitur iuſto.

Vides nunc re ipſa, quorſum euadat tentatio, non enim ideo quicquam alicui, à Domino aufertur, ut perdat, ſed ut multo plura reſtituat. Iacob. 5. Toleranti Hiob audiſtis, & finem Domini uidiſtis, quoniam miſericors eſt Dominus & miſerator. In Scriptura paſſim mandatur, ut uindictam Deo relinquamus: mea inquit eſt ultiò, & ego retribuam, & ſi quis te percuſſerit ad dextram maxillam, præbe ei & alteram: quæ ſapientibus huius mūdi, ridicula & ſtulta uidentur, ſed ſi probe conſyderaueris, prudentiſſimæ ſunt leges

leges, uera enim prudentia est, paruo compendio, magnum acquirere: & paucissima sorte, plurimas opes parare: proinde, præcipit Dominus, ut resignemus in manũ suam ultionem, qua resignatione paramus nobis, pro imbecillis, longe omnium fortissimum ultorem. Ita nullo alio consilio conniuet Dominus, ad bonorum huius sæculi direptionem, quam quod augere uelit opes & benedicere, si modo ei uindictam relinquamus, & malum ab aduersarijs acceptum, uincamus bono, nemo enim suas opes, quas perdit aut incendio, aut alta calamitate, carius uendere posset, in nundinis etiamnum publicis, quàm si manui Domini resignentur. Videmus quanto fœnore singulis annis terra, granum seminatum reddat, qd' seminando penè perdi uidetur: ita, si quod ablatũ fuerit per hostes, per alios rerum casus, & manui Domini resignatur, uere seminatur, ideo enim Dominus aufert, ut probato, abundantius reddat, adeoq; huius rei clarissimum exemplar in Hiobe proponit, ne putares uanas esse promissiones. Nam cum partim à Satana, partim ab hostibus omnia Hiobi ablata essent, dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit, uocem ingentis fidei animi, uindictam deo resignantis, ac malum bono uincentis. Quid interim fiebat, bona direpta

nui Domini commissa, non potuerunt non crescere aucta enim sunt dupliciter, sed ais: Hæc Hiobi contigerunt, cæteris non item contingent. Audi, quisquis hæc obijcis, an scripta sunt hæc propter Hiob, & non potius propter nos quibus cum similiter Dominus operabitur, si modo ex fide, bona ablata manui eius committamus? an nõ idem Deus nunc est, qui olim tempore Hiob fuit? An non idem Verbum promissionis habemus, imò clarius? Matthæi 19. Omnis qui reliquerit domum uel fratres uel sorores, aut patrem, aut matrem, uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum adcipiet, & uitã æternam possidebit. Crede igitur, & per fidem, pro bonis ablatis, recipies Dominum fauentem, qui est thesaurus longe omnium copiosissimus.

Et uenerunt ad eum omnes fratres eius, & omnes sorores eius, & omnes noti eius priores, & comederunt cum eo panem in domo eius, & admouerunt se, & consolati sunt eum super omnem adflictionem, quam adduxerat Dominus super eum, & dederunt ei unusquisq; nu-

mum unum, & unuſquiſq; torquem au ream unam.

Et Dominus benedixit poſtrema Hiob ſuper priora eius, & facta ſunt ei quatuordecim millia ouium, & ſex mil lia camelorum, & mille iuga boum, & mille aſini.

Et nati ſunt ei ſeptem filii, & tres filiæ.

Et uocauit nomen uni Leminah, & nomen alterius Keziah, & nomen teir tiæ Kerenhapuch.

Et non inuentæ ſunt mulieres pul chriores filiabus Hiob, in omni terra, & dedit eis pater earũ hæreditatem in me dio fratrum earum.

Et uixit Hiob poſt hoc, centum & qua draginta annis, & uidit filios ſuos, & fili os filiorum ſuorum quatuor generatio num

Et mortuus est Hiob senex, & satur dierum.

DIVERSA LECTIO.

Vbi numum habemus, in Hebræo est, קשיטה quod Græcus interpretatur ἀμνάδα, id est, ouem. Alij pro obolo uertunt, qualecunq; autem sit, certum est amicos Hiob hoc dono, animum suum beneuolentem, erga Hiobem, testatos esse. Pro torque, Hebræus habet גזם quod Græcus interpretatur τετράδραχμον, quadridrachmũ. Alij inaurẽ aut torquẽ.

ET VENERVNT AD EVM OMNES. Vide quæso rerum commutationem, & dextram excelsi, & interim disce timorem Domini, antea enim Domino Hiobem derelinquente, inuidebant maiores, illudebant pueri, irridebant famulicia, ut supra legis cap. trigesimo. Nunc uero Domino rursus fauorem suum declarante, offerunt amici dona, conuiuia honorifica, & familiaria celebrant, omnes sibi Hiobem demereri studẽt, certant secum ipsi, utrum contumelioſius ante eum contempserint, an nunc honoratius tractent, & cui pauloante omnem humanã opem denegauerant, eum si queant in cœlo posuisse, cupiunt, explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, execrationes precibus, cui enim Dominus fauet, ei omnia fauent, atq; hoc est huius mũdi ingenium

Mundi ingeniũ, ut eos cõplectatur quibus Dominus foris benedicit.

ingenium, quod eum complectatur, quem Dominus manifesta benedictione complectitur, & cum odio habeat, quem Dominus manifesta maledictione reijcit.

ET DOMINVS BENEDIXIT POSTREMA. Vt manifeste declaretur, quanta munificentia Dominus pios quosq; tractet, ideo spiritus sanctus, summa diligentia, benedictiones Hiobis ob oculos ponit, ut ab ijs corporalibus benedictionibus discamus, quare spirituales futuræ sunt, si in fide perduremus. Sunt enim Hiobi restituta quatuordecim ouium, sex milia camelorum &c. Cum ante possederit solum septem milia ouium, & tria milia camelorum. Præterea nati sunt ei septem filij, & tres filiæ, non tam celebres nominibus, quã pulchritudine commendabiles. Sed & ipse Hiob uidit filios filiorum suorum, & mortuus est in extrema senectute. Nam sic benedicitur, qui timet Dominum, qui est benedictus in secula seculorum.

Exemplũ benedictionis piorum.

FINIS.


VITA HIOBIS.

IN TERRA QVIDEM HABITASSE Hiob Vsitidi in finibus Idumeæ & Arabiæ fertur, & erat ei ante nomen Iobab. Et accepit uxorem Arabissam, & genuit filium quem uocauit Ennon. Erat autem & ipse filius quidem Zaræ de Esau filiis filius, de matre uero Bosra, ita ut sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnauerunt in Edon, in qua & ipse regnauit, sed primus in ea regnauit Balach filius Beor, & nomen eiusdē ciuitatis Danaba. Post hunc autem Balach. Post eum Iobab, qui uocatur Hiob Post Hiob autem Husan, qui erat dux ex Themanorum regione. Et post illum regnauit Adad filius Beath, qui excidit Madian in campo Moab, & nomen ciuitatis eius Chetheauith.

Haganoæ, per Iohannem Secerium,
Anno M. D. XXXI.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN